



15



GEORGII BVCHANANI SCOTI Poetæ eximij Franciscanus & fratres,

Quibus accessere varia eiusdem & aliorum Poëmata quorum & titulos & nomina XVI. indicabit pagina.

Eiusdem Psalmos seorsim non sine accessione excudit

BASILEAE RAVRACORVM THOMAS GVARINVS NERVIVS.

In I. Sannaz. H. Fracaſt. A. Flam. H. Vid. A. Nauger. P. Bemb. Italos, Mich. Hoſp. Adr. Torneb. Io. Aurat. Gallos, & Georg. Buchan. Scotum.

Car. Vtenhouij Pleumoſij Diſtichon.

Tres Italos Galli ſenos vicere, ſed vnum
Vincere Scotigenam non valuere nouem.

Adr. Torneb. lib. Aduerſar. 1. cap. 2.

Neminem eſſe exiſtimo in Gallia paulò humaniorem, cui Georgius Buchananus non ſit notus, non ſolùm eximius Poëta: verum etiam vir omni liberali eruditione non leuiter tinctus, ſed penitus imbutus. &c.

P. VIRGILII MARO-
nis in Sanctam Inquisitionem Hispanicam

Ad Sereniss. Angliæ Reginam Elizabetham Acrostichis.

I gnipotens Sanctum cui fecit Iberia nome **N**
Q uale vomat virus, quàm sit mala Vipera tact **V,**
I mmemor Humani, diuini nescia iuri **S**
I udicia exercens quoties Mincia saeui **T**
I gnibus, in libro variè describitur ist **O.**
H unc meritò Regina tuo sacramus honor **I**
Sp es ô Saxonidûm fidissima, talia monstr **A**
N oxia mille modis letho quæ, DIVA, dedist **I,**
C uius & auspicijs terra hæc Furia exulat Angl **A.**

Mexentius è Virgil. concinnabat.

CAR. VTENHOuio F. Erudito iuxtà ac ſincero amico S.

Cenſor meorũ carminũ Utenhoui, meos
Commendo fratres hos tibi,
Fratres quidẽ fraterrimos: hoc eſt malos,
Craſſos, ineptos, garrulos.
Tu necte, plecte, cæde, fac gemant ſuis
Uariata terga funibus.
Sin pectus illis non ſit inſanabile,
Medentis vt ferant manum:
Unus mederi poteris, artes cui ſuas
Indulſit vni Delius.
Sic vt profunda conditum caligine,
Ab vſq; lethæis vadis (ſua
NONNUM euocaris, grauiter iratis
Parcis retexi ſtamina:
Et ius Latinæ ciuitatis & togæ
Reſuſcitato indulſeris:
Et qui latebat antè ſquallidus ſitu,

Graiiſq;

Graiysq́ vix notus suis:
Cultu Latino nunc superbus ambulans
Vates vetustos prouocat.
Hunc suscitare qui potueris mortuum,
Fors & meos fraterculos
Sanare penitus si minus queas, tamen
À fauce mortis erues.
Nec id laboro delicato in ocio
Ut suauiter curent cutem.
Satis superq́ est si malignè victitent,
Pannis & annis obsiti,
Laceri flagellis, aridi, famelici,
Quæ vita digna est fratribus:
Diuq́ viuant & pœnas luant diu,
Mortemq́ timeant, & velint.

Edinburgo 1564. Idib. Iunijs.

Qui te vnicè diligit
Buchananus.

Ad Georg. Buchananum Scotum.

Buchanane iubar Tenebrionum,
Qui te Grammaticas tribus vereri
(Censor sit modo Beza) ne vel hilum
Scriptis nuper es editis professus,
Huc accede tuo comes patrono:
Et me (quandoquidem semel vocasti
Censorem quoq; carminum tuorum)
In salsis, mihi quos dicas, Iambis,
Doctorum licet omnium vel vnus
Sis doctissimus, edocendus audi.
Est quod versibus in tuis requiram,
Est quod versibus in tuis refutem,
Est quod te peragam reum Solœci,
Ipsis Grammaticæ tribus magistris
Contra te facientibus, meæq;
Suffragantibus accusationi,
Magno non sine teste Prisciano,
Cuius fuste caput feris colurno
Excidit tibi quando Solœcismus.

Vis paucis doceam ſit ecquid iſtud?
Verſus vel ſemel hos tuos reuoluas,
Te lapſum validis tui Valentis
Conuictus rationibus nec ipſe,
Ni diſpar tibi factus es, negabis.
Commendas mihi ter quaterq; Fratres
Buchanane tuos ſatis ſuperq;
Spectatos mihi: cognitosq; dudum.
Sed quorſum Pleonaſmus ille Fratres?
Fratres dicere ſat ſemel fuiſſet:
Fratres dic ſemel hos, habesq; pictos
Bellè me Hercle λακωνικωζάτως τε.
Cur fraterrimus hic vel ille dictus
Eſt frater tibi, fratre quando Frater
Haud eſt fratrior alter altero, nec
Pater patrior alter altero, nec
Mater matrior altera altera, nec
Soror vel magis hac ſoror vel illa.
Prior nec prior hoc prior nec illo:
Primi dicier ergo non priores

Debebant, hominum Terentianè
Qui se non dubitant vocare primos,
Nec sunt: classis in vltimæ referri
Digni centurias, vel in profundum
Detrudi potius Stygis barathrum.
Ponti -nec magis iste- Fex, nec ille:
Omnes Pontifices fabriq́ Pontis,
Pontis sed Phlegethontis æstuosi:
Omnes Pontifices fabriq́ ponti,
Ponti qui Stygios vomit Cerastas.
Omnes Pontifices, licet nec vnum
Pontem fecerit hic vel ille, Pontem
Præter, (nomē & hinc habēt) Auerni:
In quo Pontibus est opus, Paludes
Riui flumina stagna vbi lacusq́:
Hanc propter quoq́ pontibus libenter
Causam cœlicolæ carent beati:
Hanc propter quoq́ Pontifex & ipse
Causam creditur exulare cœlo,
Cum Consortibus & Phalange fratrum.

Nam

Nam quis Pontibus est locus, vel vsus
Docti Pontificis precor, nec vnum
Flumen repperias vbi? Proinde
Cœlo Pontifices procul, tremendi
Ditis regna petant, petant Auerni
(Illic flumina sunt,) tenebricosam
(Illic Pontibus est opus) profundi
(Illic Pontifice est opus) Paludem.

Valens Coruiuotus H. Prælo currente fundi-tabat.

DV LIVRE DES REgrets de Ioach. Du-Bellay Angeuin, Sonnet.

Buchanan, qui d'vn vers aux plus vieux comparable,
Le surnom du Sauuage ostes à l'Escoissois,
Si i'auois Apollon facile en mon Francois,
Comme en ton Grec tu l'as, & Latin fauorable,

Ie ne ferois monter spectacle miserable
Dessus vn eschafault les miseres de Roys,
Mais ie rendrois par tout d'vne plus simple voix
Le nom de Marguerite aux peuples admirable:

Ie dirois ses vertus, & dirois que les cieulx
L'ayant fait naistre icy d'vn temps si vicieux
Pour estre l'ornement, & la fleur de son aage,

N'ont moins en cest endroict demonstré leur scauoir,
Leur pouuoir, leur vertu, que les Muses d'auoir
Fait naistre vn Buchanan de l'Escosse Sauuage.

A la Royne d'Escosse douariere de France Sonnet de Char. Vtenhoue.

Madame tu m'as faict si bon recueil à l'heure,
Que ie receu cest heur de me voir pres de toy,
Qu'encores auiourdhuy grand aise ie recoy,
A penser seulement au lieu de ta demeure.

Bucha-

Buchanan eſt heureux pour autant qu'il demeure
Chéz celle qui le rang tient de Royne & de Roy,
Et elle heureuſe auſsi d'auoir celuy chez ſoy
Qui fait que de Dauid l'Harmonie ne meure:

Celui qui auiourdhuy par vn nouueau ſentier
Incognu à noz yeulx aux Romains le premier
A monſtré la ſacon d'eſcrire en leur langage.

Deſen Phœbus deſen, pren la querelle en main
Puis que ton Buchanan ſurmonte le Romain,
Que le braue Eſcoſſois ne ſoit plus dict Sauuage.

Elegiæ ad Georg. Buchananum Scotum Fragmentum Mexentij.

In Bullam Papalem, & Bullam Latronem de quo Dion in vita Seueri Imp.

Illita Funigerûm venabula ſanguine Fratrum,
Tinctaq; Purpurei tela cruore Patris
Muſa Caledonijs nuper tua legit in agris,
Lectaq; ſacrauit munera grata mihi.
Néue retundantur tuus eſt præfixus Iambus,
Dentibus Arcadij plus metuendus apri.
Quo te non rabies, non lingua proterua, nec vltrix
Ira repertorem ceu prius Archilochum,

Sed

Sed dolor armauit ſpatio maturus & annis,
  Sed Ratio ſimplex & pietatis amor.
Et meritò: quis enim niſi quẽ haud dolor afficit vllus,
  Ni pietatis egens, ni rationis inops?
Qui ferat orbe truces patulo regnare latrones?
  Itáq; Dei Antitheon quis probet æde coli?
Sunt tibi magna nimis Pater ô Sanctiſsime regna,
  Iugera prouentus ſunt nimis ampla tui.
Cuncta ſed exuperans hominum patrimonia Cenſus
  (Eloquar an taceam?) contigit vnde tibi?
Nobilis hiſtorico memoratur Bulla Dioni
  Mille latrocinijs, mille fuiſſe dolis.
Pluribus è ſpolijs Romani Curia Papæ
  Creuit, & eſt bullis amplificata ſuis:
Quemq; Dion credit fatis ceſsiſſe reuixit
  Saluus adhuc, multis conſpiciturq; locis.
Cernis vt huius opes ope Cerberus ille triformis
  Congerat, & ſummi perdat ouile Dei?
Dic mihi cui vita eſt humana ſimillima bullæ,
  Qui fit in hac ſummum ponat vt ille bonum?
Scilicet haud bonus eſt Dialecticus, hinc etiam illi
  Bulla ὑποκείμενον eſt, vita κατηγορούμενον.

Val. Cor. H. 1568.

Som-

Somnium.

Manè sub Auroram nitidæ vicinia lucis
Pallida venturo cùm facit astra die:
Arctior irriguos somnus complectitur artus,
Demulcens placido languida membra sinu.
Cum mihi Franciscus nodosa cannabe cinctus,
Astitit ante torum stigmata nota gerens.
In manibus sacra vestis erat, cum fune Galerus,
Palla, fenestratus calceus, hasta, liber.
Et mihi subridens, hanc protinus indue dixit,
Et mea dehinc mundi transfuga castra subi.
Linque voluptates cum sollicitudine blandas,
Vanaq; continui gaudia plena metus.
Me duce spes fragiles, & inanes despice curas:
Et superûm recto tramite limen adi.
Obstupui subita defixus imagine, donec
Vix dedit hos tandem lingua coacta sonos.
Pace, inquam, vestri liceat depromere verum
Ordinis, haud humeris conuenit ista meis.
Qui feret hanc vestem, fiat seruire paratus,
At mihi libertas illa paterna placet.
Qui ferat hanc, ponat perfricta fronte ruborem,
At non ingenuus nos sinit ista pudor.
Qui feret hanc, fallat, palpet, pro tempore fingat,
At me simplicitas, nudaq; vita iuuat.
Nec me Phthiriasis, nec rancida cantio terret,
Inq; diem ignauæ viuere more feræ;

Ostia

Ostia nec circum magno mugire boatu,
Si tamen his nugis ætheris aula patet.
Peruia sed raris sunt cœli regna cucullis,
Vix Monachis illic creditur esse locus.
Mentior, aut peragra saxo fundata vetusto
Delubra, & titulos per simulachra lege.
Multus honoratis fulgebit Episcopus aris,
Rara cucullato sternitur ara gregi.
Atq; inter monachos erit hæc rarißima vestis:
Induat hanc, si quis gaudeat esse miser:
Quod si tanta meæ tangit te cura salutis,
Vis mihi, vis animæ consuluisse meæ?
Quilibet hac alius mendicet veste superbus:
At mihi da mitram, purpureamq; togam.

NON TAM ERRATA QVAM *variæ lectiones, emendationes exemplaris deprauatißimi, è coniecturis C. V. qui excusum peruolitauit.*

Pagina 3. Versu 1. Paulum. 10.20.al. scurrá vagus. 11.12 Anchi siaden. 13 3.al. super ingere fascem. 22.19.al. cœpta recludam. 23. 20 ταῦτ᾽. 26.8. Acheronte. 27.11. genitumque. 29.6. extructa. 36 5.al. fœuit. 37.2. humeros. 43.23. lupanar. 25. & 27. inuenies. 44.1. lupis. 2. Gradiuo. 47.10. sacra. 23 canesq;. 50.23. omnium decurs. 55.25. en sub. 57.28. bus tironum turba. 62.7. Phœbæo. 65.27. celat. 65.19. tur Aemonios. 22. auratis. 68.22. iungunt. 69. 18. celant. 70.4. succedant. & 14. Cytherea. 17. pulchra. 20. millia. 71.2. tempora ca. 4. cutis, rub. 10. senatorum. 73.17. Domiduce unico uerbo. 76.9. es test. 77.2. ab Aetnæis. 79.26. Medusæis. 80.1. leuis est. 17. tunc ego. 82.27. vnanimes. 83.18. numina. 86.6. Liuor. 23. præcipitare. 88.15. captiuum. 89.6. amica. 23. ne inc- tuas. 94.9. cupidæq; vid. 97.8. Vicum puer. 98.8. immodicos.

19. Deti.

19.Detinct legat Vtenh. 101.18.pœnas. 102 3.mult. fe. 103 4 & horrida. 105.16. diues. 106.14. innexa. 107.20. al.aerius insinuans. 22.sollicitat. 110.1.gelidos. 16.feruet. 17.ni vino. 111.22. culs fastiis legit Vtenh. 113 22.vincl's 130.21 χάρ τιν. Ibidem, κατέχειν. 22 σιμνοχαριπρεπέων; 23.ἐξ σύ 131.10 ἤ γε σύν 133.4. pote est amare. 138.2.prærogatiua. 141.1.datæ. 144.1.prrp'us. 184.15.premebat. 199.11.vix tenuisse.In Torneb. 3.8. cygneo. 4.33.haberi. 5.25.Visius ausa. 8.24.mométa leonis Vtenh legit. 17. 16. firmabant omina legit Vtenh. 19 3. queis chara fuere. 26.Threicio. 23.2.largæ. 23.honorem. 25.26.asperi. 28 13.Phœbæus olor. 16.nec non. 22.Melitique. 29.18.qui doctoris legat Vtenh.leg. 27.Relliq. 31.18.stribiligine. 36.24 Latonia. 37.17. cæde procerum. 25.modulo. 28.speciosæ front. 33.1. Cytherea. 2.deformibus ora. 4.propinant. 20.charæ. 40.11.omnibus. 21.generat. 41.6.parca fid. 24.metire vir. 42.24. fori fil. 43.21. querelæ. 44.14. viderit Orci. 26.al.at Reg. 45.3.amandat. 10.sceptro. 13.in fastum al se barbara natio tollet. 15.Mendiciq;. 25.Proseuchæ. 29.insontes ducit. 46.12. Sirenum. 13. primum dulces ant. 47.læna. 20.Phœbæos. 24.pectore Merc. 48.23.verum. 49.9.cyathum. 13.ambitione. 16.Non ad. 20.suffragia. 53.al.animisque fauere. 55.17.Hanc pos. 56.27.al.occubasque letho. 57.1. al. Ad manes properans acerbus imos? 9. & 10.legitur in archetypo vt quem fundimus obstrepentis ore vates anseris,&c. 59.2.in Autogr.Torneb.quod penes Vtenh. erat Orco te legitur. 60.3.rellig.4.Dolij. Dolium malè & curtauit & tornauit Turneb. Ibid. 9.10.11.12. Versus in autographo nō extant Vtenh. sed octauum sequitur qui hic in ordine 13 est hoc modo Nam nunc Elysij colis vireta. 62.1.C.Vtenh. D.H.B. Ex Hosp. 73.3.Hirrus & adde comma,. 19 agrestibus. 74.genitrici. 76.6.al.quo sit ritu. 80.15.Fons blandus. 26.Laurea. 81.9.peregrè. 14.per rura,&c. 82.7.domitorem Asiæ. 8.ab scissum. 83.3.tumidum cor. 24.abiere. 84.9.lacessere. 22.videt vsq. 85.10.precamur. 88.13.rediturum. 97.9.Cornelí. 100.22. vetulo. 102.1.accipiunt. 17.premeret. 106.16. Non vnquam. 107.25. Scythis. 108.6. immensi, sump. 28.ingenij. 111.11 tristia. 115.4.nota. 20.studium mirent. 117.17. En. Ex Aurat 120 15. auri. 123. 17. liberata. 127. 5. susis adde & copulam. 128 24. temeraria. 138 2 cœpta cantu. 151.9.cerit ipse. 152.24. fila car. 157.25.Bacche car 158 26.nil. 159 15 querimonias. 160 21.remotis. 166.14.patricium. 168.Graiosque & Latios utraque docta modos.170.21.impetus.

HOC

HOC CONTENTA volumine.

GEOR-

GEORGII BVCHANANI SCOTI, FRANCISCAnus & Fratres.

VNde nouus rigor in vultu? tristisq́; seueris
Frons caperata minis, tardiq́; modestia gressus?
Illaq́; frenatæ constans custodia linguæ?
Quò lepor, et risus abière, salesq́; venusti?
Nec pila delectat, nec rauci in puluere circi
Flectere cornipedem, volucrem nec ducere visco,
Nec leporem canibus, nec certo comminus ictu
Figere ramosi viuacia pectora cerui.
Sæpe mihi humanæ meditanti incommoda vitæ,
Spesq́; leues, trepidosq́; metus, vanosq́; labores,
Gaudiaq́; instabili semper fucata sereno,
Non secus ac nauis lato iactata profundo,
Quam venti, violensq́; æstus, canusq́; magister
In diuersa trahunt, tuto subducere portu
Decreui quodcunq; mihi superesse fugacis
Fata sinent æui, sanctisq́; impendere curis
Finem animæ, et stolidæ lacrymis commißa iuuentæ
Abluere insani citra commercia mundi.
O' sanctum, festumq́; diem, cùm cannabe cinctus

Obrasumq; caput duro velante cucullo,
Auspicijs Francisce tuis animo insitus astris
Præcipiam ætheream terreno in corpore vitam.
Hic scopus, hæc meta est, plenis huc tendere velis
Mens auet, vt stabili tandem statione potita
Irrita fallacis fugiat ludibria mundi.
Si tibi propositum est sanctæ compendia vitæ
Carpere per virtutis iter, nucibusq; relictis
Exerere immersam cæca caligine mentem, &
Ad fontes penetrare boni, tenebrisq; remotis
Tollere perspicuos animi ad cœlestia visus,
Vota quidem laudo, & magnis congratulor ausis:
Sed si degeneris recti seduceris vmbra,
Et sequeris vanum transuerso tramite fastum,
Dum tempus te resq; sinit, cecinisse receptum
Ne pigeat, temerè incœptos nec flectere cursus.
Neu tu sinceri recteq; monentis amici
Despice consilium, nec te plus obsitus annis
Error, & insani moueant deliria vulgi,
Quàm ratio simplex & nullis oblita fucis,
Et veri inuentrix: sed nec me oppedere cœlo
Crede, nec in Diuos rediuiuam attollere phlegram.
Nanq; ego sum teneris semper veneratus ab annis
Pontifices, sanctosq; patres, quos candida virtus
Reddidit æterna dignos in sæcula fama.
Attamen haud quoties longo sub syrmate rasum
Cerno caput, tortum funem, latumq; galerum,
Atq; fenestratum soles captare cothurnum

Cernere

Cernere me paulum credo: nam veste sub illa
Sæpe latent sæui truculenta mente tyranni,
Sæpe latro, lurcoq́; vorax, & fœdus adulter,
Et simulatus amor, fallaxq́; modestia vultus,
Quæ tegit innumeras sub ouillo vellere fraudes.
Ergo caue ne te falso sub nomine mendax
Simplicitas fors transuersum seducat, & illuc,
Vnde referre pedem nequeas, trahat: & puerum olim
Me quoq; penè suis gens hæc in retia mendax
Traxerat illecebris, nisi opem mihi fortè tulisset
Cœlitùs oblata Eubuli sapientia cani.
Et quoniam, vt video, morbo cruciaris eodem,
Siue nocens gramen, magici ue potentia cantus,
Seu genij fraus fortè mali tibi sustulit omne
Iudicium, sæuo mentem excantante veneno,
Experiar furias purgamine mentis eodem
Expugnare tibi, quo me sine fine furentem,
Gaudentemq́; malis, indulgentemq́; furori
Eubuli eripuit diuina scientia docti.
Tu modò ne dubita, monitis nec certius istis
Esse puta insanæ quod ructauêre Sibyllæ.
Ergo vbi lustrali nouies te asperseris vnda,
Signarisq́; nouem crucibus, totiesq́; meracum
Hauseris helleborum, niueo cum flore reuulsum
Moly tenens, memori quæ dicam mente reconde.
Hæc licet à sanctis olim gens patribus orta
Clara quidem niueo morum candore refulsit,
Impleuitq́; sua venientia secula fama,

At nunc posteritas vera pietate relicta
Degenerem quæstum, sordesq́; secuta, caducas
Cogit opes, ficta & sub Relligione pudendos
Occultat mores, & famæ innixa parentum
Seducit stolidum pietatis imagine vulgus.
Et ne fortè tibi præstringat lumina vanus
Splendor, & attonito velut ad spectacula vultu
Suspicias sanctæ simulachra euanida vitæ,
Eia age spectemus quid sit, quod vulgus, & ipsi
Pontifices rerum domini, summiq́; Monarchæ
Tantùm admirentur, quid raso vertice caluum
Conferat esse caput, quid longo syrmate talos
Vsq; tegi, soleasq́; æstiuum admittere solem,
Et quæ prætextu latitent portenta sub illo
Quæ monstra abscondat vestis sinuosa, quid artis
Vana superstitio, mentes vt fascinet æquas,
Est commenta, suas quàm vendat callida nugas.
Principiò huc omnes tanquam ad viuaria currūt,
Queis res nulla domi est, quibus est irata nouerca,
Quos durus pater, aut plagosi dextra magistri
Territat, aut legum timor, aut quos dedita somno
Exercet nullis Lethæa ignauia curis.
Deinde quibus gelidus circum præcordia sanguis
Obstitit ingenio, quos sacro à fonte Camœnæ,
Quos Pallas Phœbusq́; fugat, quos sidere toruo
Aspicit infausto volucer Tegeaticus ortu.
Hi cùm infrugiferæ spatium triuere iuuentæ
Musarum in studijs frustra, iam mollibus vmbris

Sic fracti, nec bella pati, nec ducere remos,
Nec terram in curuo norunt suspendere aratro:
Ergo famem aduersus, violentaq; frigora brumæ,
Hic sibi desidiæ portum, atq; ignobilis otî
Eße rati, huc properant: illis custodia portæ
Creditur, ast alijs cura est commissa culinæ,
Hic hortos fodit, hic viduas circumuenit: illi
Pinguius ingenium est, rus ibit, fallet agrestûm
Vulgus hebes, pueris fragrantia poma, puellis
Amuleta dabit tenero redimicula collo,
Donec blanditijs, fabellisq; admirandis
De Laruis, deq; Empusis, & lumine caßis
Tandem captatum trahat in sua retia piscem.
Adde his quos febris, quos vexat dira phrenesis,
Aut alius cerebri expugnator morbus: in ipsa
Morte siti, cùm iam medicus spondere salutem
Desierit, longa stolidi vertigine iurant
Se, (quodcunq; æ ui placati numinis ira
Iam deploratæ dignetur iungere vitæ)
In Franciscano victuros esse cucullo.
Hîc aliquis sancta pietate Paterculus ardens
Protinus insternit fuscam cum cannabe vestem,
Et caput exscalpit cerebrosum, & somnia blanda
Garrit in auriculam, meritorum mille trecentos
Promittit modios, venias inculcat, Olympum
Defuncto spondet, viuo spondere paratus,
Captatæ potius quàm vel semiuncia prædæ
Vna breuis pereat: Tum spe lactatus inani

Interea miser ægrotus iubet optima quæq;
Deferri ad monachos argentea vasa, tapetas,
Molliculas vestes, & quicquid venditur auro,
Quatenus haud illis nudos fas tangere nummos.
Verùm hæc pinguiculis tenduntur retia turdis,
His cœlum venale patet: si Codrus & Irus
Pauper obit, cessat pietas, non cymbala clangunt,
Nænia nulla sonat, serie nec candida longa
Pompa præit, nullo planguntur funera luctu.
Sed nec Funigeræ minor est accessio turbæ,
Cùm mens vesano inflammata cupidine vultum
Affingit spernentis opes, viliq; paratu,
Incessuq; graui, & ficta probitate loquendi
Seducit stolidam pietatis imagine plebem.
Nec prius ille furens animi satiabitur ardor,
Ambitioq; procax, donec cum fune cucullo
Abiecto induerit regali tempora mitra,
Et quantum fas est mortali accedere cœlo
Scandat, & in terris cœlestes tractet habenas.
Sunt quoq; qui sordes fœdosq; hoc tegmine mores
Posse latere putent, misero vt dent verba popello,
Dum vitæ infami speciosum obtexere velum
Contenti, introrsus pleni ambitionis & iræ,
Inuidiæ & fraudis, Christi prædentur ouile,
Incautum occulto vulgus fallente veneno.
Adijce præterea quos præceps alea nudat,
Quos Venus eneruat, quos & potatio pernox
Eiecit patrijs laribus, quos vrget egestas,

Et

Et quibus haud quaquam res sunt in amore secundæ,
Fastosæq; inopes exclusit limen amicæ,
Quos scelus infamat, tutor quos vrget auarus
Huc, velut ad tutum cunctis est cursus asylum.
Hoc procerum è numero crescit generosa propago
Funigeri gregis: hi patres quibus ille superbit
Ordo sacer, seges hæc orbis moderatur habenas,
Quos metus, ira, furor, mens tarda, ignauia, crimen,
Ambitio, res aduersæ fastidia vitæ,
Durus amor, durus pater, implacata nouerca,
Et mendax virtutis amor collegit in vnum.
Nanq; velut quondam cùm res aduersa premebat,
Ad laqueum, ad præceps, ad toxica, flumina, pontes,
Atq; truces gladios, caligantesq́; fenestras
Cursus erat, duram cupienti euadere sortem:
Sic modò cùm sceleris pudor, aut formido seueri
Iudicis, aut grauior cunctis infamia pœnis
Vrget, ad hunc scopulum Francisci in syrmate fune
Cingimur, & tanquam pariter cum vertice radi
Mens etiam scelerata queat, de sacrilegis &
De parricidis, de furibus, atq; cynædis,
Nos faciet cœli subitos rasura colonos.
Dira suum nunquam mutant aconita vigorem
Vimq́; mali, quamuis auro gemmáue bibantur:
Atq; asinus quanquam Tyrio conspectus in ostro,
Semper erit tardus, lea sæua, dolosus Ichneumon,
Vrsa vorax, auidus vultur, bos mitis, hirundo
Garrula: sic animi non mores exuit atros

Vestis hyperboreas superans candore pruinas.
Nec simul exuuijs positis Maßyla venenum
Vipera deponit, nec Tigris monte relicto
Mitior ingenio est: sic nec transcurrere montes,
Aut mare, vel populi cœtus vitare, vel atra
Veste tegi, aut niuea, corioúe, aut fune recingi,
Aut mendicatum semper corrodere panem
Turbatæ poterit mentis sedare tumultus.
" Semper enim quocunq; loco, quotunq; recessu
" Degeris, vsq; licet Ryphææ frigora brumæ
" Fugeris, aut calidam vicino sole Syenem,
" Te dolus & mentis malesuada cupido sequetur,
Et vigil occultis cruciabere pectora curis.
Nec si marmoreis circundatus vndiq; claustris
Fugeris aspectus hominum, te sæua relinquet
Tempestas vesani animi, te conscius horror
Mentis aget vigilem, tibi diras tristia formas
Somnia nocte ferent, te insano turgida fastu
Gloria sublimem ventosis euehet alis,
Dum furit effractis tandem perrumpere clatris.
Scilicet is nuper contemptus homuncio, qui nec
Prima elementa sonis poterat distinguere certis,
Et quem nec stabulo purgando, olidæ'ue popinæ
Præficeres, rasus, Sophiæq; auctore cucullo
Tectus, erit subitò doctus, sapiens, & honestus,
Et grauis, & prudens: iam de balatrone modestus,
De Lenone pudens, & de latrone seuerus,
Et frater superûm, & cœli penè insitus aulæ.

Frater

Frater dixit, ita est, fratres vetuêre, cauendum est:
Frater erit iudex, causam committere non vis.
Fratribus? in sanctos quicquam caue dicere fratres:
Tantum iuris habet cerebelli insania calui. "
Et miramur adhuc simili si errore vetustas
Crediderit Cadmo serpentis dentibus olim
Esse satos comites, vel si Pagasæus Iason
Horruerit magicos terra prægnante tumultus,
Cùm modò qui fuerat caprimulgus, treßis agaso,
Scurra vagus, subitò mutatus numine mentem
Fiat Aristoteles, Xenophon, Plato, Zeno, Cleanthes.
Nunc quibus hæc studijs gens desidiosa popellum
Captet, & in laqueos viduas trahat, omnia turbet,
Inuoluatq; orbem tenebris, & mobile vulgus
Fascinet occulto sensim serpente veneno,
Si vacat expediam: fraudes, ludibria, furta,
Philtraq;, & arcanas tibi pandere moliar artes.
Primùm vbi detonso vesano vertice, caudex
Qui fuerat, fit homo subitus, ceu vomere Thusco
Erutus ille Tages, vates iam doctus in ipso
Nascendi articulo: discit componere gressus,
Cancellare manus, caput inclinare sinistrum,
Versus humum spectare, oculis defigere limis
Omnia, pallori similem confingere vultum,
Sulphuris affuso circum os, & tempora fumo:
Effugere occursus hominum, compescere risum
Si quis adest, coràm reticere, interq; precandum
Inuitis oculis lacrymas simulare, boatu

Rancidulo in templis natiuum frangere cantum:
Cùm bibitur, calicem digito cohibere sinistro,
Conceptis verbis de somno surgere, mensam
Ponere, adire, referre, iubere, orare, salutem
Dicere, conceptis vrinam reddere verbis,
Scire quibus nodis & quot distinguere funem
Fas sit, vbi facilis pateat venatio prædæ,
Quo pueros fallas, quo tu sermone puellas
In Venerem accendas, viduas quæ retia captent,
Quo regum teneas aures, quæ munera placent
Terrarum dominos, quo vulgus mobile fuco
Decipias, quibus ægrotos in limine vitæ
Illaquees verbis, & testamenta resignes.
Hæc sunt Funigeræ miranda proœmia sectæ,
Vera rudimenta, & sanctæ præludia vitæ:
Hoc est, cur aliquis patriam, charosq; propinquos
Abneget, & dulces obliuiscatur amicos:
Cur vagus, exul, inops, erro, peregrinus, & exlex
More feræ toties mutet præsepe, tot annos
Scurra procax currat, cunctos allatret, in omnes
Sæuus, blandus, atrox, inimicus, amicus, vt aluus
Imperat: hæc illis lex vna & regula vitæ est.
Hæc vbi iam praui docilis præcepta iuuentus
Imbibit, & vitæ sese deuouit inerti
Protinus è caluo senior grege, lippus, inermis
Gingiuæ, tremulusq; manus, rugisq; verendus
Incipit arcanæ latebras euoluere sectæ,
Et sophiam abstrusam placidis recludere dictis.
O iuue-

O iuuenes, inquit, quos torti vincula funis,
Quos tonsura eadem, soleæq́; fenestra reclusæ,
Par votum, vestesq́; pares, atq; otia iungunt:
Iam mihi vix raris variantur tempora canis,
Vox fragilis, latus infirmum, gressusq́; labantes.
Iam propè decurso spatio spectare propinquam
Fata iubent metam, iam quinquagesima messis
Sub calido semper placidè transacta cucullo
Liberat officijs vitæ, fortuna benigna
Me tamen haud frustrà longum seruauit in æuum:
Nam ceu Tiresias Itachum, Priameïus heros
Magnum Anchisiadem iterumq; iterumq, monebat,
Quos peteret tutò portus, quò flectere cursus
Deberet, leuibus fugeret quæ littora velis.
Cur ego vos animæ nostræ pars maxima amicis
Non monitis horter? digressum & pauca sub ipsum
Edoceam? iuuat exhaustos iterare labores,
Et sulcata meis percurrere littora remis.
Principio cùm vestra ætas sic mollibus vmbris
Sit fracta, vt nec bella pati, nec frangere remis
Aequora, nec terram poßit versare ligone,
Et fuget Aonias socors ignauia Musas,
Huc animos iuuenes certatim aduertite, et acri
Mente Seraphinæ mysteria discite sectæ.
Sancta quidem certis fulcitur secta columnis,
E`quibus in primis locuples Confeßio largo
Prouentu est, gnauum non deceptura colonum,
Vt seges agricolam fallat, pulsatáq; tristi

Grandine vix raris ſpumet vindemia prælis,
Et pecus abſtulerit belli furor, vnica nunquam
Artifici imponit CONFESSIO *callida docto.*
Hoc telo armatus noſter ſe Regibus *ordo*
Terribilem oſtendit, ſolioq́; extruſit auito
Quos viſum eſt, alios ad ſumma cacumina rerum
Extulit, & multa ſtabiliuit cæde tribunal.
Nanq; vbi cunctorum ſenſus, ſecretaq́; mentis
Noueris, in promptu eſt tibi coniurata fouere
Pectora conſilijs, timidumq́; in fœdera vulgus
Cogere, vt ignotas poßint expendere vires,
Vel proceres merito de te bene prodere regi.
Ergo, *(vos ſiquidem numerandi crimina curas*
Detineat,) matrona locum ditißima primum
Vendicet, aut dulci aſſuetus Daniſta *lucello.*
Proxima mercator teneat loca, tertius ordo
Nobilium eſt, quos aut ditat quæſita rapinis
Præda, vel innocuo manus oblita ſanguine ciuis
Reddidit inſignes: poſt hos, aut diuitis aulæ
Aſſecla, aut famulus, ancilla, puella, puellus.
Sed neq; lenonem, nec tu contemne latronem,
Spes modò ſit lucri: qui nil quod donet habebit,
Ἐς κόρακας. *Quis enim ſterili committere ſanus*
Semen agro curet? quis inanes irriget hortos?
Hic *vbi ſecretam penitus demiſſus in aulam*
Pectoris, arcanas latebras cognoueris, omnes
Tum facies rerum, tum vafrum Protea *finge,*
Cùm tibi crediderit virgo, quod credere matri,
Quod

Quod socius socio, quod nolit nupta marito,
Tum pete securus quiduis, tum vincula captis
Inijce, tunc humeris quemuis super aggere fascem.
Nam semel arcanæ tibi qui penetralia mentis
Nudarit, penitusq́; alto sub corde repostos
Detexit sensus animi, timet, horret, & odit,
Quamuis dißimulet: sed mens mala conscia pallet
Ne commissa tegas malè vino liber, & ira
Commotus, magnoq́; satis non munere cultus.
Hoc vbi fertilior præda est deprensa capistro,
Posce, iube, rape, stringe, omnem dum spongia succũ
Egerat, exhaustumq́; penum in tua congere claustra.
Nec tamen ætatis, nec te discrimina sexus
Prætereant. Primæ quoniam lanuginis ætas
In Venerem est præceps, lucris addicta senectus,
Virgo capi facilis blandæ dulcedine linguæ
Vana superstitio mentes exercet aniles,
Mercator dulci postponit numina lucro.
Si matrona potens, vel prædæ victima opimæ
Incidit in casses, cautus confinge petendi
Mille nouas artes: caries annosa columnas
Diruerit, sacram Boreas nudauerit ædem,
Claustra latus magna pandant adaperta ruina,
Desint ligna foco, nemorum si diues abundet:
Si locuples agri est, atrum corrodere panem
Finge tuos fratres, languescant pocula vappa:
Rustica cortis aues, agnos, hœdosq́; petulcos
Mittat: ab vrbanis sacræ pete stragula mensæ,

Posce sacras vestes, quodq; oras ambiat aurum,
Quod calicem fractum instauret, quod lignea pingat
Signa, quod in vitreis poßit splendere fenestris:
Det miles prædæ partem, furtiq; latrones,
Mercator fuluis redimat periuria nummis.
Et quoniam teneræ nequeunt donare puellæ
Munera, dent quod habent, quod securæ dare poßũt:
Quæ data non pereunt, quæ frustra nõ data perdunt.
Segnior in Venerem si qua est, accende monendo,
Pande voluptatisq; modos, formasq; latentes,
Quærendoq; doce Veneris quem nesciat vsum.
Talia quærenti facilem quæ commodat aurem,
Sit licet antiquis magis illa seuera Sabinis,
Nosse volet, notum quod poße iuuare putabit.
Interdum tanquam cupias reprehendere luxum
Vestis, & accensum gemmis quod fulgurat aurum,
Lacteolas furtim dextra constringe papillas,
Inq; gradum fractos digito compone capillos,
Et pede tange pedem, dextram dextra, oribus ora:
Sic dices rides, sic molliter oscula iungis:
Oscula commißas inter luctantia linguas,
Sic te tractandam præbes, tractataq; gaudes:
Sic pede, sic digito, sic tu promittis ocello,
Hoc loqueris nutu, tali noctem abnuis ore:
Sic per inoffensas graderis secura tenebras,
Sic aperis limen, sic nullo murmure claudis.
Hæc animo memori præcepta recondite fratres:
Quæq; locus, tempusq; dabunt, quæ sexus & ætas
Permit-

Permittent: hinc diues opum venit annua cura:
Spesq́; voluptatum, charæ sine crimine famæ.
Quòd si quis sanctæ fugiat commercia sectæ,
Sentinamq́; tuæ nolit mandare cloacæ,
Illius ancillas, famulosq́; accerse loquaces:
Inquire in mores, paßim sere crimina, in aurem
Omnibus obganni secreta piacula: quòd si
Criminibus non vlla locum fortuna ministret,
Actaq́; sinceré constet pars maxima vitæ,
Hæreticum clama nitidum prætexere fucum
Occulti sceleris maculis, tacitoq́; veneno.
Sic hos in laqueos trepida formidine, & illos
Credulitate trahes, vel spe, vel fraude vel arte,
Vt captum teneas intra tua retia piscem,
Grande scelus leuibus contentus plectere pœnis.
Nec precibus longis, lacrymisúe piacula dele
Horrida, sed nummis loculos, non pectora fraude
Exhauri, vel templa iube, vel claustra vel aras
Extruat, aut multis redimat ieiunia Mißis.
Hoc quoq; præmoneo super omnia, corda iuuẽtæ
Infice, sopitos accende libidinis ignes:
Semina flagitij in vacuo turgentia campo
Vsq; foue, plenos sceleris dum reddere fructus
Poßint, & latè in pingui regnare nouali.
Hic ager, hæc seges est, hæc nostræ vinea sectæ.
Hunc igitur multo scelerum pinguescere cœno
Effice, & infusis hunc exaturato cloacis.
Non tam Ryphææ metuenda iniuria brumæ,

Atq;

Atq; superfuso tellus submersa profundo,
Aridaq; insolitis candens feruoribus æstas,
Quàm ne discußis tenebris resipiscere mundus
Incipiat, quàm ne patefacto lumine veri
Inspiciat nostras plebecula stulta tenebras.
Sed iam ruricolis labor impendendus, apricos
Iam lustrare iuuat campos, perq; ardua montium
Ire iuga, & latos indagine claudere saltus.
Ecquis iö iuuenes tenebris, et inertibus vmbris,
Posthabitis, strepituq; vrbis, nigraq; popina
Audet in aërios nemorum conscendere tractus?
Bacchatosq; choris Nympharum accedere fontes?
Prataq; purpurea semper renouata iuuenta?
O mihi si calido ferueret corpore sanguis
Integer, & validæ vires, firmataq; neruis
Membra suis, quàm prata libens & florea tempe
Aspicerem, & viridis captans vmbracula syluæ,
Et tremulæ leue murmur aquæ, cantusq; volucrum,
Languida sepositis releuarem pectora curis:
Nunc quoniam hæc nobis inuidit serior ætas
Commoda, & effœtis membris ignaua voluptas,
Vestrum opus hoc iuuenes, vestra hæc vindemia, laxas
Ferte plagas, laqueos innectite, tendite caßes,
Aruaq; Funigero resonent pecorosa Molosso.
Primùm igitur qui rura petis, si mollia tardo
Membra labant æuo (cum nos equitate parentis
Francisci præcepta vetent) aut vilis asclli,
Aut hinni ambigui, aut sterilis preme tergora mulæ,
Carpe

Carpe viam pedibus iuuenis, nec munera desint,
Quæ faciles capiant animos, pictæue tabellæ,
Aut scelerum veniæ simulachraue plumbea, imago
Chartea, vel paucis venalia munera nummis.
Nam neq; piscator sapiens radiantibus auro
Piscem hamis captat, nec serica retia tendit.
Sæpe & odoratis oneretur mantica pomis,
Sæpe pirum, primamq; manu decerpito ficum.
Pisce etiam piscis capitur, grus capta volantes
Fallit sæpe grues, nec sperni vilia credas
Munera diuitibus: Cernis quàm parua feroces
Vincla feras teneant, quàm paruos currat ad hamos
Mulus: virga tenet grandem viscata volucrem.
Adde, quod haud cunctis est vtile retia syluis
Tendere, nec Mulus quauis capietur in vnda,
Nec laqueo accipitres venatur callidus auceps,
Nec Cererem dabit omnis ager, nec Maßicus humor
Aspera purpureis vestit dumeta racemis.
Dispice propterea, quo tendas retia saltu,
Cui laqueos prædæ, quem fallat linea piscem.
Nec tibi sum (multis licet hoc arrideat) auctor,
Vt sacra dißimulet teneram rasura puellam,
Quæ fessa anxiferis soluat præcordia curis,
Ambigua quamuis sexum mentita figura
Decipiat multos, tamen hinc discrimina mille,
Mille manent casus: sæpe haud frustrata sagaces
Suspicio occulti pandit vestigia furti,
Sæpe etiam læsi grauis imminet ira mariti,

B Perse-

Persequiturq; fugam, & rapta pro coniuge sæuit
Bella ciens: sacræ non illum infamia sectæ,
Non pudor, aut pietas poterit cohibere furentem:
Dedecus in vulgus profert, rumoribus iras
Expiat, in cunctas serpit noua fabula cœnas.
Aut si turgidior mouit præcordia bilis,
Vel resecat ferro peccantia membra, vel arcto
Fune ligans tendit, vel terga caputq; colurno
Fuste domat, sanctā haud veritus temerare coronam.
Arbitror & vobis notum, quod contigit olim
Burdegalæ, nec, si ignotum est, narrare pigebit.
Obfuit exemplum patribus, fortaße nepotes
Instruet. Eximia quidam pietate probatus
Frater erat, quo non quæstus studiosior alter,
Nec magis edoctus laqueo implicuiße tenaci
Pinguiculas viduas, stupidoq; imponere vulgo.
Hic vbi iam multos prædator callidus annos
Santonicos lustraßet agros, & vtrumq; Garumnæ
Littus, & antiquæ felicia rura Tholosæ:
Tandem Burdegalam fatis vrgentibus intrat
Cum consorte viæ, nouies cui turgida pleno
Orbe diem admorat partus Lucina propinqui,
Illa rudis miles, tumidi dum crimina celat
Iam matura vteri, colluctaturq; dolori,
Audet iter, longosq; viæ perferre labores,
Nec timet irato sese committere ponto:
Tantus amor sacræ penitus se addicere sectæ.
Ecce autem pronum dum findit puppe Garūnam,
Fluctuat

Fluctuat & tumidis pinus vexata procellis,
Heu bene celati patefecit damna pudoris,
Dum timor introrsus gemitusq; & verba retentat,
Dum labor in veras cogit prorumpere voces,
Editus in medijs infans euagijt vndis.
Pars facti nouitate stupet, quodq; audijt ipsa
Vix audisse putat: petulantior altera risu
Personat: ast alius tumida succensus ab ira
In mare præcipitem monachum, & cũ prole parentẽ
Proturbare iubet, letoq; abolere nefandum
Dedecus, & monstro miseram releuare carinam.
Hinc tumidos fluctus, pontoq; furente procellas,
Ventorumq; minas, & apertam numinis iram.
Si quis adest animi pius, & moderatior iræ
Occultare cupit facinus, parcitq; benignus
Errori, humanos prudens expendere lapsus,
Agnoscitq; suas alieno in crimine vires.
Ergo dum trepidant discordia pectora vulgi,
Nautarumq; fremit per littora rauca tumultus,
Infelix frater turbæ sese insinuans clam
Tramitibus cæcis elabitur, oraq; velans
Vertice demisso peregrinas exul ad vrbes
Mœstus abit, pœnasq; domi, famamq; sinistram
Formidans, miseramq; gemens cum prole puellam,
Quam solam, atq; ægram nuda liquisset in acta
Inter inhumani risum & ludibria vulgi.
Ipse ego tum validus, viridiq; in flore iuuentæ,
Nec linguæ nec vocis inops, nec flectere corda

Plebis inexpertus stolidæ rumore secundo,
Vix tamen aduersæ gliscentia murmura famæ
Flectere, vix potui populi compescere voces,
Sæpe licet verbis factum execrarer amaris,
Auctorem sceleris comitem licet esse Lutheri
Iurarem sanctæ latitantem nomine sectæ.
Nec minus in terra comes est infamis Ibera
Pusio, sed forsan minus est formidinis illic,
Quòd Veneris nullo produnt commercia partu.
Sed quid opus toties sese obiectare periclis,
Et non parsuræ cuiquam committere famæ,
Cùm liceat tutò, liceat rumore secundo
Vndiq; securos Veneris decerpere fructus?
Neue mihi fatuas ruris sectare puellas,
Custodesq́; gregis calido sub sole recoctas:
Sed si qua est matrona potens, & militis vxor
In locuplete domo viduas exercita noctes!
Dum bello externis vir debacchatur in oris,
Interea vacuos valido tu Marte penates
Oppugna, nec blanditijs, nec parce querelis,
Nec precibus: primus si non patefecerit arcem
Impetus, haud animi timidus frangare, sed infer
Arma audax, viduæ interdum miserere puellæ,
Ingratum nunc finge virum cum pellice noctes
Ducere, deserto dum secubat illa cubili:
Crede mihi obsepti perfringes claustra pudoris,
Atq; aliqua inuenies aditum, votoq́; frueris,
Præsertim occultos tibi cum Confeßio sensus

Nudet,

Nudet, & integrum non sit simulare pudorem.
Sic tibi per cunctos grassari impunè penates
Fas erit, & geminos pariter decerpere fructus.
Nanq; vbi prostrati perrupit iura pudoris
Fœmina, neglecto redimet sua gaudia censu.
Penè mihi exciderat, quod primùm penè monere
Debueram gnauos ruris genialis alumnos,
Vt quid quæq; domus præstet, quid vir, mulier úe
Quæq;, sit in memores id cura referre tabellas,
Ne, noua cui fuerit prouincia tradita sorti,
Annua vel redimit qui vectigalia, vel qui
Hospes ad externas, vt fit, proficiscitur vrbes,
Erret inops animi, dubius cœnæq; larisq;,
Quæ petat ignarus, quæ vitet tecta, quid inde
Speret, vbi certum faciant mendacia quæstum.
Atq; vbi successor te tardum exceperit æuo
Iunior, huic tabulis descriptum tradere censum
Non satis, arcanis muliebria nomina saltem
Punge notis, si qua est animo obfirmata rebelli,
Si qua procax, simplex, incesta, proterua, benigna,
Cuiq; notent mores proprijs discrimina signis.
Sed me præteritæ suauissima mentio vitæ
Longius ac volui tenuit. Pars maxima rerum
Restat adhuc, sanctæ columen, caput, anchora sectæ.
Nam vaga sub certas comprendere crimina formas,
Et se prodentes animi pernoscere mores
Artis opus modicæ est, celeriq; addiscitur vsu,
Inq; peragrandis sola est industria villis.

At verò è celsæ sublimem sede cathedræ
Mille oculos in se intentos, auresq; tenere,
Et velut iniectis tot circunflectere frenis
Ora hominum, & resides animos turbare tumultu,
Et molli alloquio trepidos componere motus,
Magnæ mentis opus, cui sit solertia prudens,
Ingeniumq; capax, proiecta audacia, promptus
Sermo, pudor nullus, firmum latus, acer in ore
Cui vigor, & vocis sonus asper, lenis, acerbus,
Vt res cunq; feret: cui vultus cereus, omnes
Transire in formas docilis, mens subdola, fallax,
Et recti prauiq; tenax: pro tempore fingat,
Dißimulet, simulet, præsens vbi postulat vsus.
Hæc quotus in turbæ quisq; est tot millibus vnus
Qui præstare potest? nisi si cui fortè benignus
Deucalion raro finxit præcordia saxo.
Nec tamē expectet quisquam dum Rhetora fingēs
Diuitis eloquij prima incunabula pandam,
Et vulgata scholis paßim præcepta reuoluam,
Tradere quæ poßit triuialis cura magistri,
Vos ô Calliope precor aspirate canenti,
Maius opus moueo: sed nec per deuia Tulli,
Aut Fabij longos te circunducere tractus,
Aut per Aristotelis spineta asperrima conor.
Commodius patefiet iter, qua nulla salebra
Offendet pulsata pedem qua semita nostris
Trita rotis noto deducet limite greßus,
Mollia cliuosi dirimens compendia prati.

Pri-

Primùm iter ingreßus tenerum de fronte pudorẽ
Excute: nec vacuæ est vnquam pudor vtilis aluo,
Nec decet audacem nisi ficta modestia scurram.
Quòd si naturæ vitio malè firma ruborem
Frons trahit, & subitas confundit purpura malas:
Tum tibi vel frictus, vel Bacchi largior vsus,
Curáq; & aßiduæ meditatio garrula rixæ
Durabit solidum rubicunda per ora cruorem.
Nec te Grammaticas opus est ediscere nugas,
Et tetricis languere scholis, tantùm elige gnomas
Priscorum è libris paucas: tria commata Tullî,
Virgilij totidem versus, vel carmem Horatî
Dimidium. hæc omnis ceu condimenta loquelæ
Semper habe in promptu, sic crescit opinio, surget
Hinc decus, & stupidi magna admiratio vulgi.
Noui ego, qui tantum ter quinq; Latina teneret
Verba, sed ingenij sic dexteritate valebat,
Vt quocunq; loco, de re quacunq; parata
Semper, & ad nutum posita in statione teneret,
Ταῦτα ἀπαμειβόμενος &c. *nec te vox barbara turbet,*
Aut temerè erumpens lingua titubante solœcus:
Tot sanctos oppone patres, mysteria sacra
Turpe est Grammaticis submittere colla capistris.
Nec mihi displiceat primo muliebria paßus
Flore æui, hinc effrons audacia nascitur, atq;
Fœmineum in morem rixandi insana voluptas.
Cura sit in primis tibi linguam armare veneno
Verborum, Aethna animas, animas tibi torreat Hecla,

 Tarta-

Tartara sulphureis voluant incendia fumis
Mixta, tibi nigris Phlegetontias vnda cerastis
Bulliat, & miseras lacerent Cacodæmones vmbras,
Donec fracta crepent longis subdentibus ossa.
Nec minus horrendos purgatrix flamma vapores
Euomat, æterno nisi quòd non æstuet igne,
Sed precibus vinci queat, & lustralibus vndis
Extingui, Bullis minui, Missisq; leuari.
Hic ager est diues, nostriq; Colonia Papæ:
Nectaris hic fons est, hæc vectigalia nostri
Ordinis, hæc fatuo tenduntur retia vulgo.
Ista relegatos cœlesti à limine manes
Contineat sedes, donec mercede soluta
Extrahat è calida excoctos fornace sacerdos
Is musset Missas, venijs venetur, & vndis
Irrorans magicis findat caua busta susurris:
Sed tantum dites cruciatu liberet vmbras.
Ista tibi ad populum clamanti sylua ministret
Tela: nec vt desint metuas, dum scripta manebunt
Virgilij, dum Lombardi Rhapsodia, Thusci
Nugæ Antonini, sacri commenta legentur
Gregorij, vel mendici mendacia Thomæ.
Néue ruant lapsis tam ditia tecta columnis,
Quæ super æternam posita est Ecclesia petram,
Tu Petrum super ædifica, qui claudere cœlum,
Tartara qui solus poßit, nec tartara tantùm
Soluere, sed loculos fatuorum, arcæ sed auaræ
Vincula, sed stantem plenum ad præsepe iuuencam.
Hæc

Hæc qui sacrilegis ausit conuellere verbis
Schismaticus sit, & Hæreticus, sit terris Auernæ
Ollæ, opifex scelerum, Furiarum filius, Orci
Germen, & in mentem quicquid tibi splendida bilis
Suggeret: huc omnes tonitrus, huc fulgura linguæ
Congere. proq; focis hic depugnetur & aris.
Frigida tu Christi, & comitum præcepta seueris
Linque scholis: aut si quis adhuc antiqua requirat
Antiquarius, & veterum ieiunia patrum,
Tu mihi crede tuæ semper memor esto culinæ.
Et quoniam in proceres vulgus maledicta libenter
Accipit, & fandi hæc latè patet area: bella,
Furta, latrocinia & vis, fraus, iniuria, cædes,
Atq; ingens scelerum semper sese offeret agmen:
Illic tela tuæ poteris distringere linguæ.
Res tamen hæc populo longè est gratissima, quãdo
Ordo sacerdotum est acri perfusus aceto.
Nec locus est alius fœcundior, vt neq; in vlla
Parte magis vitæ regnante libidine tetra.
Hic & crassorum licet abdomen monachorum
Arripere, hic luxum, cœloq; minantia tecta
Pontificum, fractiq; malis alimenta popelli
In fumum & cinerem conuersa, domestica castra
Scortorum, scelerum artifices, mollesq; cynædos,
Lenones, scurras, balatrones psallere doctos
Semiuiros, gestire manu, pede plaudere terram,
Et condire nouis exotica fercula succis:
Præsulis hæc sancti quando est non vltima virtus

Maiorum à magna non degenerare culina.
Interea fac ſtet mendicus ad oſtia Chriſtus,
Imploretq́; fidem vinoſi antiſtitis algens,
Et ſitiens, ſaniemq́; vno non vlcera ſtillans,
Nec ferat vllus opem, niſi fortè canicula blanda,
Et ſaturo domino clementior vlcera lambat.
Hic poteris totum Bernardum *effundere, manes*
Ex Archeronte ciere, animæq́; audire querelas
Implorantis opem. Sed quid numeramus arenam
Littoris? hîc nunquam mihi crede oratio deerit,
Dum Papa *omnipotens* Capitolî *immobile ſaxum*
Accolet, imperiumq́; Pater *coleatus habebit.*
Ne nimium Sodomam *tamen, infamemq́;* Gomorram
Ingere, doctores ne culpa redarguat ipſos.
Hac vbi iam fueris ſat debacchatus arena,
Et proceres licuit populo laniare ſecundo,
Collige paulatim tete, proceresq́; iacentes
Erige, ſint ſontes, & nullo à crimine puri.
Non tamen his cuiuis fas obgannire, nec arcto
Soluere colla iugo, quamuis moderetur habenas
Sacrilegus Iudas, Romanaq́; *templa gubernet,*
Trudat & innumeros ad pallida Tartara *manes,*
Priuato mutire nefas: rapiatq́;, feratq́;,
Et laceret totum conuulſo cardine mundum.
Tu tacitus ſpecta, dices, mundiq́; ruentis
Vindictam permitte Deo: *citiusq́; parentis*
Inualidi iugulum ferro reclude, profana
Quàm violes dextra raſi malè ſanus honorem
Verticis,

Verticis, vxorem quamuis manifestus adulter,
Et natos, natasq́; tuas compresserit, & te:
Sed nube, atq; tace potius, nullumq́; recuses
Flagitium, quàm traducas quos vnctio sanctos
Et rasura facit, sacræq́; Licentia Bullæ.
His vbi præceptis molles calfeceris aures,
Tum licet adijcias magnæ primordia Missæ:
Quoq́; sacerdotum gentem decorarit honore
Cœlituum pater: vt soli sibi fingere numen
Murmure verborum poßint, tenuiq́; farinæ
È massa generare Deum, gentiumq́; repentè
Frangere, sacrato fractum mersare falerno,
Visceraq́;, & carnes, cumq́; albis ossa medullis,
Semianimesq́; artus auidam demergere in aluum:
Tanta sacerdoti cùm sit permissa potestas,
Quam neq; purpurei poßint sibi sumere reges,
Quisquis & æthereos bonus angelus incolit orbes,
Quisquis & infernas malus angelus incolit vmbras,
De pane vt numen faciant, de numine ??
Vnde homini fragili hæc proiecta audacia, vt ausit
Christophorum vel Christiuorum violare nefando
Sacrificum verbo, aut sceleratam impingere dextrā.
Sic in sacrificos iaciens conuicia vulgus
Conciliare potes: sic rursum auertere læsi
Iram sacrifici poteris, cùm numinis instar
Efficies sacrosanctum, atq; à formidine duri
Iudicis exemptum: quamuis fregiße paternum
Vicini clament iugulum, matrisq́; morantis
Vota

Vota Sibyllinam laqueo finiße senectam.
Nam velut ex vsu est cunctis afferre timorem
Ordinibus, cunctos sic conciliare necesse est,
Vnde vel exigui fulgebit specula lucri.
Vnum illud moneo, atq; iterumq́; iterumq́; monebo,
Et tamen haud vnquam monitum satis eße putabo.
Tarsensis fuge scripta senis, fuge toxica nostri
Ordinis. O primis vtinam periisset in annis,
Aut mansißet adhuc hostis: licet, antè renatus
Viuifica quàm lympha esset, tam multa dedisset
Funera, grassatus ferro, ingentiq́; procella
Afflixisset adhuc tenerum pietatis ouile:
Plus tamen adscriptus nobis, plus factus amicus
Obfuit: & nisi Funigeri præsaga parentis
(Cornua cui nomen dederant) oracula fallant,
Tempus erit, cùm Paulinis malè credula scriptis
Turba sacerdotes templis expellet, & aris:
Quæq́; propè in terris ædes imitantur Olympum
Diruet, & cineres diuorum atq; ossa profundo
Merget, & immisso victricis lumine veri
Ostendet populo mysteria nostra profano.
Illa meo (siquidem ventura est) serior æuo
Hora precor veniat. Sed vos quibus imminet ingens
Tempestas, vigilare decet, cunctosq́; monere
Opportunè, importunè ne incauta iuuentus
Occulta attingat prorsus mysteria Pauli,
Neüe in vulgares vesana audacia linguas
Transferat, indocto non committenda popello.

Quæ quia non penitus fas est abolere, probata
Tot ſerie annorum (quæ cautio proxima) ſaltem
Efficite vt vulgus tenebris velut abdita cæcis
Sorbonæ hæc ſenibus lippis tractanda relinquat:
Sed tum cùm reſides acuerunt pocula ſenſus.

Noſtra licet ſuper has ſit ſecta extuncta columnas
Præcipuè, non pauca tamen, nec parua ſuperſunt:
Sed propè iam vulgata, nec artis egentia noſtræ,
Nec vocis: ſed quiſq; ſibi quæ tradat, & vſu
Addiſcat, thalamos ceu conciliare iugales,
Aut malè coniunctas cauſando ſoluere tædas,
Aut vbi deprenſo rupta eſt concordia mœcho
Vxori à duro veniam impetrare marito.

Illa tamen patribus ſeges olim vberrima noſtris
Fingere nocturnos lemures, maneſq́; vagantes
Luſtrali compeſcere aqua, magiciſq́; ſuſurris,
Frigida nunc tota eſt: poſtquam naſuta iuuentus
Pectora craſſorum malè credula ridet auorum:
Nec credit niſi quæ ſcriptura teſte probaris:
Coniurata licet magnis Sorbona ſigillis
Figmenta affirmet. Verum melioribus annis
Hæc thalami clauſas frangebat machina portas,
Hæc teſtamenti tabulas mutabat, & ibat
Vir peregrè Romã, aut Solymã, dum tædia mœchum
Iam ſibi permiſſi caperent lecti: aſt vbi diues
Vmbra oblita ſui paucas in funera Miſſas
Legarat, potiuſq́; ſuis bona linquere natis
Duceret excedens, quàm noſtros vngere caules,

Non

Non impunè nefas soliti id perferre Priores.
Is dolor arma dedit generosis fratribus vndam
Ad Ligeris, quâ diues agri, quâ diues Iacchi
Ostentat longè formosa Aurelia turres.
Et nisi cauta parum pietas in fraude paranda
Inter tot vigiles Argos deprensa fuisset,
Partus honor nostræ foret & dignatio sectæ,
Sæpe quidem nobis facimus mala multa: velut cùm
Alter in alterius damnum sese ordinis armat.
Berna nouum sibi Franciscum iam finxerat, & iam
Stigmata clara pedum, & manuum confixa patebãt:
Ni vicina dolens augescere commoda liuor,
Ficta renudasset magno ludibria risu,
Nec damno leuiore. Italæ sapientia maior
Illa oræ, quæ Senensis tacitè Catharinæ
Vulnera dißimulans pensat mendacia quæstu,
Barbaricumq; ad sese his artibus attrahit aurum.
Sed tamen hoc æuo temerè miracula fingi
Noluerim, nisi monticolas inter crassosq;
Pastores: nec pastores iam spernere tutum est:
Quando etiam in solas migrat sapientia syluas.
Quis rigidos Scotos gelidi sub vertice cœli
Aut animum, aut aures, oculosúe habuisse putaßet?
Et tamen ille catus vetularum Langius auceps
Cùm teter locus errori, & nox cæca faueret,
Non potuit celare piæ ludibria fraudis.
Campus erat latè incultus, non floribus horti
Arrident, non messe agri, non frondibus arbos,
Vix

Vix sterilis siccis vestitur arena myricis:
Et pecorum rara in solis vestigia terris:
Vicini deserta vocant. ibi saxea subter
Antra tegunt nigras Vulcania semina cautes:
Sulphureis paßim concepta incendia venis
Fumiferam voluunt nebulam, piceoq; vapore
Semper anhelat humus, cæcisq; inclusa cauernis
Flamma furens, dum luctando penetrare sub auras
Conatur, totis paßim spiracula campis
Findit, & ingenti tellurem pandit hiatu.
Teter odor, tristisq; habitus, faciesq; locorum:
Illic sæpe animas torqueri Langius, illic
Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces
Audijt, aut voluit credi audiuisse frequenter,
Et vitulabundos cacodæmonas, & per arenas
Caudarum longos sinuatim ducere tractus.
Sæpe etiam infernæ (quoties ieiunus adibat
Antra) sibi visus nidorem haurire culinæ.
His vbi iam vulgi stolidas rumoribus aures
Imbuerat, parat Exorcismum, circulus ingens
Ducitur, hunc intra spatio breuiore minores:
In medio stabat palus, iuxtaq; catinus
Plenus aquæ, sed cui cineremq; salemq; sacerdos
Addiderat multo cum murmure, nec sine anhelis
Flatibus. hoc postquam scena est instructa paratu,
Langius ipse pater sacro venerandus amictu,
Circum omnem irrorat setosi aspergine sceptri,
Verbaq; præcipiti contortuplicata rotatu
Con-

Conuoluens, cœlum ac terras adiurat, & vndas,
Et tremefacta imis Acherontia regna cauernis.
Et iam nox aderat secreti conscia sacri,
Iamq; è vicinis populus conuenerat agris,
Matres atq; viri, pueri innuptæq; puellæ,
Scire auidi quò tanta cadant promissa, nisi ille
Conscia secreti formidans lumina & aures
Esse procul magna iussisset voce profanos:
Quiue sacerdoti non illa luce disertè
Cuncta susurrasset tacituram crimina in aurem.
Laica ne trepidi fugiant commercia manes,
Neue inhians prædæ vel iciunus Cacodæmon
Inuolet, & laceret sceleratorum vnguibus artus.
Ducitur ad palum velut hostia Rusticus ipse,
Ficta quidem gnarus cuncta, at formidine tanta
Attonitus, quàm si Stygia egressurus ab aluo
Aspiciat nudas mandentem Cerberon vmbras,
Siue animo timor à puero conceptus, aniles
Fabellæ haud modicus pueris plorantibus horror,
Siue locus fumo, & cæca caligine opacus,
Et velut infernæ terrebat imago culinæ.
Cætera submoto clàm cuncta peracta popello:
Sed tamen audiri gemitus, vocesq; minantis
Dæmonibus, mixtæq; preces, nulloq; rogante
Interdum responsa dari: nunc tollere vultus
In cœlum, nunc figere humi, nunc plangere pectus
Langius, & sacra templum conspergere lympha,
Donec auis lucis prænuncia spectra moneret
Cedere

Cedere, & in veterem se denuò condere nidum.
Tum templo egreßi, dicenda tacenda referre
Langius, vmbrarum pœnas, flammæ rapidam vim
Lustralis, quot carnifices cacodæmones ollas
Admoueant, verubus quot figant, fluctibus vmbras
Quot mersent gelidis, quot Mißis cuiq; leuetur
Pœna, velut ciuis Stygio vixißet Auerno,
Ordine cuncta recensebat: neq; credula deerat
Turba homini: purgatricis rediuiua fauillæ
Gloria crescebat multùm indignante Luthero:
Et creuisset adhuc, nisi vel formidine captus,
Vel pretiò victus, vel vino rusticus ille
Anormis comes, Exorcismi proditor eheu,
Cuncta reuelaßet taciti mendacia sacri.
Ex illo fluere, & retrò sublapsa referri
Spes prædæ, & nimium viuacis gloria veri
Crescere. Quapropter moneo dehinc fingite parcè
Somnia nocturnos lemures, miracula, ni fors
Aut apud extremos fieri dicantur Iberos,
Americósue, aut Aethiopas, calidóue sub axe,
Et caput ignotis vbi Nilus condit arenis,
Vnde aderit nemo, qui testis dicta refutet.
Forsitan externos solertia fugerit hostes
Callida, sed pestem natam intra viscera, & ipsis
Hærentem venis hominum vix vlla cauebit
Cura, nisi nostros vis prouida numinis olim
Respexisset auos, iamdudum Funiger ordo
Proditus à proprijs miserè perijßet alumnis.

Si quis erit fratrum, qui ſuaſus dæmonis auſit
Efferre in vulgus myſteria condita, fraudes
Occultas, ritus nocturni arcana, negatum
Depoſitum, cæſas poſt ſtupra nefanda puellas,
Quicquid & extinctis frater patrare lucernis
In fratres ſolet imberbes, hæc prodere ſi quis
Audeat, extemplò ſcelerato ſanguine pœnas
Soluat, & æterna compoſtus pace quieſcat.
Hæc ſunt, quæ noſtro liceat ſermone monere.
Et iam plena epulis menſarum fercula fumant,
Latrantemq; fame ſtomachũ prope verba relinquũt.
Hactenus Eubulus, qui facta nefanda peroſus,
Funigerûm pœnas etiam metuebat acerbas,
Orgia non veritus populo euulgare profano,
Is mihi carminibus luſtrato, & ſulphure, & ouo,
Et viua rorato vnda cerebroſa fugauit
Somnia, de raſis, de cannabe, deq; cucullis,
Inq; hominum nugis ad lucra nefaria fictis,
Nulla eſſe ad vitam docuit momenta beatam.

GEORG. BVCHANANI
Franciſcani finis.

GEORGII BVCHANANI Scoti, *Fratres Fraterrimi.*

In Antonium Tomarium Abbatem.



Fama prisci laudibus sæcli tumens,
Præsens superbo despuens fastidio,
Accede, specta quid priorũ tẽporum
Opponat ætas nostra magniloquentiæ:
Non quod Platoni, rancidoúe Socrati,
Sophisq; falso dictitatis compareT,
Sed Christianæ puritatis vnicum
Exemplar, vnum specimen, vnam imaginem,
Vnamq; vitæ corrigendæ regulam,
Vnumq; Christi proximè vestigia
Qui persequatur, indicetq; cæteris,
Vitamq; vita penitus exprimat sua,
Antonium Tomarianum Antistitem.
Christi parentum nemo vidit alterum,
Nec ipsa mater nouit Antonì patrem.
Vterq; pastor, noster hac parte est prior,
Hic pascit herbis, ille verbis pauerat.
Vt quinq; panibus ille quinq; millia
Saturauit, iste (ne saturitas noxia
Animæ inquinaret puritatem) vt arbitror,

Ad quinq; panes quinq; plebis millia
Redegit, vt si quid superſit,(vt reor)
Fragmenta poſſet abſq; cophino tollere.
Vt ille vera vitis,hic verus meri
Eſt vter:ille verba ſerit,hic viros.
Piſcator hic,piſcator ille,retia
Vterq; tendit diſpari compendio,
Comprendit ille pauculos pauperculos,
At iſte clauſtra plena monachis pinguibus.
Aucupibus hic eſt atq; venatoribus
Comitatus,olim vt ille piſcatoribus.
Et hic & ille crediti cum fœnore
Exactor aſper,dena vtriq; altera decem
Talenta, quinq; quinq; pariunt altera.
Quæ ſparſit alius hic & ille colligit:
Quæ ſerit alius,hic & ille demetit.
Cum publicanis atq; peccatoribus
Libenter ille cœnitare dictus eſt,
Cum publicanis atq; peccatoribus
Sic ratio noſtro ſemper eſt Antonio,
Vt penè decoris immemor,lucri memor
Publicanus eſſe non recuſet:pauperum
Secuta Chriſtum turba ſemper eſt comes,
At iſte latè quàm patet vicinia,
Agris propinquos pauperes reddit ſuis,
Quorum caterua qua nequit pedibus ſequi,
Diris, probriſq; ſequitur & conuicijs.
Chriſti perunxit vna peccatrix caput,

Pedeſq;

Pedesq; lacrymis lauit, extersit comis:
Istius humores, colla, pectus, brachia,
Caput, pedesq; & crura, ventrem & ilia
Si scire cupias quot meretrices lauent,
Tergant, refoueant, induant & exuant,
Scies facilius quot capillos verticis
Ex area alba tonsor illi demetat.
Christus paternam iam reuisurus domum,
Fidis tuendum comitibus gregem dedit:
At hic Auernam iam reuisurus domum,
Monachis tuendum pinguibus gregem dedit.
Paßim per agros iam cucullati patres
Oues sequuntur, & colono paupere
Cum prole pulso sordida late solum
Pastore monacho paret vni Antonio,
Vt per propinqua rura grex sit vnius,
Et vnum ouile, & pastor vnus: vnica
Sed pars omissa est, vnicam quam maximè
Agere decebat. Christus immeritò vt luit,
Sic iste meritò luere pœnas debuit.
Sed iusta si quid vota pauperum valent,
Quos laribus inopes expulit, sontem hæ manent
Inter comantes angue torto Erinnyas

In Beleagonem.

Beleago fomes & parens mendacij,
Ab ore cuius pauida veritas fugit,
Mali susurrat nescio quid clanculum,

At fama de illo non susurrat, sed palàm
Hoc vniuersus populus affirmat, quòd est
Beleago fomes & parens mendacij,
Ab ore cuius pauida Veritas fugit.
Hoc igitur æquus æstimator iudicet,
An mentiatur populus vniuersus, an
Beleago fomes & parens mendacij,
Ab ore cuius pauida Veritas fugit.

Imago ad peregrè venientes religionis ergò.

Fare agè qui terras lustras vagus hospes & vndas,
Quid petis hinc? longæ quæ tibi causa viæ?
Non Deus hic quisquã, nec imagine numen in ista est,
Nos lapis, & tantùm putria ligna sumus:
Vermibus esca, cibus tineis, domus hospita blattis,
Opprobrium cœli, ludibriumq́; soli.
Non capiunt humiles numen cœleste penates,
Structa nec humana saxea tecta manu.
Quem mare, quem tellus, quẽ non capit igneus æther,
Clauditur in nullo spiritus ille loco.
Vt Christum inuenias, animi secreta reuolue,
Aut lege fatidici quæ cecinere patres.
Aut quæ diues habet paßim circumspice mundus,
Hæc vera est ædes, hoc penetrale Dei.
At quisquis picto gaudet dare basia trunco,
Craßaq́; puluereo lingere saxa croco.
Dignus morte perit, qui mortua viuus adorat,

Et vi-

Et vitæ in fragili spem sibi ponit humo.
Si te picta iuuant, cariem ne perline trunci,
Sed vera mentem simplicitate tuam.
Hac ratione domi poteris reperire, quòd omnes
Erro vagus terras, sic peragrando, fugis.

Ad Pasquillum.

Præsule de Paulo præsul doctissime vatum,
Pasquille dic quid sentias.
Nec melius paulò quicquam est antistite Paulo,
Et peius est Paulo nihil.

Ad Elisabetham Serenissimam Angliæ Reginam, Ode.

Quamuis vetusto stemmate splendeas
Regina princeps optima principum,
Quacunq; magnum sol per orbem
Flammiferos agitat iugales.
Quamuis feroci Marte subegeris
Hostes rebelles, & populi feros
Motus, & insanos tumultus
Lenieris, sine cæde, victrix
Virtutis inter tot titulos tuæ, &
Laudum perennes fulget adoreas
De fauce auarorum latronum
Relligio pia vindicata.
Iam nulla saxis figimus oscula,
Nulla è sepulchris tracta cadauera

Gemmis refulgent, fascinantq́;
Indociles animos popelli.
Non otiosæ dedita næniæ
Mendica fratrum turba rapacium
Paßim vagatur, collocatq́;
Fœmineo insidias pudori.
Sub te licebit principe liberè
Christum fateri, ficta refellere,
Mysteriumq́; veritatis
Seposito reserare fuco.
Ergo salutis sollicitum tuæ
Cœleste numen peruigil excubat,
Et impiorum inauspicata
Vota facit, retegitq́; fraudes.
Super Dracones fortis inambula,
Sæuam leonum frange ferociam.
Per aspides erra, & per oras
Quas Libycus Basiliscus afflat.
Cœli fauor te, te pietas tua,
Te supplicantûm continuæ preces
(Prædonibus quos ex auaris
Eripis) incolumem reducent.

Pistoris & Pictoris Dialogismus.

Contendunt specimen pistor pictorúe vter edat
Pulchrius, hic fuco doctior, ille foco.
Hic fecisse Deum se iactat, rettulit ille:
Corpus ego verum, tu simulacra facis.

Dentibus

Dentibus aßiduè teritur Deus hic tuus inquit:
Corrodunt vermes, rettulit ille, tuum.
Pictor ait, Multos meus integer aſtat in annos,
Sæpe vna innumeros deuorat hora tuos.
At tibi vix toto Deus vnus pingitur anno,
Piſtor ait, decies mille dat hora mihi.
Parcite, ait Myſtes, fruſtra contendere verbis,
Nil ſine me poterit veſter vterq; DEVS.
Et quia vtrunq; ſacrum reddo, mihi ſeruit vterq;:
Atq; hic mendicat, manditur ille mihi.

Ad Idolorum cultorem.

Manè pater noſter, cum ſurda Idola ſalutans
Ingeminas, ſana mente videre loqui.
Saxeus illo ipſo magis es, me iudice, ſaxo?
Quippe patrem ſaxum qui fateare tuum.

In eundem.

Oſcula, ſerta, roſas das & libamina ſaxo?
Teq; cupis dici, cum facis iſta, pium.
Quid tibi pro tanta maius pietate precemur,
Quàm vt fias numen tu quoq; quale colis?

In P. T. D. R. H, P. I. Hypocritam.

Ille vides Naſo qui incedit ſeſquipedali,
Qui quicquid loquitur ſeſquipedale ſonat.
Qui longo gaudet voces producere tractu,

Qui ſemper longo ſyrmate verrit humum.
Qui latus exhauſtum non vna ſindone veſtit,
Qui capiti inducit pilea plura pilis.
Rarus ſermo, grauis greſſus, talaris amictus,
Vt rêre egregij ſint ea ſigna Sophi.
Sed cur ſacrificos gaudet ſtipare cynædos?
Cur ſapiens ſtolidos ſic ſine fine colit?
Auctio ſectorum cordi eſt, non actio ſectæ,
Donec ſector erit, nempe ſecutor erit.

In Pium Pontificem.

Vendidit ære Polum, terras in morte relinquit,
Styx ſupereſt Papæ quam colat vna pio.

In Iulium.

Stare diu haud poterant, munduſq; & Iulius vnà,
Omnia perdendi tam ferus ardor erat.
Ergo ne ante diem rerum ſtructura periret,
Ad Styga diſceßit Iulius ante diem.

In Paulum Pontificem.

Paulus ab Ebræo ſcis quantum diſtet Iuda,
Hic cœli Dominum vendidit, ille domum.

In Pontifices.

Pædicat Paulus, contemnit fœdera Clemens,
Sacrilega tractat Iulius arma manu.
Et quiſquam ſceleris nomen formidat inane,
Autores ſcelerum qui videt eſſe Deos?

In Ro-

In Romam carmen, vt omnium venustiss. ita verissimum.

Hi colles, vbi nunc vides ruinas,
Et tantùm veteris cadauer vrbis,
Quondam cæca LVPIS *fuére lustra,*
Donec per freta vectus Archas exul,
Pani pelleret vt LVPOS *Lycæo*
LVPERCALIA *festa dedicauit:*
Nudos currere iussit & LVPERCOS,
Sacrum & collibus addidit LVPERCAL.
Sed vis insita, contumaxq́; flecti,
Peruicit genius laborem & artem,
Et per sæcula longa ne perirent
Istis semina collibus LVPINA,
Tristes progenuit solum LVPINOS,
Lætos progenuit LVPOS *salictum,*
Et coniunx LVPA *Faustulo tyranni*
Albani pecoris fuit magistro:
Et qui mœnia prima condidere,
Nutriuit LVPA *Romulum Remumq́;.*
Et Floralia festa sunt LVPARVM,
Et quondam in media fuit suburra
Vico vrbis celeberrimo, LVPINAR,
Et quos Fabricios graues putabis,
Obserua, iuuenes LVPOS *voraces,*
Et quas Sulpitias reare castas,
Obserua, iuuenes LVPAS *salaces,*

Et ne posse Deos LAPIS carere
Credamus, sacer est LVPVS Gradino,
Et LVPOS mare laneos & amnis
Sub criptam mediæ vomit suburræ.
Nec putris soboles araneorum
Non cognomine nobilis LVPORVM est.
Totam deniq; quantacunq; Roma est,
Nascentem, vegetam excute, & ruentem,
Nihil comperies nisi LVPERCOS,
LVPERCALE, LVPOS, LVPAS, LVPANAR.

In eandem Romam.

Non ego Romulea miror quòd pastor in vrbe
Sceptra gerat, pastor conditor vrbis erat.
Cumq; LVPAE gentis nutritus lacte sit auctor,
Non ego Romulea miror in vrbe LVPOS.
Illa meum superat tantùm admiratio captum,
Quomodo securum seruet ouile LVPVS.

In eandem.

Roma armis terras, ratibusq; subegerat vndas,
Atq; ijdem fines orbis & vrbis erant.
Vincere restabat cœlum, perfregit Olympum
Priscorum pietas aurea Pontificum.
At bona posteritas, ausis ne cedat auitis,
Tartara præcipiti currit ad atra gradu.

Pas-

Pasquillus loquitur.

Esse putas forsan me fragmina trunca columnæ,
Vel de præcipiti saxa voluta iugo.
Falleris, ille ego sum Pasquillus in vrbe Quirini
Notus, & in formas impiger ire nouas.
Nunc putor inducto Cyllenius esse galero,
Me facit æquoreum fuscina sumpta Deum.
Adde mihi citharam, fiam manifestus Apollo,
Pampineos thyrsos adde, Lyæus ero.
Pallada me clypeus, Phœbem facit aureus arcus,
Da fulmen, Iuno dixerit esse Iouem.
Sum pax, sum bellum, lis, & concordia, fio
Nunc volucris, pennis nunc fera tecta pilis.
Deniq; transiero cuncta in miracula rerum,
Sed puero Romæ non licet esse mihi.
Hoc quoq; ero per purpureos aliquando cynædos,
Si liceat laxas non habuisse nates.

In Dionem & Clementem.

Ebria cùm dubio titubans vestigia passu
Vix regit, & blæso blandior ore sonat,
Cum lacrymis oculiq; madent, pectusq; falerno,
Sanctè festa Dion se coluisse putat.
Sic etenim suasit multos diffusus in annos
Ritus ab antiquis vsq; petitus auis.
At Clemens dum sancta legit monumenta parentum,
Dum populo ad cœli limina pandit iter,

Otia

Otia legitimo violat dum festa labore,
Ritè diem festum se coluisse putat.
Sic etenim veterum suadent monumenta parentum,
Oreq; veridici prodita iußa Dei.
Vtrum igitur laudas? quando defendit vterq;,
Legibus hic, causam moribus ille suam.
Si liceat iustè causas expendere, festum
Ille colens violat, hic violando colit.

Fratres fraterrimi.

Cùm monachi fratres sint quos vel candida vestis,
Vel nigra, vel gemino mixta colore tegit.
Quanta tamen miseros agitat discordia fratres?
Quàm non fraternæ fœdera pacis amant?
Non ita germanum reducem trux oderat Atreus,
Atrea visceribus non satur ille suis.
Mitius Oedipodæ soboles exarsit in iras,
Mitior indomitas incitat ira feras,
Euentu ô simili cesset fraterna simultas,
Et dirimat caluos exitus iste patres.
Dentibus & gladijs in mutua vulnera currant,
Ira nec extremi cesset in igne rogi.

In Pantalabum.

Dicunt Grammatici suos Cucullos,
Dicunt Rhetores horridos Cucullos:
Et quisquis Latias semel Camœnas
Vel primis modò contigit labellis,

Sic

Sic olim in Satyris Cucullum Aquinas
Et durum & Venetum poëta dixit.
Verùm Pantalabus seuerus ille
Franciscanus, & horridus sophista,
Clamosæ & Sophiæ senex magister,
Dicit perpetuò suam Cucullam,
Laudat perpetuò suam Cucullam,
Per sacram quoq; peierat Cucullam,
Suosq́; edocuit Cucculliones,
Sacram spem sibi ponere in Cuculla,
Prudens id facit ille, ne quid erres
Non lapsu temerario loquendi,
Nec quòd sic genus ille fœmineum
Ardeat miser impotente amore,
Caluo vertice, languidoq́; pene,
Sed quòd relligiosa res sit illis,
Cum deest fœmina, masculis abuti.

In eundem.

Si quis iam tremula piger senecta,
Morbo, aut vulnere languidus recumbat,
Statim Pantalabus sagax odorem
Sentit funeris, & cadauer, antè
Quàm coruiq́;, canosq́;, vulturesq́;,
Et sagacius acribus Moloßis
Per vestigia certa certus ædes
Aegroti petit esuritor audax,
Pulsa coniuge, liberis, propinquis,

Ceras

Ceras delet, & oblinit priores,
Natos abdicat, occinitq; in aurem
Morbo desipientis, & senecta
Deliri senis, vt caput Cucullo
Obducat, moriatur in Cucullo,
Amorem superûm sacrum Cucullum,
Timorem cacodæmonum Cucullum,
Cuncti delitias poli Cucullum,
Id vnum canit, vrget, orat, instat,
Id vnum reboat, sonat, tonatq;,
Id vnum tamen expedire nescit
(Negotî quod erat caput) beati
Quî fit vt moriamur in Cucullo,
Cum nemo bene viuat in Cucullo.

In eundem.

Vis te miremur, putri quòd verme cucullo
 Vndante absumpto viscera pelle patent.
Impia quòd stolido vendas mendacia vulgo,
 Quòd laudet nugas plebs malè sana tuas.
Quod malè dum cantas, quos non intelligis hymnos,
 Rancida de balba sibila nare sones.
Quòd tribus Anticyris caput insanabile radas,
 Quòd bibat immundam calceus vdus aquam.
Quod tunicam fluxam nodosa cannabe cingas,
 Cum melius fauces stringeret illa tuas.
Miramur certè, sed non cum deside vulgo,
 Sed velut Harpyias, Gorgonas aut Furias.

Fra-

Fratres extra mundum.

Pene, manu, lingua fratres munda omnia fœdant,
In mundo meritò sese habitare negant.

In Petrum Gonellum Dominicanum.

In vino audiuit verum latitare Gonellus,
Sesquipede extento pinguis aqualiculo.
Sic ne ait in nugis frustrà consumpsimus annos,
Et tulimus tetricæ iurgia lenta scholæ?
Ergo vale sterilis veri Sorbona, tuumq́;
Accipe discipulum docta taberna nouum.
Ex illo ad craßam scrutatur dolia fecem,
Peruigil & noctes perbibit, atq; dies.
Tandem consumptis fœcunda in pocula nummis,
Hoc veri inuenit, nil scio, nil habeo.
Solandoq́; sui lepidè ludibria damni,
Socrate se iactat non minus esse Sophon.

In Petrum Gonellum.

Cùm vetus effuso biberetur milite vinum,
Nec fore maturum spes foret vlla nouum.
Immatura pater biberet ne vina Gonellus,
Matura Stygias morte petiuit aquas.

Ad diuum Antonium.

Diceris Antoni porcos pauiße subulcus
Viuus, adhuc monachos lumine caßus alis.

Par ſtupor ingenij eſt, ventriſq; abdomen vtriſq;,
Sorde pari gaudent, ingluuieq; pari.
Nec minus hoc mutum pecus eſt brutumq; ſuillo,
Nec minus inſipidum nec minus, illepidum.
Cætera conueniunt, ſed non leuis error in vno eſt,
Debuit & monachis glans cibus eſſe tuis.

In Scarabœum.

Cum te Mula vehit nihilo te indoctior ipſo,
Et nitet (vt par eſt) murice vterq; pari.
Ni proceres Scarabœe colant te, & vulgus adoret,
Preſbyteris, clamas, nullus habetur honos.
Non tum ceßat honos, præſul cùm ſpernitur excors,
Sed cùm regnat ὄνος, tum malè ceßit honos.

Longum vale.

Ieiuna miſeræ teſqua Luſitaniæ
Glebæq;, tantùm fertiles penuriæ
Valete longum. At tu beata Gallia
Salue bonarum blanda nutrix artium,
Cœlo ſalubri, fertili frugum ſolo,
Vmbroſa colles pampini molli coma,
Pecoroſa ſaltus, rigua valles fontibus,
Prati virentis picta campos floribus,
Velifera longis animum decurſibus,
Piſcoſa ſtagnis, riuulis, lacubus, mari,
Et hinc & illinc portuoſo littore
Orbem receptans hoſpitem, atq; orbi tuas

Opes

Opes viciſsim non auara impertiens,
Amœna villis, tuta muris, turribus
Superba, tectis lauta, cultu ſplendida,
Victu modeſta, moribus non aſpera,
Sermone comis, patria gentium omnium
Communis, animi fida, pace florida,
Iucunda, facilis, Marte terrifica, minax,
Inuicta, rebus non ſecundis inſolens,
Nec ſorte dubia fracta, cultrix numinis
Sincera, ritum in exterum non degener.
Neſcit calores lenis æſtas torridos,
Frangit rigores bruma flammis aſperos,
Non peſtilentis pallet Auſtri ſpiritu
Autumnus æquis temperatus flatibus,
Non ver ſolutis amnium repagulis
Inundat agros, & labores eluit.
Ni patrio te amore diligam, & colam
Dum viuo, rurſus non recuſo viſere
Ieiuna miſeræ teſqua Luſitaniæ,
Glebasq́; tantum fertiles penuriæ.

Braſilia.

Africa deſeritur, miles mendicat egenus,
Vi ſine tuta fugax oppida Maurus habet.
Accipit obſcœnos Braſilia fuſca colonos,
Quiq́; prius fœde vixerat, arua fodit.
Qui ſua militibus tollit, dat rura cynædis,
Iurè ſub aduerſo nil bene Marte gerit.

In Colonias Brasilienses, vel Sodomitas.

Descende coelo turbine flammeo
Armatus iras Angele vindices,
Libidinum iam notus vltor
Exitio Sodomæ impudicæ.
En rursus armis quod pereat tuis
Lustrum Gomorrhæ suscitat æmulum
Syrûm propago, & execrandæ
Spurcitiæ renouat palæstram.
Pars illa mundi quam sibi propriam
Sedem dicauit mollis Amœnitas
Luxusq;, sub fœdis colonis
Seruitium tolerat pudendum.
Abominandis arsit amoribus
Strigosus æstu, pauperie & fame
Glandis vorator virulentum
E' raphanis redolens odorem.
Quem rêre ponet nequitiæ modum
Frenis libido libera? & insolens
Humanioris ferre victus
Illecebras meliore coelo.
O' Christiani infamia nominis,
O' fœda labes & nota temporum,
O turpium turpisq; causa, &
Exitus, & precium laborum.
Ignota rostris verrimus æquora,

Gentes quietas ſollicitauimus
Terrore belli, orbisq́; pacem
Miſcuimus miſero tumultu.
Per ferrum & ignes & mare naufragum
Secreta rerum clauſtra refregimus,
Ne deeſſet impuris cynædis
Proſtibulum Veneris nefandæ.
Gens illa nullos mitis in hoſpites
Et ora victu aßueta nefario
Portenta conſpexit Cyclopum
Sanguinea dape fœdiora.
Nunc Scylla ſæuos exere nunc canes,
Nunc nunc Charybdis vortice ſpumeo
Conuolue fluctus, & carinas
Flagitijs grauidas reſorbe.
Aut hiſce tellus in patulos ſpecus,
Aether'ue flammis perde ſequacibus
Turpes colonos Chriſtianæ
Dedecus opprobriumq́; terræ.

In poſthumum.

Eſſe Lutheranum rumor te poſthume clamat:
Sed tuus Antiſtes te tamen eſſe negat.
Tam bene ait comedis quàm ſi vel Epiſcopus eßes,
Et potas dubiam peruigil vſq; diem.
Nec memor es Chriſti, niſi cùm iurare libebit,
Nec ſcis Scripturæ vel breue Iota ſacræ.
Nempe per hæc ſueuit nunquam fallentia ſigna

Ille vigil ſanas noſcere paſtor oues.
Quiſquã igitur dubitat, rumor' ne an Epiſcopus erret,
Tam bene commiſſam qui ſibi nouit ouem.

In Codrum.

Ille ſenex ciuis rigidiq; exemplar honeſti,
Codrus heri paruo conditus eſt tumulo.
Sed neq; funereæ præceßit nænia pompæ,
Penſilibus ſignis nec nituere faces:
Lurida nec pullam ſumpſit cognatio veſtem,
Tinnula nec mœſtos æra dedere ſonos:
Funera nec denſæ celebrarunt agmina turbæ,
Præfica nec luctum ſollicitauit anus:
Vix datus eſt tumulus, Codrum ſi rêre fuiſſe
Fortè Lutheranum, fallere, pauper erat.

In Chryſalum.

Flaua Ceres longi ſpes interceperat anni,
Aruerat pigro vinea toſta gelu.
Morbus oues rapuit, furto periere capellæ,
Inter opus fracti ſuccubuere boues.
Ergo opibus caris cum Chryſalus eße ſuperſtes
Nollet, & in laqueum iam ſua colla daret:
Succurrit laqueum numis venire quaternis:
Ergo nos gratis nec moriamur, ait.
Enſis adeſt, ſtricto transfigere pectora ferro
Dum parat, & ſumptus hîc quoq; adeſſe videt:
Tanti, foſſor erat, tanti veſpillo, ſacerdos

Cereus,

Cereus, & tanti cymbala rauca crepant,
Et precibus pretium est etiam, pretiumq́; sepulchro:
Ergo placet rapidis mergere corpus aquis.
Dumq́; cadit, certè quamuis mare dixit auarum es,
Attamen hic gratis, credo, iacere licet.

Palinodia.

Visus eram nuper cœli procul aurea supra
Sidera, Gorgoneo scandere vectus equo.
Quâ secat in geminas orbem via lactea partes,
Et Iouis ad magni limina pandit iter.
Fas mihi sit mundi reserare arcana latentis,
Fas mihi sit vera pandere visa fide.
Non ego Phlegræis venio speculator ab armis,
Rursus vt attonitum terreat ossa polum.
Nec mihi furtiuæ damnarunt crimina flammæ,
Viscera Caucaseis dilanianda feris.
Nec mea garrulitas sacræ malè conscia mensæ
In refugo meruit flumine ferre sitim.
Sacra fero, miranda cano, memoranda reuoluo,
Vt colat æternos impia turba Deos.
Rursus vt ingrato superûm clementia mundo
Nota sit, & quisquis numina nouit, amet.
Ergo vbi siderei steteram prope limina templi,
Explicuit fuluas regia vasta fores.
Et subito duri me Iudicis ante tribunal
Increpitans, magno murmure, turba trahit.
Rasus erat vertex, facies irata, minaxq́;,

Et breuior tristi barba supercilio.
Omnibus vnus erat cinctus, color omnibus vnus,
Qui solet esse asinis, anseribusq; feris.
Qui color in salice est, & Palladis arbore, qualem
Hospita Threicij gurgitis ales habet.
Et nisi fluxa sinus talos penderet ad imos,
Cercopithecorum penula vestis erat.
Idem cinctus erat, cultus, vultusq; colorq;
Iudicis, & paribus frons caperata minis.
Vno alijs dispar discrimine, quòd foret acri
Aut stimulo spinæ sanguinolenta manus:
Aut rigida forsan nimis obluctante puella,
Fœmineæ palmas cuspide fixus acus.
Is quaßans caput, & suffusus lumina flamma,
Irato tales fudit ab ore sonos:
Túne, ait, in nostros ausus blaterare sodales,
Nil veritus caluos tot violare senes:
Prodere nec populo mysteria nostra profano,
Sanctaq; funereæ spernere iura togæ:
Lignipedes ridere patres, sanctamq; coronam,
Et mendicatos absq; pudore cibos?
Quod cum fratre soror clausa sine lumine cella,
Quod Tiro imberbis cum seniore gerat?
Frustra pontifices cœlo, nos æqua potestas,
Frustra nos Regum sceptra verenda timent:
Si tibi fas nostræ est impunè illudere sectæ,
Si plebs exemplo sollicitata tuo
Rideat, exerta comitetur Sannio lingua,

Perq; vias digito stulta iuuenta notet.
Vos age quid statis? scelerato auferte lacernam,
Vt vitium linguæ cætera membra luant.
Nec mora, diripiunt fratres à pectore vestes,
Sectaq; nodosa cannabe terga notant,
Alternantq; vices, & acerbant verbera verbis,
Verba oculis, oculos nutibus atq; minis. * De par Dieu, Depar sa mere. &c.
Dum feriunt, numerant ad singula verbera Diuos,
Grata forent cunctis ceu mea pœna Deis.
Nec mea carnifices fratres laßant mala, quamuis
Deficerent Diui, deficeretq; dies.
Perdiderat rabiesq; modum, plagæq; figuram,
Atq; vnum in toto corpore vulnus erat.
Talis erat (si vera fides) Hieronymus olim,
Dum studium ob Tulli vapulat ante Deum.
Sic cute direpta Satyrum videre Celenæ,
Tibia cum blandæ est victa canore lyræ.
Vt primùm fari licuit, meq; ipse recepi
Nudus, & in nuda sanguinolentus humo.
Clamabam, nunc parce pater, nunc parcite fratres,
Cæde mea sanctas conscelerare manus.
Parce pater, sic ille sacer Seraphicus ordo
Floreat auspicijs sanctior vsq; tuis.
Sic mendicantum genti turba inscia veri
Affluat, & nunquam credula desit anus.
Vestra nec incauto pateant mendacia vulgo,
Nec videat crassos plebs tunicata dolos.
Et noua sub patribus tronum turba seueris,

Inueniat quæstus ingeniosa nouos.
Seu malè lustratis manes excire sepulcris,
Fingere seu tacita somnia nocte libet,
Relligio nubes animis offundat agrestum,
Obijciat tenebras sancta Lauerna suas.
Quæq; vident oculi se non vidisse reantur,
Deq; fide facti sit dubitare nefas.
Quòd si fortè sacra lateat sub veste puella,
Quæ releuet lòngæ tædia lenta viæ:
Aut tenuet multa craßum farragine corpus,
Si caro spiritui quando rebellis erit.
Callida decipiant animos commenta profanos,
Et vetet vlterius quærere velle Timor.
Fallat & incautos pietatis imago maritos,
Et capiat faciles sicula tenta nurus.
Sic tibi, si quando iunges per stagna, lacusq;
Cum ranis socias alitibusq; preces,
Vide legendã auream. Nulla tuum superet cornix vel rana canorem,
Ore úe præcipitet mobiliore sonos.
Siue tibi pulex, fraterúe pediculus obsit,
Et tenuem signet pustula multa cutem,
Innocuos vngues vtriusq; à sanguine serues,
Neu tibi cognata pollue cæde manus.
Sed tua fraterno pietas dignetur amore
(Vt solita est) vulpes carniuorosq; lupos.
Et quibus indulsit vitam pater omnibus idem,
Siue ferat tellus, seu ferat illa fretum,
Mortua tu comedas animalia, culpa profani
Sit

Sit populi, ijs vitæ corripuisse moras.
Quæcunq; in sacram fratrum conuicia vestem,
Non verita est olim fundere lingua procax,
Cuncta recantabo, maledicta priora rependam
Laudibus, & fratrum nomen in astra feram:

Palinodia.

Vobis relligio est sincero assuescere recto,
Relligio est Christi facta, fidemq́; sequi.
Raraq́; simplicitas, et rara modestia vobis,
Et virtus rara est, & probitatis honos.
Fastus inauditus, nullaq́; libidine victum
Robur, nec duro fracta labore manus.
Claßica non placidos turbant Mauortia somnos,
Nil opus insano verba locare foro:
Semina non aruo, non vitem credere sulco,
Nec dare nubifero vela necesse noto:
Sed veluti mures alieno parta labore
Carpitis, & vitam ducitis angelicam.
Vos chorus, & cantus, nitidi vos floribus horti,
Cinctaq́; porticibus tecta superba tenent.
Quicquid vbiq; labor per dura pericula quærit,
Quod clam fur aufert, latro palamúe rapit,
Vos penes est fructus, penes est vos vsus & esus,
Ad dominos redeunt damna, pericla, dolor:
Copiaq́; & luxus vobis in paupere vita est,
Nil est, & superant multa, nihilq́; deest.
Vos pro me misero fratres orate, patremq́;

Flecti-

Flectite, pro vobis sic roget ille Deum,
Sic flectat: Nos interea quod possumus vnum,
Facta recantatis splendida carminibus
Dicemus: Teneræ nec furta silebo iuuentæ,
Addita nec manibus stigmata, nec pedibus.
Et quæ longa forent numeranti singula, at vnum
Vide Legendam auream * Non est fas numeris præterijsse meis.
Fortè furens malè morigeri petulantia membri
Vrebat patrem sæuius igne pium:
Quid faceret? peteret sanctarum claustra sororum?
Claustra procul, nusquã sancta propinqua soror:
Vulgiuagum peteret populo spectante Lupanar?
Nequitiæ fieret proditor ipse suæ.
Eloquio matres blando tentaret honestas?
Ferre nequit longas sicula tenta moras.
Ergo velut taurus crabronum cuspide fixus,
Corripuit, rabies quâ stimulabat, iter.
Nudus & in gelida stratus niue membra volutat,
Et fingit globulos, pertercbratq́; niuem,
Imponitq́; suo veluti collaria peni,
Et iubet optata conditione frui.
Hæc, ait Aemilia est, hæc est generosa Corynna,
Hæc illa est longis Gellia flaua comis.
Deinde alias numerat præstanti corpore Nymphas,
Nomine formosæ nulla corona caret.
Tum veluti Cossus spolijs insignis opimis,
Per fora, per vicos victor amoris ouat.
Parcite clamabat, me parcite dicere sanctum,

Non

Non ego ſum,(ceu vos creditis eſſe)pius.
Sum miſer,& meritò duro ſic plector ab hoſte,
Nequitiæ pœnas perſoluóq; meæ.
Pene coronato populus dum ſpectat ouantem,
Hic ſilet,hic riſu perſonat,ille dolet.
At miſeræ matres,nuptæ innuptæq; puellæ
A' lacrymis ſiccas non tenuere genas.
Illa quidem iuſtis res annumeranda triumphis
Inter facta pij prodigioſa patris.
Quòd quamuis aſinis membroſior omnibus eſſet,
Et Venerem in nulla perdomuiſſet equa:
Tot tamen haud multis mulos genuiſſet in annis,
Quot nec in vmbriferis Mænala celſa iugis.
Vt pater audiuit ſancti præconia membri,
Lætior ad laudes iam melior q; ſuas,
Arriſit,tremulosq; abijt prurigo per artus,
Et me cum ſomno deſeruêre minæ.

FRATRVM FRATERR.
finis.

GEORGII BVCHAnani Scoti, Elegiarũ liber vnus.

Quàm misera sit conditio docentium literas humaniores Lutetiæ.



TE leues nugæ, steriles'q; valete Camœnæ,
Grataq́; Phœbeo Castalis vnda choro.
Ite, sat est: primos vobiscũ absumpsimus
Optima pars vitæ deperijtq́; meæ. (annos,
Quærite quem capiat ieiuna cantus in vmbra:
Quærite qui pota carmina cantet aqua.
Dulcibus illecebris tenerum vos fallitis æuum,
Dum sequitur blandæ carmen inerme lyræ.
Debita militiæ molli languescit in vmbra,
Et fluit ignauis fracta iuuenta sonis.
Ante diem curuos senium graue contrahit artus,
Imminet ante suum mors properata diem:
Ora notat pallor, macies in corpore toto est,
Et tetrico in vultu mortis imago sedet.
Ocia dum captas, præceps in mille labores
Irruis, & curis angeris vsq; nouis.
Nocte leues somnos resolutus compede fossor
Carpit, & in medijs nauta quiescit aquis.
Nocte leues somnos carpit defessus arator,
Nocte quies ventis, Ionioq́; mari:
Nocte tibi nigræ fuligo bibenda lucernæ,

Si modò Calliopes castra sequenda putes:
Et tanquam Libyco serues curuata metallo
Robora, & Herculea poma ferenda manu.
Peruigil in lucem lecta atq; relecta reuolues,
Et putri excuties scripta sepulta situ.
Sæpe caput scalpes, & viuos roseris vngues,
Irata feries pulpita sæpe manu.
Hinc subitæ mortes, & spes præcrpta senectæ
Nec tibi fert Clio, nec tibi Phœbus opem.
Si caput in cubitum laßa ceruice recumbat,
Et sopor exiguus lumina fessa premat.
Ecce vigil subitò quartam denunciat horam,
Et tonitru horrifico lumina clausa quatit.
Excutit attonito somnos sonus æris acuti,
Admonet & molli membra * leuare toro. * leuanda.
Vix siluit, iam quinta sonat: iam ianitor vrget
Cymbala, tirones ad sua signa vocans.
Mox sequitur longa metuendus veste magister,
Ex humero læuo mantica terga premit.
Dextera crudeli in pueros armata flagello est:
Læua tenet magni fortè Maronis opus.
Iam sedet, & longis clamoribus ilia rumpit,
Excutit implicitos ingenioq; locos.
Corrigit, & delet, mutat, vigilata labore
Promit, in obscuro quæ latuere diu.
Magna nec ingenijs æui explorata prioris
Eruit, inuentas nec sibi celat opes.
Alter abest, petiturq; alter, mercede parato

Qui

Qui vocet, & fictos condiat arte dolos.
Ille caret caligis, huic rupta calceus alter
Pelle hiat, ille dolet, ſcribit & ille domum.
Hinc virgæ, ſtrepitusq́; ſonant, fletuq́; rigantur
Ora, inter lacrymas tranſigiturq́; dies.
Dein nos ſacra vocant, dein rurſus lectio, rurſus
Verbera: ſumendo vix datur hora cibo.
Protinus amota ſequitur noua lectio menſa,
Excipit hanc rurſus altera, cœna breuis.
Surgitur, in ſeram noctem labor improbus exit:
Ceu breuis ærumnis hora diurna foret.
Quid memorem interea faſtidia mille laborum,
Quæ non ingenua mente ferenda putes?
Ecce tibi erronum plenas ex vrbe phalanges,
Terraq́; ferratis calcibus icta tremit:
Turba ruit, ſtolidasq́; legentibus applicat aures,
Quales Phœbææ Phryx dedit antè lyræ.
Et queritur nullis onerari compita chartis,
Eſſe & Alexandrum nullo in honore ſuum:
Nec grauidum pleno turgeſcere margine librum,
Neglectumq́; premi vile Guidonis opus.
Curritur ad montem magno cum murmure acutum,
Aut alias ædes ſicubi Beta ſapit.
Quid referam quoties defenditur acer Oreſtes
Carmina vel numeris cùm caruere ſuis?
Archadico iuueni quod læua in parte mamillæ
Nil ſalit, iratus clamat vterq; parens:
Conqueritur nullo labentia tempora fructu,

Totq; diu sumptus deperijsse suos.
Aestimat & nostros non æqua lance labores:
Temporis & nulla damna rependit ope.
Adde, quòd Aonidum paupertas semper adhærens
It comes, & castris militat ipsa suis.
Siue canas acies in Turcica bella paratas,
Siue aptas tenui mollia verba lyræ:
Siue leui captas populi spectacula socco,
Turgidus aut tragico syrmate verris humum:
Deniq; quicquid agis, comes aßidet improba egestas,
Siue poëma canis, siue poëma doces.
Bella gerunt vrbes septem de patria Homeri:
Nulla domus viuo, patria nulla fuit.
Aeger, inops patrios deplorat Tityrus agros,
Statius instantem vix fugat arte famem.
Exul hyperboreum Naso proiectus ad axem,
Exilium Musis imputat ille suum.
Ipse Deus vatum vaccas pauisse Pheræas
Creditur, Atmonios & numeraße greges.
Calliope longum cœlebs cur vixit in æuum?
Nempe nihil doti quod numeraret, erat.
Interea celeri cursu delabitur ætas,
Et queritur duram tarda senecta famem.
Et dolet ignauis studijs lusisse iuuentam,
Iactaq; in infidam semina mœret humum:
Nullaq; maturis congesta viatica canis,
Nec faciles portus iam reperire ratem.
Ite igitur Musæ steriles, aliumq; ministrum

Quærite:nos aliò ſors animuſq́; vocat.

Maiæ Calendæ.

Feſta vocant, lætiſq́; comes laſciuia feſtis,
Et chorus, & choreæ blandus amicus amor,
Ludit & admißis leuis indulgentia frenis,
Et leuat aſſueto libera colla iugo.
Interea vigiles paulùm ſecedite curæ,
Et genitor curæ dure faceſſe labor.
Eſte procul lites, & amaræ iurgia linguæ,
Mixtaq́; flebilibus mœſta querela ſonis:
Dum renouat Maius ſenium reuolubilis æui,
Et tenerum verno pingit honore ſolum:
Dum cœli iuuenile decus, mundiq́; iuuenta,
Per non ingratas itq́; reditq́; vices,
Inq́; recurrentes ſine fine reuertitur ortus,
Et nunquam feßis ſæcula luſtrat equis.
Hunc iocus, hunc tenera menſem cum matre Cupido
Vendicat: hunc riſus, & ſine felle ſales:
Hunc hilaris genius, genij & germana voluptas,
Et pellucentes gratia picta ſinus.
Ipſa ſuo Cypris præſens aſpirat honori,
Et recreat flamma ſplendidiore polum:
Ipſa nouos cultus, niueoq́; monilia collo
Induitur, Marti ceu placitura ſuo.
Lætus amor iaculis Sicula fornace recoctis,
Splendida ſanguinea ſpicula cote terit.
Has linit ambroſia, linit illas felle ſagittas,

Et

Et renouat flamma lucidiore faces.
Cernis vt Aſſyrios latè Dea fragret odores,
Implicet & flauas verna corona comas.
Vt manus Eois radiet ſtellata ſmaragdis,
Vt fluat in nitidos aurea palla pedes?
Luſtret vt intento choreas puer improbus arcu,
Vt tenera fundat ſpicula certa manu,
Vt face nunc iuuenes, face nunc petat ille puellas,
Aſperaq; inuicto fœdere corda domet.
Qua Dea progreditur fragrant per compita flores,
Et media placidum frondet in vrbe nemus:
Quà Deus ingreditur feſti per compita plauſus,
Et vox leticiæ teſtis in aſtra volat.
Applauditq; deæ ſtratis mare leniter vndis,
Lætaq; laſciuis ſquamea turba choris.
Applauduntq; Deo pueri, innuptæq; puellæ,
Queis rudis in vacuo pectore flamma calet.
Plaudit vtriq; Deo quicquid creat humidus aer,
Quicquid alit tellus, æquora quicquid alunt:
Rara procelloſæ fugiunt in vellera nubes,
Mollior arboreis ſibilat aura comis.
Purior auratis Pyroeis ſplendeſcit habenis,
Phœbus ab æquoreis purior exit aquis,
Herba comis, tellus nitet herbis, frondibus arbor,
Luxuriat lætum læta per arua pecus.
Carcere liber equus ſpacijs laſciuit apertis?
Iactat & vndantes per fera colla iubas.
Tondet ouis pratum, petulans ſalit agnus in herba,

Pro niuea taurus coniuge bella gerit.
Rupis inacceſſæ ſcandunt dumeta capellæ,
Hœdus & infirma prælia fronte mouet.
Interea paſtor geniali ſtratus in vmbra,
Diſcutit incomptis tædia lenta modis.
Nunc & odorata ſomnos inuitat in herba,
Nunc ſtrepitum captat prætereuntis aquæ:
Intentuſq́; ſedet liquidas piſcator ad vndas,
Dum tremulum fallax linea ſentit onus:
Forſan & eluſos quærit quibus inſtruat hamos,
Explicat aut cauta retia longa manu.
Pampinus appoſitæ complexus brachia ſyluæ,
Veſtit adoptiuis robora nuda comis.
Poma nemus pingunt,meditatur vinea botros,
Prouentu ſegetis diues inundat ager.
Tityrus in calathis tibi lilia Theſtili cana
Seruat,& in calathis aurea mala ſuis,
Cumq́; ſuis nidis Prognen,Progneſq́; ſororem,
Et te cum nidis blanda columba tuis.
Garrula per virides ludunt examina ramos,
Et tenui ſyluas gutture mulcet auis.
Baſia Chaoniæ iungant laſciua columbæ,
Ingemit extinctum tinnula mater Itym.
Hanc iuuat ad nitidum pennas extendere ſolem,
Hæc querulam pleno conuolat ore domum.
Hæc luteum ſuſpendit opus,fugit illa per auras,
Et liquidas alis ſtringere gaudet aquas.
Ridet ager,rident ſyluæ,micat igneus axis,

Et placidum ſternit lenior aura fretum.
Hinc procul ergo abeant cruciantes pectora curæ,
Vanaq́; quærendæ ſollicitudo rei.
Pone ſupercilium capulo vicina ſenectus,
De tetrica rigidas excute fronte minas.
Vtq́; nouus, poſito veteri ſqualore ſenectæ
Pandit odoriferas fertilis annus opes:
Poſtq́; pruinoſæ languentia frigora brumæ
Rura nouat veris floridioris honos:
Vos quoq; paulisper placidos diffundite vultus,
Aſpera cum duris ponite iuſſa minis.
Carpite dum fas eſt fugitiuæ gaudia vitæ,
Credite vos iuuenes eſſe, fuiſſe ſenes.
Vt ſua munifico diffundit præmia vultu,
Omniferos pandens copia larga ſinus:
Vt vetat ignauæ reparans incommoda brumæ,
Turpia ſollicitæ damna timere famis:
Pandite ſepoſitas quas cœlant horrea fruges,
Parcaq́; congeſtas arca refundat opes.
Nec tenebris claudat generoſum cella Lyæum,
Quam dat arenoſo Vaſconis vua ſolo:
Qui niſi depromis, acri langueſcit aceto,
Teq́; monet vitæ commoditate frui.
Vos quoq; turba feri pueris inuiſa magiſtri,
Qui geritis dura lenta flagella manu,
Ponite difficiles in idonea tempora vultus,
Incutiant nullos verbera ſecta metus.
Parcite plagoſis ferulis, virgæq́; ſonoræ

Nec scuticæ teneras lædat habena manus.
Candida nec mœstis suffundite fletibus ora,
Nec fœdet niueam pustula rupta cutem.
Post sua Pierijs succedant otia Musis,
Largaq; Castalius fœnora reddat ager.
Interea iuuenes molles celebrate choreas,
Et genium festis exhilarate iocis.
Læta fugent lites, ludis concedite luctus,
Pro rixa risus, crimine carmen eat.
Nec tetrici nuptas custodia dura mariti
Arceat, aut dura ianua clausa sera:
Sollicitæ timidas nec matris cura puellas
Cogat in obscura delituisse domo.
Pandite lacteolas (iussit Cytheræa) papillas,
Excipiant flauas lactea colla comas.
Luceat igniferis Sidonia pelle Pyropis,
Pulcra verecundus purpuret ora pudor.
Hæc sunt militiæ Mauortia tela potentis,
Tela triumphatis imperiosa Deis.
Tela, quibus fusis iuuenilis milia turbæ
Plurima cùm pereant, plura perisse petunt.
Dum choreas ætas, dum blandi gratia veris,
Libera dum festus gaudia Maius habet:
Carpe rosas, & ni carpas peritura ligustra,
Et vitæ credas hæc simulacra tuæ.
Horrifer vt Boreas agri genialis honorem
Exuit, vt canas fundit in arua niues:
Frondibus vt spoliat syluas, vt floribus hortos,

Pigraq;

Pigraq́; concretis flumina frenat aquis:
Sic tibi deformes mutabunt tempora cani,
Contrahet & vultus arida ruga tuos.
Pendebit laxata cutis, rubigine dentes
Squalebunt, oculos inficietq́; rubor.
Mellea deficiet facundæ gratia linguæ,
Imminet en vitæ frigida bruma tuæ.
Dum nos ergo sinunt fata inuidiosa senecta
Temporis vtatur vere, iuuenta suo.

Ad Briandum Vallium senatorem Burdegal. pro Lena apologia.

Posse putet quisquam fieri, doctißime Valli,
In famulas Veneris durus vt esse queas?
Idem posse suos in fontes flumina labi
Credat, & auersis astra redire rotis.
Et tamen in fontes vt flumina lapsa recurrant,
Et retrò auersis astra ferantur equis:
Non erit in Veneris Vallì censura ministras
Aspera, nec rigidis contrahet ora minis.
Non ea rusticitas, rigor est nec tetricus illi,
Cordaq́; montanis asperiora feris:
Sed facilis candor, doctisq́; exculta Camœnis
Pectora, quæ sæuæ nil feritatis habent:
Quæ iocus & salibus capiat condita venustas,
Quæq́; iuuent, risus, gratia blanda, lepos.
Adde quòd est leuibus non impenetrabile telis
Cor tibi: sensisti tu quoq; quid sit Amor.

Inter & ingenuas, præstas quibus omnibus, artes,
Materiam flammis repperit ille suis:
Cùm tibi iucundo pectus premeretur amaro,
Serperet in curas & noua cura tuas.
Quæ tibi mens? quæ vita, animi miserande fuißet,
Tum tibi, si fidam lena negaßet opem?
Olim tu quod eras, alios nunc eße putato:
Quæq; tibi fuerant, ijs modò grata puta.
Aut potius, iuuenes ceu sis reuolutus in annos,
Ante tuum hanc causam finge tribunal agi.
Finge ream lenam, iuueni quòd morte sub ipsa
Officij fuerit fida ministra sui,
Quòd medico certam nullo spondente salutem,
Spem misero vitæ fecit, opemq; tulit.
Quòd natum patri, ciuem seruauerit vrbi,
Hæc age quo pœnæ nomine digna putes?
At vos maiorum requiescite molliter vmbræ?
Vestraq; purpureo floreat vrna croco?
Qui bene seruati statuistis præmia ciuis,
Vt premeret fortes querna corona comas.
Illo debuerat mulier tam strennua nasci
Tempore, virtuti cùm suus esset honos.
Clarior haud eßet Latijs Larentia fastis?
Aut Dea, quæ nuda vult meretrice coli.
At nunc inuidiæ est virtus? contemptus honesti
Neglecto recti pondere, regna tenet.
Quæ fora tot caperent statuas, si digna fuißent
Reddita virtuti dona virago tuæ?

Quæ

Quæ nũc, me miſerum, es rea criminis, id modò crimẽ
  Si ſit, quo dempto viuere nemo poteſt.
Officium ſi crimen erit, ſi nocte dieq́;
  Aſpera blandiloqua frangere corda prece.
Vincula ſi Veneris ſunt noxia, legibus arce,
  Nulla dehinc ornet limina feſtus Hymen.
Ne liceat grauibus medicos accerſere morbis,
  Si nullum, medicos qui vocet, eſſe licet.
Sin & blanda Venus generantum ſæcla propaget,
  Et medicam morbis addere fas ſit opem:
Poſcere ſin fas eſt, quæ fas feciſſe, rogare,
  Et medicum, & Venerem conciliare licet.
Quòd ſi parua licet magnis componere, lenæ
  Munere comperies quot placuiſſe Deos?
An'ne aliud quàm lena Venus? quàm leno Cupido?
  Quæq́; præeſt primis pronuba Iuno toris?
Quiq́; domas duras Domiti? & Domi duce puellæ
  Ductor ad externos cùm venit illa lares?
An'ne iugatiuum tibi, Pilumnumq́; Premamq́;,
  Pertundam, & Subigum, teq́; Hymenæe canam?
Cumq́; Libentina Manturnamq́; Volupiamq́;,
  Et quæ de timida virgine nomen habet?
Sedula multorum, valli, ſi lena deorum
  Impleuit partes, crimen id eſſe putas?
Dedecus eſt homini, quod numinis æquat honores?
  Res erit huic pœnæ quæ dedit aſtra deis?
Sed neq; connubijs præſunt hæc numina ſolis,
  Et ſine connubio eſt non inamœna Venus.

Respice Pieridas, Valli, tua numina, Musas,
Virgo in virgineo vix erit vlla choro.
Orphea mulcentem syluas agnoscit, & amnes
Calliope genetrix, Vraniéq; Linum.
Furta tegens vterus reliquas facit esse pudicas,
Quæ casta est? sterilis, vel sine teste parens.
Nec tædis super astra fides seruata maritis,
Nec patrem appellas ipse Gradiue Iouem.
Fortè pudicitiæ sæclis fuit ampla vetustis
Gloria: sed titulo gloria sola tenus.
Quam nunc vtilitas, mos, consensusq; recusat
Publicus, haud falso si licet ore loqui.
Cùm mare, cùm tellus homines populetur, & ignes,
Tot pereant morbo, tot fera bella necent,
Cumq; hominum in peius solertia callida semper
Inueniat causas in sua fata nouas,
Tun' prohibere potes Veneris commercia? lenas
Si tollis, Veneris commoda quanta vetas?
Tun' prohibere audes Veneris commercia? sola
Humanum poterunt quæ reparare genus?
Nam neq; Parthenijs nunc quercubus editur Arcas,
Curetes pluuio nec geniti imbre cadunt:
Nec grauida fratres funduntur nube bimembres,
Nec viuunt Pyrrhæ saxa animata manu:
Myrmidonas nusquam gignit formica, nec vsquam
Ficta Prometheo spirat imago luto.
Vna quidem superest, superest ars vnica, Valli,
Quæ reparat nostrum, continuatq; genus.

Huic

Huic quota pars restat detracto munere lenæ
Siue torus, Veneris seu vaga furta placent?
Lena toros auget fœcunda prole maritos,
Ne serie soboles deficiente cadat.
At si legitimi seruentur fœdera lecti,
Opprimet illustres quanta ruina domos?
Iupiter & Bacchus succurret munere lenæ?
Atq; geret partes Mars & Apollo viri.
Gignet Alexandrum serpens, qui Persida vincat?
Perniciem Libyes Scipiademq́; Draco,
Aut personatus iuuenis sub nomine amicæ
Sacra bonæ intrabit non temeranda Deæ.
Sed neq; coniugium coniux castum expetet vllus,
Si quicquam sano in pectore mentis habet.
Quæ casta est, tetrica est eadem, tristisq́;, nec octo
Diducit risu mensibus ora quater.
Oscula dat veluti pulla cum syndone mater,
Funera quæ nati luget acerba sui.
Prætereo prudens quos nox, thalamusq́; torusq́;
Continet occultos & sine teste iocos?
Quos mihi si tollis, nec casta Lucretia coniux
Hac placeat lecto conditione meo.
At quæ furtiuæ Veneris commercia nouit,
Mille virum tristem leniet illa modis,
Si peregrè it, plorat, redeuntem amplectitur, vlnis
Comprimit, exanimis deficit inq; sinu:
Accusatq́; moras, & verbis oscula iungit:
Oscula dum iungit, fletibus ora rigat.

Et queritur ceu læſa prior ſuſpiria ducens?
Percurſatq́; agili ſedulitate domum.
Hæc bona ſi doctæ debent connubia lenæ,
Quantum illi cœlebs debeat ergo torus?
Debet ei cœlebs, gelido quòd ſidere brumæ
Non cubat occluſas frigidus ante fores.
Fabula quòd non ſit vulgi rumore ſiniſtro,
Apta quòd officijs tempora liber agat.
Ipſe tibi eſt teſtis (quid enim manifeſta negemus?)
Ars lenæ quantum commoditatis habet.
Quæ ſi opera quondam te deſtituiſſet amantem,
Veniſſet ſtudijs heu mora quanta tuis?
Publica Burdegalæ prohibent decreta lupanar?
Iudicio lenæ nec licet eſſe tuo.
Quid facient inopes iuuenes, peregrinaq́; turba?
Quid miſeri myſtæ, Funigeriq́; greges?
Quid monachi reliqui? quorum tentigine neruos
Aßidua vexant vina, inuenta, quies?
Claudere cùm precibus poßint Acheronta polumq́;,
Et cœli, Stygias & reſerare fores,
Securè vt precibus poßint intendere, apud te
Illorum iuſtas fac valuiſſe preces.
Adde quòd è furto proles felicius exit,
Quàm cum legitimo vincula more ligant.
Nempe quod aſſuetæ Veneris faſtidia gignit
Copia, nec gratum quod licet, eſſe ſolet:
Senſus hebes languet? torpetq́; ignaua voluptas,
Acrius ardeſcit ſæpe repulſus amor.

De Iunone Ioui satus est modò Mulciber vnus
Claudus, ab Aetnes squalidus vsq; rogis.
Mars furto, & Pallas, Phœbus, Bacchusq; Venusq;,
Et qui saxificæ Gorgonis ora tulit,
Quiq; tulit cœlum, quiq; extulit igne parentem,
Quemq; suum auctorem Martia Roma colit.
Quosq; foret longè numerare molestius, vndæ
Quàm Libycæ fluctus si numerare velis.
Nec tamen hic metuit liuor confingere crimen,
Esse vbi par merito gratia nulla potest.
Nec satis hoc visum est meritis non præmia reddi,
Sed vitij officio nomina falsa damus.
Peccet vt hic vulgus, queisq; ignorantia crassa
Obsita Cymmeria pectora nube premit,
Absit ab ingenio, valli, fœdißima labes,
Barbaries mores nec notet ista tuos.
Quod fuit officium quondam melioribus annis,
Vt vitium, crimen, nequitiamq; putes.
Nam neq; vim vertit, natiuaq; nomina rerum
Vt niueas tingit cana senecta comas.
Nec si mutarit tempus cum corpore formam,
In vitium virtus degenerare potest.
Sola manet patiens æui, securaq; damni,
Nec metuit longas temporis vna moras.
Virtutem appellem? quid ni? quæ noxia nulli,
Eximia multis commoditate placet.
Vt tibi non prosit, seris neq; seruiat annis,
Vtilis at nato sors erit illa tuo.

Attamen haud Veneris tibi ſic deferbuit ardor,
  Nullaq́; ſub docto pectore flamma calet,
Vt veteres penitus poßis abdicere amores,
  Nullaq́; Cyprigenæ gaudia noſſe deæ.
Nulla quoq; vt capias, nimium liuoris iniqui eſt,
  Queis careas, alios velle carere bonis.
Nam licet acer equus ſenio ſit fractus inerti,
  Bellica cùm raucæ ſigna dedere tubæ,
Mente furit, terramq́; ferit pede, ſurrigit aures,
  Robore adhuc retinens deficiente minas,
Ductor & emeritis Martem qui deſerit armis,
  Et procul à caſtris otia lentus agit,
Inſtruit exemplis iuuenes? hortatibus implet?
  Nec ſibi calcatas obſtruit ille vias.
Abſit, vt inuideas alijs tendentibus illuc,
  Quo tibi, ſed lenæ munere, facta via eſt.
Per Charites, Muſasq́; tuas, Valli optime, quarum
  Funguntur lenæ carmina ſæpe vice.
Myſtica per Veneris, quarum eſt lena vna ſacerdos,
  Perq́; Cupidineas tela timenda, faces.
Per Veneris comites Bacchum, riſusq́;, ſalesq́;
  Quæq́; hilarent genium gaudia læta tuum,
Vel mitte innocuam, vel lenam abſolue nocentem,
  Si modò quod lena eſt, lena ſit vlla nocens.
Finge tibi pariter cunctas procumbere lenas,
  A' quibus officium ſedulitatis habes?
Finge tibi pariter cunctas aſtare puellas,
  Oreq́; blandiloquo talia verba queri.

Aut

Aut vna damnato omnes, aut crimine solue,
Iuncta etiam nostris est tua culpa malis.
Damna, si damnare potes, quæ noxia nulli,
Grata sua multis sedulitate fuit.
Quam nemo accusat, quam nemo coarguit, idem
Quin testis culpam publicet ipse suam.
Illa potest mores, populo quoq; teste, tueri,
Legitimus quæstus nunc facit esse ream.
Si vitium esse putes, poteris non credere factum:
Si factum credas, ne vitium esse putes.

Ad Ptolemæum Luxium Tasteum, & Iacobum Teuium, cùm ex distillatione articulari morbo laboraret, 1544.

O' animæ Ptolemæe meæ pars altera, tuq;
Altera pars animæ Teui Iacobe meæ,
Scire iuuat quid agam, viuo modò, si modò viuit
Pondus iners animæ corpus inane suæ.
Sed tamen ingratas ceu viui ducimus auras,
Et trahit exanimem languida vita moram:
Ignea vis febris rapido sic perfurit æstu,
Vt minus Aetnæi sæuiat ira rogi.
Torrida concretis lapidescunt viscera grumis,
Et latebras renum calculus vrit atrox.
Vt Cereris possint, vt Bacchi munera credi
Facta Meduseis obriguisse comis.

Sed

Sed tamen hæc nostri lenis est accesio morbi,
Et pars immensi vix numeranda mali:
Humor enim cunctos latè diffusus in artus,
Qua iungunt flexus oßibus ossa suos.
Obsedit cæcas pigro marcore lacunas,
Cunctaq́; torpenti frigore membra ligat.
Ex humeris pendent sine robore brachia laxa?
Nec fluidum ceruix sustinet ægra caput:
Genua labant, & crura tremunt: laßiq́; recusant
Tam celeres nuper, me modò ferre pedes.
Sic ego defunctus iam viuo, mihiq́; superstes
Et vitæ amisso munere, fata moror.
Quodq́; mihi superest fugitiuæ lucis, id omne
Diuidit in pœnas Parca seuera meas.
Nam dum lenta coquit neruos pituita, cauisq́;
In latebris tabes viscida membra coquit:
Tum ego felicem Tityum atq; Promethea clamo,
Vna quibus tantùm viscera carpat auis.
Non ita distentis laxantur corpora neruis,
Cum petitur dubij criminis indicium:
Non ita vexatæ tenduntur vincula nauis,
Cùm Notus insano miscuit astra freto:
Hic vbi deseuit, succedit calculus: illum
Protinus innascens acrior Hydra subit.
Aut caua tinnitu demurmurat auris acuto?
Aut facit arentem febris anhela sitim?
Aut sensim illabens lentus pulmonibus humor,
Vexatum tußi quassat vtrunq; latus.

Vexatum tußi quassat vtrumq; latus.
Interea medicus decocti vligine ligni
Oppugnat lentam persequiturq; luem.
Hic cibus, hic potus tenuatos recreat artus,
Et cum vicina prælia morte gerit.
At macie informi succum populante refugit
Et vigor & vultu qui fuit antè color.
Squallidus obsedit faciem situs, ossáq; præbent
Membra per arentem dinumeranda cutem.
Et velut in speculo se lumina cernere nolint
In latebras penitus retrò abiere suas.
Deniq; vos animis talem me fingite, quales
Ad tumulos manes credit adeße Timor.
Qualia pinguntur miseris simulachra figuris
Terrificæ Mortis mortiferæq; Famis.
At neq; Tastæus, nec Teuius aßidet, ore
Suauiloquo longum qui veret eße diem:
Nec mihi delicias blandi facit oris Alanus,
Nec lepida alludit garrulitate Petrus:
Nec recreant animum doctis sermonibus ægrum,
Cætera Vasconicæ turba diserta scholæ.
Sed nec amicitiæ mihi pectora cognita certæ
In medijs hic me deseruere malis.
Sæpe mihi medicas Groscollius explicat herbas,
Et spe languentem consilioq; iuuat.
Sæpe mihi Stephani solertia prouida Carli
Ad mala præsentem tristia portat opem.
Tornebus Aonij rarißima gloria cœtus,

Officijs vacuum non ſinit ire diem.
Cæteraq; vt ceſſent gelidè, pia cura ſodalis
Et patris, & patriæ ſuſtinet vſq; vicem.
Iſta leuant animum, cùm tellus luce retecta eſt:
At cùm ſol vitreis præcipitatur aquis,
Ingeminant mœſta pallentes agmine curæ,
Fingit & in formas ſomnia mille ſopor.
Illa mihi veſtros per cæca ſilentia vultus,
Oraq; per tenebras conſpicienda ferunt.
Alloquijsq; leuant animum fallacibus ægrum,
Et prohibent longas noctibus eſſe moras.
Sit licet hæc nimium leuis, & fugitiua voluptas,
Dulce tamen caris ſic quoq; poſſe frui.
Fors & nocte iſtuc etiam me ſomnia portant,
Et ſtatuor veſtrum pallidus ante torum:
Et tenui fundens ſuſpiria mœſta querela
Commiſeror vitæ fata ſiniſtra meæ.
Hoc vetet illa mihi ſors hactenus aſpera, ſurda
Nec ſaltem hîc noſtras abnuat aure preces.
Et vos obſcuræ ſuauiſsima pignora noctis
Somnia, pennato concita turba gradu
Efficite abſentes dolor hic ne tangat amicos,
Solus & è noſtris ſim miſer ipſe malis.
Quòd ſi Parcarum non exorabile numen
Ruperit ante ſuum ſtamina noſtra diem,
Sera mei fidos accedas fama ſodales
Funeris, & longa quàm pote falle mora.
Et vos vnanimes lacrymis abſiſtite amici,

Neu

Neu gemitu manes ſollicitate meos.
Si quis erit ſenſus ſupera quid agatur in aula,
Libera cùm vinclis corporis vmbra fugit,
Veſter erit luctus noſtræ quoq; lugubris vmbræ,
Nec mihi mors longi meta doloris erit.

Ad Franciſcum Oliuarium, Franciæ Cancellarium.

Si pudor audaces ſineret ſuus eſſe Camœnas,
Et qui virginibus purpurat ora metus,
Omnis Aquitani properaret turba Lycæi
Ante tuas ſupplex manè rubente fores.
Quod tamen ingenuus fari pudor impedit illas,
Promptus & in ſexu debiliore rubor:
Vna iubet teneris tibi cognita ſcilicet annis
Pauca quidem hæc verbis nos memorare ſuis.
Penè ſuum redijt circumfluus annus ad ortum,
Et propè defeſſis Phœbus anhelat equis,
Ex quo pauperies inopes miſerabilis vrget
Pieridas iuueni numina nota tibi.
Si fera barbaries trepidos vaſtaret agreſtes,
Et quateret bello mœnia durus Iber.
Publica priuatas lenirent damna querelas,
Iunctaq; cum populi ſollicitudo metu.
Nunc mala tempeſtas belli deſæuijt, vrbes
Pax fouet, & pleno copia larga ſinu.
Rura quies ſecura colit, mercator inermis
Impauido tutas remige ſulcat aquas.

Cætera tranquillæ senſerunt commoda pacis,
Cùm mala nos bellis aſperiora premant.
Quid modò ſquallentes turpi rubigine mores
Profuerit ſtudijs excoluiſſe bonis?
Quid modò barbariem iuuat expugnaſſe rebellem,
Inq́; triumphato figere caſtra ſolo,
Si tamen incolumi Franciſco & prole, ſecundum
Te quoq; poſt regum ſceptra, tenente locum,
Nos tenet obſeſſos miſerè crudelis egeſtas,
Nec ſinit Aonijs credere ſemen agris?
Hæc quoq; non noſtræ pars eſt poſtrema querelæ,
Si tibi neglectæ deſtituamur ope:
Cùm tamen ad ſummos per nos ſis vectus honores,
Ingenuò verum ſi licet ore loqui:
Quis neget inſontes tali ſub clade Camœnas,
Et non horrendi criminis eſſe reas?
Si nec Olivari ſaltem tibi credita cauſa eſt
Noſtra patrocinij digna fauore tui.
Si mala non puris vitiemus pocula ſuccis,
Miſtaq́; cum liquidis toxica demus aquis,
Non petimus velum deprenſæ obtendere culpæ:
Plectantur pœnis crimina quæq; ſuis.
Aut ſi per ſteriles comites fruſtramur arenas,
Non habeat faciles noſtra querela deos.
Sed neq; per ſteriles comites fruſtramur arenas,
Enecat iniectum nec ſibi ſemen ager.
Conueniant quamuis Latiæ, Francæq; Camœnæ
Quasq́; colit vaſto, Teutonis ora ſolo,

Non ſumus indecores Latijs Francisq́; Camœnis,
Quasq́; colit vaſto Teutonis ora ſolo.
Sin piget, & tanti non ſunt commercia noſtra,
Et nimio ſumptu credimur eſſe graues,
Id quoq́; ne pigeat citò ſpem præcidere vanam,
Vulnera nec longa noſtra fouere mora.
Hæc vbi ſpes aberit, vicinos altera Iberos,
Aut petet aurifero littora flaua Tago.
Aut modò pacatos trans æquora lata Britannos,
Aut iuga Sithonia ſemper operta niue.
Quælibet accipient Muſas loca: nam neq; deerit
Inter inhumanos hoſpita terra Getas.
Tu modò per ſi quid iuueni indulſere Camœnæ,
Cùm numeris aures detinuere tuas,
Aut ope præſenti miſeras ſolare, & egenas,
Aut ſaltem auxilij ſpem citò tolle tui.

Ad Aliſam è morbo pallidam & macilentam.

Vera'ne te facies miſeranda oſtendit Aliſa,
An'ne oculos fallax decipit vmbra meos?
Sed neq; decipiunt oculos modus oris & artuum,
Et Charitum quales vix rear eſſe pedes.
Et tua qui ſemper ſequitur veſtigia, ſiue
Diſcere vult geſtus, ſiue docere, Decor.
Sed quota me miſerum, pars hæc illius Aliſæ eſt
Inter Hamadryadas quæ modò prima fuit?
Heu color, & vultus ſine ruſticitate modeſti,

Et lepor, & blandis ira proterua minis.
Heu vbi letiferas vibrantia lumina flammas,
Et matutinis æmula labra rosis?
An tibi Theßalici vis perniciosa veneni
Torret ad arcanos cerea membra focos?
Aemulus an liuor te perdidit? & Venus ipsa
Indoluit formæ dicta secunda tuæ?
At tibi ego infelix senium deforme timebam,
Et cum rugosis pallida labra genis,
Et quæcunq; olim longinqui temporis ætas
Inuida formosis damna parare solet.
Sed tenero securus eram de flore, nec vnquam
Credideram tantum fata ego posse nefas.
Vos ô quas penes est vitæq; necisq; potestas
Sortitæ nimium regna superba deæ,
Quale decus primo fraudatis flore iuuentæ,
Debuit hoc vestris non licuisse colis.
Si vos fortè iuuant fletus prope busta recentes,
Et semper lacrymis sparsa fauilla nouis,
Carpite maturosq; senes, vetulasq; rigentes,
Sparsaq; vix raris tempora cana comis:
Carpite quos inopis torquent fastidia vitæ,
Quiq; velint annos præcipitare suos.
Parcite formosis, breue ver dum transuolet æui,
Parua mora haud parui muneris instar erit.
O` fera Persephone merito dilecta tyranno,
Quem miseri luctus, vinclaq; sæua iuuant,
Non ego te facie credo placuiße marito,

Sæui-

Sæuitia captus palluit ille tua.
Tu'ne potes virides annos fraudare iuuenta?
Et modò nascentem præsecuisse comam?
Totq; animas anima perdes crudelis in vna,
Heu frustra votis sæpe vocata pijs.
At puto non longùm lætabere, si modò verum est
Ditis inhumanum pectus amore capi.
Sit licet & ferro, sit durior ære rigenti,
Asperior furijs sit licet ille suis,
Hanc semel aspiciat, feritas placata quiescet,
Atq; hunc, qui vincit omnia, vincet amor.
Tum tibi prælatam neglecta dolebis Alisum,
Et viduum flebis frigida sera torum.
Quin animum nostris frange exorata querelis,
Victuræq; breuem temporis adde moram.
Quod tibi das, nobis poteris tribuisse videri,
Et lacrymas nobis, & tibi deme metum.

De Neæra.

Seruitij iuga dura & iniquum exosus amorem
Eripui dominæ me, rapuiq; fugam:
Sensit amor, pedibus celerem velocius alis
Vrget, & à nobis sic fugitiuus abis?
Dumq; facem rotat, & languentes colligit ignes,
Extinctam lacrymis hanc videt esse meis.
Ergo auidus pœnæ, tædæq; iratus inermi
Omnia de pharetra spicula fundit humi.
Omnia me contra iaculatur, & omnia frustra,

Pectoribusq; hærent spicula mille meis.
Cor, iecur & pulmo tot saucia facta sagittis,
Quo iaculis facerent, non habuere moram.
Non tot in Actæa patuere foramina cera,
Tecta nouo populo cùm noua ponit apis.
Non ita pro foribus stamen tralucet, Arachne
Hostibus aligeris præmeditante dolos.
Feruida tot telis non proficientibus ira,
Fugit ad auxilium dîa Neæra tuum.
Et capiti aßistens te dormitante capillum
Aureolum flauæ tollit ab orbe comæ.
Et mihi ridenti (quis enim non talia vincla
Rideat) arridens brachia vinxit Amor.
Luctantemq; diu, sed frustra euadere, traxit
Captiuam, dominæ restituitq; meæ.
Et nunc ille ferox, ipsiq; rebellis amori
Ah pudet, & solitus fortia verba loqui.
Iussa fero stimuli patiens, nec iniquus habenis,
Et trahor iratæ prœda relictus heræ.
At vos quos oculis melior Venus aspicit æquis,
Cunctaq; non durus vota secundat amor,
Ne gaudete, meis nec læti illudite damnis,
Quæ mea sors hodie est, cras fore vestra potest.

Ad Leonoram.

Ergo mihi nunquam nisi personata videnda es?
Cernere nec faciem fas Leonora tuam?
Alloquar absentem præsens? in luce serena

Tan-

Tanquam ſint tenebræ, non videam quid amem?
Oſculer, amplectar, tractem quod cernere non eſt?
Et tecum veluti te ſine ſemper ero?
Non ego Penelopen, ſi non videatur, amabo,
Gorgona ſi videam, Gorgona forſan amem.
Illa vel Oedipodas, vel Phineas vrat amicas,
Quæ faciem metuit ne tueare ſuam.
Per te, per verum, quicunq; eſt ille, colorem,
Perq́; oculos, oculosqui rapuere meos:
Quiſquis is eſt, verum vultum permitte videri,
Te volo, perſonam nolo videre tuam.
Dummodo certus amem, quiduis patienter amabo,
Cum tegitur Virtus, creditur eſſe nefas.
Dum cutis exiguas viſcato polline mendas
Illinis, ingentes ſuſpicione facis.
Nam cùm vera latent vero maiora timentur,
Et mens quid paueat neſcia, cuncta pauet.
At tibi nec labris vultum deformis equinis
Aethiopum calido venit ab axe pater,
Decolor aut fuſci genuit te filia Mauri,
Candida ſed patriæ nympha colore ſuæ.
Vtq́; fores nigro nigra Aethiopiſſa parente,
Ne me tuas nigram ne tamen vllus amet.
Candida mens fuſci penſabit damna coloris,
Quæ facie ingrata eſt, ſimplicitate placet.
Nec ſapor eſt vnus cunctis iucundus, odorq́;,
Nec facies oculis omnibus vna placet.
Simplicitas me nuda iuuat, mihi baſia pura,

Seruabis monachis oscula picta tuis.
Illos picta iuuent, quibus est sub tegmine duro
Relligio mores dissimulare suos.

De eadem.

Qualiter vt Phrygij crepuit tinnitus aheni,
Cymbala mellificas rauca morantur apes,
Sic mea se sistit, placidè & Leonora renidet,
Aera simul curua concrepuêre manu.
Hoc amat, hoc, sequitur stupidis hîc vultibus hæret,
Hos auida solos combibit aure sonos.
Non ferus argutas sonipes sic arrrigit aures,
Et furit vt tristes concinuere tubæ:
Non ita Mæonias matres stimulante Lyæo
Thyades effusis exiliere comis:
Non ita semimares Berecynthia tibia mystas
Cogit ad insanos membra secare modos:
Vt furit auditi crepitu Leonora metalli,
Gestit & assuetis obstupefacta sonis.
Cor salit, os ridet, lætis nitet ardor ocellis.
Palpitat & trepido sanguine vena micans:
Conferat huc magicos Circe Perseïa cantus,
Conferat Aeæis gramina lecta iugis,
Aes Leonora modò audierit, nec carmina vires,
Lecta nec Aeæis obtinet herba iugis.
Nec tamen ære capi nymphæ præcordia miror,
Aera mouent magnos sæpe minuta deos.
Est dea, Thessalicis sed cum iubet icta susurris

Luna,

Luna, laboranti fert sonus æris opem.
Quid rear? an cæcis rerum contagia causis
Naturæ certa corpora lege trahunt?
Ferro adamas, fuluo gaudet Leonora metallo,
Scilicet ingenio paret vterq; suo.
Audijt Aonio ductos vbi pectine montes,
Et nemora Orpheis capta fuisse modis,
Et citharam auratam contendit, & aurea plectra,
Aureaq; Orpheæ fila fuiße lyræ.
Et Danaen pluuio felicem prædicat auro,
Aureaq; hac merito iudice dicta Venus.
Hinc licet Aeacides precibus contendat Achilles,
Forma animus factis, nobilitate virens,
Si pretium accedat, pretio concedet Achillis,
Cum precibus virtus, forma, iuuenta, genus.
Hoc videt, hoc audit sentitq;, ad cætera surdam,
Nec credas oculos hanc, nec habere manus.
Nec coram statuis procumbit ad oscula sacris,
Lamina ni primos integat alba pedes:
Pulsaq; templorum cùm turribus æra resultant
Tum canere ad Veneris prælia signa putat:
Hoc facit vt pigros senio tardosq; podagra
Illa sacerdotes inpatienter amet.
Sustinet amplexu demortua membra fouere,
Molliaq; ad canas oscula ferre comas:
Et fluere in vultus spumantis fila saliuæ,
Et gelido nasi rore madere sinus.
Eq; oculis putrem stillantibus ebibit imbrem,

Et ſcabri dentis læta venena vorat:
Frigenteſq́; nouat iuuenilibus ignibus artus,
Excitat & niuea languida membra manu.
Tantum in amore valet ſperati amor improbus æris,
Tot iuuenum pallens vota cadauer habet.
Sed neq; carnificis dextram fugit illa cruenti,
Munera carnificis ſi modò dextra ferat.
Nec ſimul infremuit venis furioſa libido,
Subijcere ærato membra recuſet equo.
At vos ò Myſtæ Veneris iuſtiſsima cura
Queis florem ætatis deuouet illa ſuæ,
Hoc pro tot meritis ſaltem præſtate, ſenecta
Cùm tumulo ingeſti pulueris oſſa teget,
Aenea ne querulos dent tintinnabula pulſus,
Nec trepidis manes ſollicitate ſonis.
Nam ſemel arguti murmur ſi clanxerit æris,
Vmbra etiam cœlum linquet, vt æra petat.

Ad Carolum Quintum Imperatorem Burdegalæ hoſpitio publico ſuſceptum, nomine Scholæ Burdegalenſis, 1539.

Vaſconidis regnator aquæ generoſe Garumna,
Cui toties Latios faſces, totieſq́; curule
Fas ebur, & veteres ingentia nomina patres
Cæruleo excepiſſe ſinu, non contigit vnquam
Hoſpitij tibi maior honos, licet vſq; vetuſti

Tempo-

Temporis æterno series repetatur ab æuo,
Roma atauos quamuis, magnæ licet æmula Romæ
Proferat antiquos tellus Byzantia patres:
Ausoniæ regalis honos, decus orbis Iberi
Carolus, Arctoi soboles Mauortia Rheni
Vasconicam subit hospes humũ, quem pnblica poscũt
Vota orbis, famulas cui porrigit obuius vlnas
Albula, natiui quem tentat turbidus auri
Delitijs reuocare Tagus, quem iure paterno
Cærulei repetunt prima incunabula Rheni,
Cernere quem cupiunt gemino sub sole superbi
Brabaricis ambo exuuijs hinc Ister, & illinc
Bragada Marmaricæ lentus sulcator arenæ.
Burdegalam tamen ille tuam, tua tecta Garumna
Ingens hospes init, tibi maiestate remißa
Imperij decrescit apex, tectoq́; minori
Cæsareus succedit honos, priuata subire
Culmina dignantur Latij diademata regni.
Sic Hecale Aegiden, sic te Tyrinthia proles
Cœperunt rigidi mapalia nuda Molorchi:
Sic posita quondam sceptri grauitate perustos
Iupiter Aethiopas, canamq́; reuisere Tethin
Gaudet, & alternis interserit otia curis.
Ergo hospes positisq́; minis, ventisq́; Garumna
Compositis, Borea non obluctante, vel Austro,
Tranquillus, mitisq́; adsis, vultuq́; sereno
Crispentur tremulæ Zephyris felicibus vndæ.
Depositum tibi grande orbis, tibi publica vota,
Spemq́;

Spemq́; suam credit, rectorem gentis Iberæ,
Ausoniæ dominum, Boreæ pugnacis alumnum,
Victorem Libycæ terræ, Scythiæq́; timorem,
Quem colit occasus, Boreas amat, vltimus horret
Ortus, & infidi metuit solertia Mauri.
Cernis vt effractis popularia flumina claustris
Accurrant, properentq́; tuis se iungere Nymphæ
Fluctibus, Oceanus refluis vt plenior vndis
Maiores conuoluat aquas, cupideq́; videndi
Nereides, Nereusq́; pater, Tritonq́; canorus,
Et senior Glaucus, viridisq́; examina Phorci
Discursent tremula per stagna liquentia cauda?
Tu quoq; magnanimûm quamuis stirps Carole auorũ
Magnanimis sis maior auis, te Gallia quamuis
Obuia sollicitet, quamuis cunabula pandat
Rhenus, & Austriaci reuocent molimina sceptri,
Burdegalæ exiguos ne dedignere penates
Hospitio sancire tuo, quæ dispare quamuis
Fortunæ splendore tuo, paruoq́; paratu
Te capit hospitio, studio in te fortè fideli,
Atq́; animo regum ingentes æquauerit aulas.
At famæ si dandá fides, subiere minores
Numina sæpe casas, ac non ingrata voluntas
Hospitis, & magnum cepit mens grata Tonantem.
Obsequijs concede pijs, concede fauori
Burdegalæ, totam tibi quæ cum ciuibus vrbem
Deuouet, vt seri poßint meminisse nepotes
Quæ loca tu quondam, quæ tecta impleueris ingens
Hospes

Hoſpes, & externis veniens peregrinus ab oris,
Diſcere magnanimi cupiat veſtigia Carli.
Si locus hic ſupereſt, inter ſi nomina tanta
Admittunt tenues communia gaudia Muſas,
Verſibus incultis Aquitanis turba Camœnis
Dedita te ſtudijs patronum, & pacis adorat
Auctorem, facileſq; vias, facileſq; recurſus
Exoptat, Pylios & cùm ſuperaueris annos,
Iam tibi promiſsam ſuper aurea ſidera vitam.

Deſiderium Lutetiæ.

O` formoſa Amarylli, tuo iam ſeptima bruma
Me procul aſpectu, iam ſeptima detinet æſtas:
Sed neq; ſeptima bruma niualibus horrida nimbis,
Septima nec rapidis candens feruoribus æſtas
Extinxit vigiles noſtro ſub pectore curas.
Tu mihi manè nouo carmen, dum roſida tondet
Arua pecus, medio tu carmen ſolis in æſtu,
Et cùm iam longas præceps Nox porrigit vmbras,
Nec mihi quæ tenebris condit Nox omnia, vultus
Eſt potis occultare tuos, te nocte ſub atra
Alloquor, amplector, falſaq; in imagine ſomni
Gaudia ſollicitam palpant euanida mentem:
At cùm ſomnus abit, curis cùm luce renatis
Tecta miſer fugio, tanquam mihi tecta doloris
Semina ſubijciant, & ſolis mœſtus in agris,
Quà vagus error agit feror, & deſerta querelis
Antra meis, ſyluaſq; & conſcia ſaxa fatigo.

Sola meos planctus Echo miserata gementi
Adgemit, & quoties suspiria pectore duco,
Hæc quoq; vicino toties suspirat ab antro,
Sæpe super celsæ prærupta cacumina rupis
In mare prospiciens spumantia cærula demens
Alloquor, & surdis iacto irrita vota procellis.
O' mare, quæq; maris vitreas Nereides vndas
Finditis, in vestros placidæ me admittite portus:
Aut hoc si nimium est, nec naufragus ire recuso,
Dummodò delectas teneam vel naufragus oras.
O' quoties dixi Zephyris properantibus illuc,
Felices pulchram visuri Amaryllida venti,
Sic neq; Pyrene duris in cotibus alas
Atteret, & vestros non rumpent nubila cursus.
Dicite vesanos Amaryllidi Daphnidos ignes.
O' quoties Euro leuibus cum raderet alis
Aequora, dicebam felix Amaryllide visa.
Dic mihi núm meminit nostri? núm mutua sentit
Vulnera? num veteris viuunt vestigia flammæ?
Ille ferox contra rauco cùm murmure stridens,
Auolet irati similis, mihi frigore pectus
Congelat, exanimes torpor grauis alligat artus.
Nec me pastorum recreant solamina, nec me
Fistula, Nympharumq; leues per prata choreæ,
Nec quæ capripedes modulantur carmina Panes,
Vna meos sic est prædata Amaryllis amores.
Et me tympana docta ciere canora Lycisca,
Et me blanda Melænis amauit, Iberides ambæ,
Ambæ

Ambæ florentes annis,opibusq; superbæ.
Et mihi dotales centum cum matribus agnos
Ipsi promisere patres,mihi munera matres
Spondebant clàm multa,meum nec munera pectus,
Nec niuei mouere suis cum matribus agni,
Nec quas blanditias teneræ dixêre puellæ,
Nec quas delitias teneræ fecere puellæ.
Quantum ver hyemem, victum puer integer æui,
Ter viduam thalamis virgo matura parentem,
Quàm superat Durium Rhodanus, quàm Sequana Mũdã,
Lenis Arar Sycorim,Ligeris formosus Iberũ,
Francigenas inter Ligeris pulcherrimus amnes,
Tantum omnes vincit Nymphas Amaryllis Iberas.
Sæpe suos vultus speculata Melænis in vnda .
Composuit, pinxitq; oculos,finxitq; capillum,
Et voluit,simul & meruit formosa videri.
Sæpe mihi dixit,animi malè perdite Daphni,
Cur tibi longinquos libet insanire furores?
Et quod ames dare nostra potest tibi terra,racemos
Collige purpureos,& spes ne concipe lentas.
Sæpe choros festos me prætereunte Lycisca
Cernere dissimulans,vultusq; auersa canebat,
Hæc,pedibus terram,& manibus caua tympana pulsans:
Et Nemesis grauis ira,atq; irritabile numen
Et Nemesis læsos etiam punitur amores.
Vidi ego dum leporem venator captat,Echinum
Spernere,post vanos redeuntem deinde labores,
Vespere nec retulisse domum leporem, nec Echinum.

Vidi ego qui mulum peteret piſcator, & arctis
Retibus implicitam tincam ſpreuiſſet opimam,
Veſpere nec retuliſſe domum mulum, neq; tincam.
Vidi ego qui calamos creſcentes ordine riſit
Paſtor arundineos, dum torno raſile buxum
Fruſtra amat (interea calamos quos riſerat, alter
Paſtor habet) fragiles contentum inflare cicutas.
Sic ſolet in modicos Nemeſis contundere faſtus.
Hæc & plura Melænis, & hæc & plura Lyciſca
Cantabant ſurdas fruſtra mihi ſemper ad aures.
Sed canis antè lupas, & taurus diliget vrſas,
Et vulpem lepores, & amabit dama leænas,
Quàm vel tympana docta ciere canora Lyciſca,
Mutabit noſtros vel blanda Melænis amores.
Et prius æquoribus piſces & montibus vmbræ,
Et volucres deerunt ſyluis, & murmura ventis,
Quàm mihi diſcedent formoſæ Amaryllidos ignes.
Illa meum rudibus ſuccendit pectora flammis,
Tinet illa meos moriens morientis amores.

Genethliacon Iacobi ſexti Regis Scotorum.

Creſce puer patriæ auſpicijs felicibus orte,
Expectate puer, cui vatum oracla priorum
Aurea compoſitis promittunt ſæcula bellis.
Tuq; peregrinis toties pulſata procellis
Penè tuo toties exciſa Britannia ferro,
Exere læta caput, cohibe pacalis oliuæ

Fronde

Fronde comam, repara flammis fœdata ruinis
Conuulſa, & pulſo quate ſquallida tecta colono.
Pone metum, æternam ſpondent tibi ſidera pacem.
Iam neq; Saxonidæ Scotos, nec Saxona Scotus
Infeſtus premet, & cognato ſanguine ferrum
Polluet, & miſeras prædando exhauriet vrbes.
Sed quibus antè feri tractabunt arma Gradiui,
Iam dehinc pacatis coniungent fœdera dextris.
Vos quoq; felices felici prole parentes,
Iam tenerum teneris puerum conſueſcite ab annis
Iuſticiæ, ſanctumq́; bibat virtutis amorem
Cum lacte & primis pietas comes addita cunis,
Conformetq́; animũ, & pariter cum corpore creſcat.
Non ita conuerſi puppis moderamine claui “
Flectitur, vt populi pendent à principe mores. “
Non carcer, legumq́; minæ, toruæq́; ſecures “
Sic animos terrent trepidos formidine pœnæ, “
Vt veræ virtutis honos, moresq́; modeſti “
Regis, & innocui decus & reuerentia ſceptri “
Conuertunt mentes ad honeſta exempla ſequaces. “
Sic vbi de patrio rediuiuus funere Phœnix
Auroræ ad populos redit, & cunabula ſecum
Ipſe ſua & cineres patris, inferiasq́; decoris
Fert humeris, quacunq; citis adremigat alis,
Indigenæ comitantur aues, celebrantq́; canoro
Agmine, non illa ſpecies incognita tantum,
Aut picturatæ capiunt ſpectacula pennæ,
Quàm pietas, pietas etiam intellecta volucrum

Sensibus: vsqueadeò recti Natura per omnes
" Diffudit rerum viuacia semina partes,
Sic in Regem oculos populus defigit, & vnum
Admirantur, amant, imitantur, seq; suosq;
Ex hoc ceu speculo tentant effingere mores.
" Quod non sanguinei metuenda potentia ferri
" Exprimet, & nitidæ florentes ære phalanges,
Hoc præstabit amor, certat cum principe vulgus
Officijs, & amat cùm se deprendit amari.
Et domino seruit, quia non seruire necesse est.
Quasq; bonus princeps laxat sponte, arctat habenas,
Deposcitq; iugum quod vi cogente metuq;
Reiecturus erat, contra indulgentior ille
Rexq; paterq; suis adimit, subit ipse labores,
Quæq; iubet primus præit, & legum aspera iussa
Mollia parendo facit, erratisq; suorum
Parcere non durus, sibi inexorabilis vni.
Ille, nec in cultu superet, mensaq; domoq;
Quem posuit natura modum, nec more ferarum
In Venerem præceps, sed certo fine pudoris
Casta colat sancti genialia fœdera lecti.
Quis bombyce ausit cultus fœdare viriles,
Si ferat indigenam maiestas regia vestem?
Quis de lege tori tanquam sit dura queratur,
Cùm teneat Regem, cui non temulentia turpis
Principe sub sicco? patrios quis frangere mores
Audeat, ignauoq; animum corrumpere luxu,
Ipse voluptatum cùm princeps fræna coërcet,

Et

Et nimium lætam vitiorum comprimat herbam?
Talem Romulidæ tranquilla pace fruentem
Sacrificum videre Numam, Solomonta potentem
Palmifer Euphrates: non illis lethifer ensis,
Non bellator equus firmauit regna, nec axis
Falcifer, aut densis legio conserta maniplis,
Sed pietatis amor, sed nulli noxia virtus,
Fretaq; præsidio Maiestas iuris inermi.
At qui gemmiferos victor penetrauit ad Indos
Dux Macedûm, quiq; Ausoniam tenuere superbo
Imperio reges, aut ferro, aut tabe veneni
Effudêre animas, & cædem cæde piarunt.
Scilicet humano generi natura benigni "
Nil dedit, aut tribuet moderato principe maius, "
In quo vera Dei, viuensq; elucet imago. "
Hanc seu Rex vitijs contaminet ipse pudendis, "
Siue alius ferro violet vel fraude, seueras "
Sacrilego Deus ipse petet de sanguine pœnas, "
Contemptumq; sui simulacri haud linquet inultum,
Sic Nero crudelis, sic Flauius vltimus, & qui
Imperio Siculas vrbes tenuêre superbo,
Effigiem fœdare Dei exitialibus ausi
Flagitijs, ipsa periere à stirpe recisi.
Sic qui se iusti macularunt sanguine Serui,
Et qui legitimos ferro flammaq; petiuit
Rectores patriæ Catilina nefarius, acti
In furias misero vix tandem funere vitam
Inuisam posuêre, ignominiaq; perenni

Fœdauere suam ventura in secula gentem.
Hæc tener addiscat, maturo exerceat æuo,
" Et regnare putet multos se latius, oræ
" Hesperiæ fuscos quàm si coniunxerit Indos,
" Si poterit Rex esse sui Rex esse suorum.

Desiderium Ptolomæi Luxij Tastæi.

Vsque adeò patrij sordet tibi ripa Garumnæ,
Pictones vt scopulos, atq; horrida tesqua frutetis
Durus ames? nec te sociûm, pecorisq; larisq;
Cura tenet, nec quam socijs pecoriq; lariq;
Prætuleras, cui sæpe rosas, cui sæpe solebas
Pallida cum niueis vaccinia ferre ligustris:
Quam tu sideribus, quam tu componere soli
Ausus eras, cuius nitidis radiantia gemmis
Sola tibi purum fundebant lumina lumen.
Nunc tamẽ (heu nunquã constans in amore voluptas)
Tu procul hinc steriles rupes colis immemor agri
Vasconiciq; gregis, Nymphæq; oblitus amatæ:
Forsitan & stupidas bona carmina perdis ad aures,
Interea nostris pastoria fistula syluis
Muta silet, mutæ pecudes, mutæq; volucres,
Nec strepit assueto Zephyri leuis aura susurro.
Noctua successit Philomelæ, & Acanthidi bubo,
Stryxq; nocens pueris, & tristis ad omina Cornix,
Raucaq; fluminææ recinunt conuicia ranæ.
Sic vbi fausta sedet volucris, non gutture læto
Mulcet

Mulcet agros, non in tractus lasciua volatu
Emicat aërios, tristi sed murmure mœstum,
Et lugubre sonans sedet in dumis desertis
Abdita, turbatis deformis est horrida pennis.
Ipse ego cùm calamos mœsti solatia luctus
Sumere tentarem, crudumq; leuare dolorem
Carmine, vix primis admoram labra cicutis,
Siue fuit casus, seu (quod magis auguror) omen,
Et mala quæ mentem nunquam præsagia fallunt,
Flebile raucisonæ responsauêre cicutæ.
Ipsæ etiam in tumidis Nymphæ Oceanitides vndis,
Ipsæ etiam in placidis Nymphæ Dardonides antris,
Ipsi etiam montes, ipsæ etiam conualles
Auditæ longas per noctem iterare querelas.
Sed neq; te tantum, (quanquam te flumina lugent)
Nec tantùm Nymphæ, syluæ, volucresq; feræq;,
Quantum te in solis solus gemit Agrius antris,
Illum ego congressusq; hominum & consortia tecta
Vitantem, tacitæ per muta silentia syluæ
Dum sequor, & voces capto, & vestigia seruo,
Hæc memini mœsta conuicia fundere lingua.
Pictones ô scopuli, & nudis imperuia saxis
Culmina, & exiguæ malè pinguia culta Crotellæ,
Quæq; paris raras tantùm sylua horrida glandes,
Ah quibus infames magicis in collibus herbas
Gignitis? Aeæi quæ vis occulta veneni
Hinc procul in vestris Ptolemæum detinet oris?
Certè ibi purpureis non Lotos aquatica baccis

Quæ tenuit socios tardè redeuntis Vlyssei,
Non Cereri lustratus ager, non commoda bubus
Pascua, non virides generoso palmite colles,
Qualia Vasconicæ felicia iugera glebæ,
Cæteraq; vt constent, non quæ dedit vbera primùm
Hic genitrix, non quod tua primùm infantia cœlum
Hausit, & infirmis pulsus vagitibus aër,
Reptatumq; solum puero, non falce notata
Sylua sub hirsuto seruat tua carmina libro,
Carmina nequicquam memorē spondentia mentem.
Quid tamen hoc prodest, patrij quòd ripa Garumnæ
Et virides frondes, & amœnam in frondibus vmbram
Prima tibi dederit, si tu non tangeris istis.
At te si capiunt inamœno robore colles,
Quodq; per incultas arescit gramen arenas,
Raraq; quæ canis languet vindemia saxis,
Ipse suas vites, sua pinguia culta Garumna
Oderit, & nulla redimitus arundine frontem
In mare per steriles lentè prorepet arenas.
Quid precer ô syluæ vobis, quid saxa, quid vndæ?
Quid campis precer, & pecori, pecorisq; magistris,
Quos mihi, quos patriæ Ptolemæus prætulit oræ?
Sylua neget glandes, & Bacchi munera colles,
Torreat arua sitis, scabies pecus, atra magistros
Pestis, & insani perimant contagia morbi,
Sospite Tastæo patriæq; mihiq; sibiq;
Immemor vt visat memores inuitus amicos.
Hei mihi? quid syluæ & campi meruere? quid vndæ?

Quid

Quid pecus? & pecoris quid commeruêre magistri?
Hæc ego deuoueam, patrijs quæ prætulit aruis
Pascua Tastæus? piget, & mea vota retracto:
Rursus & iratæ linguæ maledicta recanto.
Glande nemus, fœtu pecus, vua vitis abundet,
Puraq́; perspicuis manet de fontibus vnda,
Pabula dent campi, syluæ pastoribus vmbras,
Sub quibus arguta carmen modulentur auena.
Quæ te cunq; tenet tellus, quæcunq; tenebit
Siue per æstiferas Libyæ sitientis arenas
Pastor ages pecudes, Boreæ seu iuncta niuali
Rura coles, Libycum Boreas riget imbribus axem,
Et rigor Arctous tepido mitescat ab Austro,
Et quacunq; feres greßus, tibi balsama sudet
Quercus, mella rubis, tribulisq́; legatur amomum,
Dum neq; terra ferax mellis, neq́; diuos amomo
Esse tibi patrio videatur amicius aruo.
Me miserum? quid vana queror? procul ille remotis
Saltibus externos forsan suspirat amores.
At vos ô venti, tuq́; ô pulsata querelis
Aura meis toties, & amari conscia luctus
Partem aliquam duras Ptolemæi perfer ad aures.
Ille licet scopulis (quod non puto) durior ipsis
Fiat, & antiqui (quod nolim) oblitus amici,
Cùm tamen audierit gemitus, moturaq́; rupes
Verba mei luctus, nostro ingemet ille dolori,
Dicet, & hic nostræ fuit admirator auenæ.
Plura locuturo vultum sub nube recondens

Tristior occiduas Phœbus descendit in vndas.

Francisci Valesij, & Mariæ Stuartæ Regum Franciæ & Scotiæ, Epithalamium.

Vnde repentino fremuerunt viscera motu?
Cur Phœbum desueta pati præcordia anhelus
Feruor agit, mutæq; diu Parnasidos vmbræ
Turba iterum arcanis renouat Pæana sub antris?
Nuper enim memini squallebat marcida Laurus,
Muta chelys, tristis Phœbus citharæq; repertor
Archas, & ad surdas fundebam vota sorores.
Nunc Phœbi delubra patent, nunc Delphica rupes
Panditur, & sacro cortina remugit ab antro.
Nunc Lauro meliore comas inuexa sororum
Turba venit, nunc Aoniæ, non inuida Lymphæ
Irrigat æternos Pimplæi ruris honores,
Lætaq; Pieriæ reuirescit gloria syluæ.
Fallimur? an nitidæ tibi se Francisce Camœnæ
Exornant? tibi serta parant, tibi flore recenti
Templa nouant, mutumq; diu formidine Martis
Gaudent insolitis celebrare Helicona choreis.
Scilicet haud alius nemoris decerpere fructus
Dignior Aonij, seu quem numerare triumphos
Fortè iuuat patrios, seu consecrata Camœnis
Otia? sic certè est. Hinc læto compita plausu
Cuncta fremunt, legumq; exuta licentia frenos
Ludit? Hymen, Hymenæus adest, lux illa pudicis

Expecta-

Exoptata diu votis, lux aurea venit,
Venit. Habes tandem toties quod mente petiſti:
O decus Hectoridum iuuenis, iam pone querelas,
Deſine ſpes nimium lentas, iam deſine longas
Incuſare moras, dum tardum ſignifer annum
Torqueat, ignauos peragat dum Cynthia menſes,
Grande moræ precium fers: quod ſi priſca tuliſſent
Sæcula, non raptos fleſſet Menelaus amores,
Et ſine vi, ſine cæde Phrygum Cytherea probatæ
Soluere Priamidæ potuiſſet præmia formæ.
Digna quidem facies, quam vel trans æquoris æſtus
Claſſe Paris rapiat, vel coniurata repoſcat
Græcia, nec minus eſt animi tibi, nec minor ardor
Quàm Phrygio, Graioúe duci, ſi poſtulet arma
Coniugij tutela tui. Sed mitior in te
Et Venus, & teneri fuit indulgentia nati,
Qui quod ames tribuêre domi, puerilibus annis
Cœptus amor tecum creuit, quantumq́; iuuentæ
Viribus acceſſit, tanto ſe flamma per artus
Acrius accendens tenerum paſcebat amorem.
Non tibi cura fuit, quæ ſæpius anxia Regum
Pectora ſollicitet longinquæ obnoxia flammæ,
Nec metus is torſit, veri prænuncia fama
Ne vero maiora ferat, dum ſecula priſca
Eleuat, & primum formæ tibi ſpondet honorem:
Cera nec in varias docilis tranſire figuras
Suſpendit trepidam dubia formidine mentem.
Nec tua commiſti tacitis ſuſpiria chartis,

Rumo-

Rumorisq; vagam timuisti pallidus vmbram,
Ipse tibi explorator eras, formæq; probator,
Et morum testis: nec conciliauit amorem
Hanc tibi luxuries legum indignata teneri
Imperio, aut primis temerarius ardor ab annis,
Sed sexu virtus, annis prudentia maior,
Et decori pudor, & coniuncta modestia sceptris,
Atq; hæc cuncta ligans arcano Gratia nexu.
Spes igitur dubiæ, lentæq; facessite curæ,
Ipse tuis oculis tua vota tuere, probasq;,
Speratosq; leges sine sollicitudine fructus,
Nullaq; fallacis delusus imagine somni
Irrita mendaci facies conuicia nocti.
Expectatus Hymen iam iunget fœdere dextras,
Mox etiam amplecti, mox & geminare licebit
Basia, mox etiam non tantùm basia: sed tu
Quamlibet approperes, animo moderare, beatum
Nobiscum partire diem, tu gaudia noctis
Solus tota feres: quanquam neq; gaudia noctis
Solus tota feres: & nos communiter æquum est
Læticiam gaudere tuam, communia vota
Fecimus, & sacras pariter placauimus aras,
Miscuimusq; preces, & spesq; metusq; tuosq;
Sensimus affectus, ægrè tecum hausimus vna
Tædia longa moræ, Superi nunc plena secundi
Gaudia cùm referant, sensus peruenit ad omnes
Læticiæ, mentemq; ciens renouata voluptas
Crescit, & exultant trepidis præcordia fibris.

Qua-

Qualis vbi Eois Phœbus caput extulit vndis
Purus, & auratum non turbidus extulit axem,
Cuspide iucundæ lucis percussa renident
Arua, micat tremulo crispatus lumine pontus,
Lenibus aspirat flabris innubilus aër,
Blanda serenati ridet clementia cœli.
At si nubiferos effuderit Aeolus Austros,
Et pluuijs grauidam cœlo subtexuit vmbram,
Mœsta horret rerum facies, deformia lugent
Arua, tument fluctus, campis grauis incubat aër,
Torpet & obductum picea caligine cœlum.
Sic ex te populus suspensus gaudia, curas,
Mœroresq; trahit, rosea nec sola iuuenta
Florida, nec spatijs quæ te propioribus ætas
Insequitur, genio indulget, vultuq; soluto
Lusibus exhilarant aptos iuuenilibus annos.
Hunc posita vultus grauitate seuerior ætas
Lætatur celebrare diem, matresq; verendæ
Non tacito hunc, tacitoq; optat virguncula voto.
Quid loquar humanas admittere gaudia mentes?
Ipsa parens rerum totos renouata per artus
Gestit, & in vestros penitus conspirat honores.
Aspice iam primum radiati luminis orbem
Semper inexhausto lustrantem lampade terras
Vt niteat, blanda vt flagrantes mitiget ignes
Temperie, vt cupido spectacula vestra tueri
Purpureo vultus maturior exerat ortu,
Serius occiduas currus demittat in vndas,

Vt

Vt gelidas repetens flamma propiore triones
Contrahat æstiuas angusta luce tenebras.
Ipsa etiam tellus virides renouatur amictus,
Et modò pampineas meditatur collibus vmbras,
Et modò meße agros, modò pingit floribus hortos,
Horrida nec tenero ceßant mansuescere fœtu
Tesqua, nec armati spina sub brachia vepres,
Nec curuare feros pomis auiaria ramos,
Inq; omnes frugum facies bona copia cornu
Soluit, & omniferum beat indulgentior annum
Pignoris hoc spondens felices omine tædas.
Fortunati ambo, & felici tempore nati,
Et thalamis iuncti, vestram concordia mundi
Spem fouet, aspirat votis, indulget honori:
Atq; vtinam nullis vnquam labefacta querelis
Coniugium hoc canos concordia feruet in annos,
Et mihi in vano fallax præcordia Phœbus
Impulit augurio, quem iungit sanguinis ortus,
Et commune genus proauûm serieq; perenni
Fœdus amicitiæ solidum, quem more vetusto
Sancta verendarum committunt fœdera legum,
Nulla dies vnquam vestrum diuellet amorem:
Vos quoq; fœlici lucent quibus omine tædæ,
Quò studium, populiq; fauor, quò publica regni
Vota precesq; vocant, alacres accedite: tuq;
Tu prior ô Reges *non ementite parentes,*
Hectoride iuuenis tota complectere mente
Quam dedit vxorem tibi lex, natura sororem,
Paren-

Parentem imperio sexus, dominamq; voluntas,
Quàm sociam vitæ tibi coniunxere parentes,
Et genus, & virtus, & forma, & nubilis ætas,
Et promissa fides, & qui tot vincula nectens
Firmius arctat amor totidem per vincula nexus.
Si tibi communi ascensu connubia Diuæ
Annuerent, Paris vmbrosa quas vidit in Ida,
Permittantq; tuo socias tibi iungere tædas
Arbitrio, quid iam voti licet improbus optes
Amplius eximiæ delectat gratia formæ,
Aspice quantus honos frontis, quæ gratia blandis
Interfusa genis, quàm mitis flamma decoris
Fulguret ex oculis, quàm conspirarit amico
Fœdere cum tenera grauitas matura iuuenta,
Lenis & augusta cùm maiestate venustas,
Pectora nec formæ cedunt exercita curis
Palladijs, & Pierias exculta per artes
Tranquillant placidos Sophia sub iudice mores.
Si series generis, longusq; propaginis ordo
Quæritur: hæc vna centum de stirpe nepotes
Sceptriferos numerare potest, hæc regia sola est,
Quæ bis dena suis includat sæcula factis.
Vnica vicinis toties pulsata procellis
Externi immunis domini, quodcunq; vetustum
Gentibus in reliquis vel narrat fama, vel audet
Fabula, longæuis vel credunt sæcula fastis,
Huc compone, nouum est: Ampla si dote moueris,
Accipe dotales Mauortia pectora Scotos,

Nec tibi frugiferæ memorabo hîc iugera glebæ,
Aut æris grauidos & plumbi pondere sulcos,
Et nitidos auro montes, ferroq́; rigentes,
Deq́; metalliferis manantia flumina venis:
Quæq́; beant alias communia commoda gentes.
Hæc vulgus miretur iners, quiq́; omnia spernunt
Præter opes, quibus aßiduè sitis acris habendi
Tabifico oblimat præcordia crassa veneno.
Illa pharetratis est propria gloria Scotis,
Cingere venatu saltus, superare natando
Flumina, ferre famem, contemnere frigora & æstus.
Nec fossa & muris patriam, sed Marte tueri,
Et spreta incolumem vita defendere famam,
Polliciti seruare fidem, sanctumq́; vereri
Numen amicitiæ, mores, non munus amare.
Artibus his, totum fremerent cùm bella per orbem,
Nullaq́; non leges tellus mutaret auitas
Externo subiecta iugo, gens vna vetustis
Sedibus antiqua sub libertate resedit.
Substitit hîc Gothi furor, hic grauis impetus hæsit
Saxonis, hîc Cimber superato Saxone, & acri
Perdomito Neuster Cimbro. Si voluere priscos
Non piget annales, hîc & victoria fixit
Præcipitem Romana gradum, quẽ non grauis Auster
Reppulit, incultis non squallens Parthia campis,
Non æstu Meroë, non frigore Rhenus & Albis
Tardauit, Latium remorata est Scotia cursum:
Solaq́; gens mundi est, cum qua non culmine montis,
Non

Non rapidi ripis amnis, non obijce syluæ,
Non vasti spatijs campi Romana potestas,
Sed muris fossáq; sui confinia regni
Muniuit, gentesq; alias cùm pelleret armis
Sedibus, aut victos vilem seruarit in vsum
Seruitij, hic contenta suos defendere fines
Roma securigeris prætendit mœnia Scotis,
Hìc spe progressus posita Carronis ad vndam
Terminus Ausonij signat diuortia regni.
Ne'ue putes duri studijs assueta Gradiui
Pectora mansuetas non emollescere ad artes,
Hæc quoq; cùm Latiũ quateret Mars barbarus orbẽ
Sola propè expulsis fuit hospita terra Camœnis.
Hinc Sophiæ Graiæ, Sophiæ decreta Latinæ
Doctoresq; rudis, formatoresq; iuuentæ
Carolus ad Celtas traduxit: Carolus idem
Qui Francis Latios fasces, trabeamq; Quirini
Ferre dedit Francis, coniunxit fœdere Scotos,
Fœdere, quod neq; Mars ferro, nec turbida posit
Soluere seditio, aut dominandi insana cupido,
Nec series æui, nec vis vlla altera, præter
Sanctius, & vinclis fœdus propioribus arctans.
Tu licet ex illa numeres ætate triumphos,
Et coniuratum cunctis è partibus orbem
Nominis ad Franci exitium, sine milite Scoto
Nulla vnquam Francis fulsit victoria castris,
Nulla vnquam Hectoridas sine Scoto sanguine clades
Sæuior oppreßit: tulit hæc communiter omnes

H For-

Fortunæ gens vna vices. Francisce minantes
Sæpe in se vertit gladios: scit belliger Anglus,
Scit ferus hoc Batauus, testis Phaëtontias vnda,
Nec semel infaustis repetita Neapolis armis:
Hanc tibi dat coniux dotem, tot sæcula fidam,
Coniunctamq́; tuis sociali fœdere gentem,
Auspicium fœlix thalamis concordibus, armis
Indomitos populos per tot discrimina, felix
Auspicium bellis venturæq́; omina palmæ.
At tu coniugio Nymphæ dignata superbo
Te licet & Iuno, & bellis metuenda virago,
Et Venus, & Charitum larga indulgentia certet
Muneribus decorare suis, licet ille secundus
Spe votisq́; hominum Francæ moderator habenæ
Et solo genitore minor tibi Regia sceptra
Submittat, blando & dominam te prædicet ore,
Sexum agnosce tamen, dominæq́; immunis habenæ
Hactenus, imperio iam nunc assuesce iugali.
Disce iugum, sed cum dilecto coniuge ferre:
Disce pati imperium, victrix patiendo futura.
Aspicis Oceanum saxa indignatus vt vndis
Verberet, & cautes tumida circunfremat ira:
Rupibus incursat, demoliturq́; procellis
Fundamenta terens, scopulisq́; assultat adesis.
Ast vbi se tellus molli substrauit arena,
Hospitioq́; Deum blandè inuitauit amœno,
Ipse domat vires, placidusq́; & se minor ire
In thalamos gaudet non toruo turbidus ore,

Non

Non spumis fremituq; minax, sed fronte serena
Littus inoffensum lambit, sensimq; relabens
Arrepit facilis cerni, & ceu millia captet
Oscula, ludentes in littore lubricat vndas.
Cernis vt infirmis hedera enitatur in altum
Frondibus, & molli serpens in robora flexu
Paulatim insinuet sese, & complexibus hærens
Emicet, & medijs pariter caput inserat astris:
Flectitur obsequio rigor, obsequioq; paratur,
Et retinetur amor: Neu te iactura relictæ
Sollicitet patriæ, desideriumq; parentis.
Hæc quoq; terra tibi patria est, hîc stirpe propinqui,
Hîc generis pars magna tui, multosq; per annos
Fortunatorum series longißima Regum,
Vnde genus ducis, rerum moderatur habenas.
Quoquò oculos vertes, quoquò vestigia flectes,
Cognatis pars nulla vacat, locus exhibet omnis
Aut generis socios, aut fastis inclyta gentis
Ostentat monumenta tuæ. Iam vt cætera mittam,
Hîc te qui cunctis meritò præponderat vnus
Expectat longè pulcherrimus Hectoridarum,
Penè tibi stirpis communis origine frater.
Mox etiam fratrem quòd vincat amore futurus
Et matrem, & quicquid consanguinitate verendum
Lex facit, & legum quàm iussa valentior vlla
Naturæ arcanos pulsans reuerentia sensus.
Hic quoq; ni iustis obsistent numina votis,
Falsaq; credulitas frustra spem nutrit inanem,

Filius ore patrem referens, & filia matrem
Sanguine communi vinclum communis amoris
Firmabunt, breuibusq́; amplexi colla lacertis
Discutient blando curarum nubila risu.
Hunc vitæ mihi fata modum concedite, donec
Iuncta Caledoniæ tot sæclis Gallia genti
Officijs, pactisq́;, & legum compede fratrum
Subdita dehinc sceptris animo coalescat, & vndis
Quos mare, quos vastis cœlum spatijsq́; solumq́;
Diuidit, hos populum Concordia nectat in vnum,
Aequæua æternis cœli Concordia flammis.

De Equo Elogium.

Cætera rerum opifex animalia finxit ad vsus
Quæq; suos: Equus ad cunctos se accommodat vnus,
Plaustra trahit, fert clitellas, fert esseda, terram
Vomere proscindit, dominum fert siue natatu
Flumina, seu fossam saltu, seu vincere cursu
Est salebras opus, aut canibus circundare saltus,
Aut molles glomerare gradus, aut flectere gyros,
Libera seu vacuis ludat lasciuia campis.
Quòd si bella vocent, tremulos vigor acer in artus
It, domino & socias vomit ore & naribus iras.
Vulneribusq́; offert generosum pectus, & vnà
Gaudia mœrorem sumit ponitq́; vicissim
Cum domino: sortem sic officiosus in omnem
Vt veteres nobis tam certo fœdere iunctum
Crediderint mixta coalescere posse figura,

Inq́;

Inq́; Pelethronijs Centauros edere siluis.

Deploratio status rei Gallicæ, sub mortem Francisci Secundi Regis.

O' Dea quæ nimijs succeßibus inuida fastus
Spesq́; premis timidas, si Gallia fortè secundis
Non moderata animum rebus, si prodiga linguæ,
Improba si voti tua numina læserit, iræ
Pone modum, & feßis propius bona consule rebus.
Quicquid enim pœnæ meruit vel noxa vel error
Cladibus eluimus, quos non infecimus amnes
Sanguine, naufragijs mare teximus, oßibus agros?
Oppida quot spoliata? suis viduata colonis
Rura quot incultis horrent squallentia dumis?
Pax quoq; non fido vultum fucata veneno
Sæuior incubuit bello: Dum thura litamus
Ignibus & superis læti instauramus honores,
Ipse gubernator fortunæ victima ad oram
Immatura suo turbauit gaudia luctu,
Concußitq́; vna pariter labefacta ruina
Omnia finito vix tandem eluximus anno:
Iam lacrymæ rediere nouæ, cumulata feruntur
Funera funeribus, & clades clade, nouoq́;
Vulnere crudescit propè iam coitura cicatrix.
Ipsa etiam tetro Discordia fœta veneno
His maius meditata nefas de sede silentum
Euocat infernas supera ad conuexa sorores,

Inq; animos odij fundens mala semina & iræ,
Et procerum mentes priuata ad commoda torquens
In commune vetat socias extendere curas.
Quæ iam dedecoris, quæ damni exempla supersunt?
Quæ non pertulimus vel mox ventura timemus?
Cladibus infestos etiam satiauimus hostes,
Inuidiæ arbitrio pœnas expendimus, ista
Sint satis erroris culpæue piacula nostræ.
Accipite hæc superi faciles, succurrite genti,
Inq; feros belli clades conuertite Turcas.

ODARVM VEL HENDECASYLLABORUM Liber vnus.

In Neæram.

QVantum delitias tuas amabam,
Odi deterius duplo, ampliusq;
Tuam nequitiam & procacitatem,
Postquam te propius Neæra noui.
At tu si penitus perire me vis,
Si vis perditè amem, & magis magisq;
Totis artubus imbibam furorem,
Sis nequam magis, & magis proterua.
Nam quo nequior es, proteruiorq;,
Tanto impensius vror inquieto
Ventilante odio faces amoris,
Et lentas iterum ciente flammas:
Quòd si sis melior, modestiorq;

Ode.

Odero minus, & minus te amabo.

In eandem.

Seu procacibus annuas ocellis,
Seu minacibus abnuas ocellis,
Iuxtà me miserum Neæra perdis.
Spe torques modò credula timentem,
Nunc formidine maceras dolentem,
Spes, si lumine respicis benigno,
Lentis ignibus vstulat medullas:
Timor, lumine si aspicis maligno,
Pigro frigore congelat medullas.
Sic iactor miser huc & huc timores
Spesq; inter dubiæ patens procellæ:
Nec vnquam vigili quieta curæ
Vitæ noxúe diesúe mî refulsit.
O` sæuissime numinum Cupido,
Si infensus pariter fauensq; perdis,
Quis portus mihi spem feret salutis?

In eandem.

Quùm primùm mihi candidæ Neæræ
Illos sideribus pares ocellos
Ostendistis ocelluli misellì,
Illa principium fuit malorum,
Illa lux animi ruina nostri.
Sic primis radijs repente tactus
Totus intremui cohorruiq;,
Vt leues nemorum comæ virentum
Primis flatibus intremunt Fauoni:

Et cor iam meditans ad illam abire
Per pectus trepidansq́; palpitansq́;
Iamq́; euadere, iamq́; gestiebat,
Ceu solet puer artubus tenellis
Quem nutrix gremio fouet, parentem
Affectare oculis & ore, parua
Iactans brachia: ceu solent volucres
Adhuc inuolucres volandi inani
Infirmas studio mouere pennas:
Tum mens prouida, virium suarum
Quippe conscia, ne locus dolosis
Esset insidijs miselli ocelli,
Vos ad pectoris excubare portas
Insomni statione iussit. At vos
Siue blanditijs dolisúe capti,
Seu somno superante, siue sponte
Consensistis, herumq́; prodidistis.
Fugit corq́; animusq́;, me relicto
Ex corde exanimo: quod ergo fletu
Nunc satisfacere arbitremini vos,
Nil est, quem lacrymis mouere vultis
Non adest animusq́; corúe: ad illam
Ite: orateq́; & impetrate ab illa,
Ni exoraritis, impetraritisq́;,
Faxo illam aspiciatis vsq; & vsq;,
Donec vos ita luce reddat orbos,
Vt me corde animoq́; fecit orbum.

Ad

Ad eandem.

Risus, blanditiæ, procacitates,
Lusus nequitiæ, facetiæq;
Ioci, delitiæq; & illecebræ,
Et suspiria, & oscula, & susurri,
Et quicquid malesana corda amantum
Blandis ebria fascinat venenis,
Hinc facessite: Iam vale Neæra,
At tu Mens bona, sanitas, salusq;,
Continentia, castitas, pudorq;,
Et modestia, veritasq; simplex,
Fraudes acribus intuens ocellis,
Et quisquis malesana corda amantum
Funestis Deus eximis venenis,
Adsis: adsere me mihi, impotentis
Vix tandem dominæ iugo solutum.
Frustra blanditiæ appulistis ad me,
Frustra nequitiæ venitis ad me,
Frustra delitiæ obsidebitis me:
Frustra me illecebræ, & procacitates,
Et suspiria, & oscula, & susurri
Et quisquis malesana corda amantum
Blandis ebria fascinas venenis,
Frustra iam aggredimini dehinc me.
Quid me mollibus implicas lacertis?
Quid procacibus intuere ocellis?
Quid fallacibus osculis inescas?

Ne labris labra Inepta, pectoriúe
Pectus consere ,machinis nec istis
Vllus iam superest locus, nec arti:
Non sum stultus vt antè. Iam Neæra
Vale, dum bona, dum pudica nobis
Charis charior æstimata ocellis.
At postquam es mala & impudica, nobis
Vili vilior æstimata cœno.
Eheu me miserum: statim voluta
Vnda lucida per genas sinusq́;
Insultat tremulo fugax rotatu,
Et per turgidulas fluens papillas
Sensim gemmeus intumescit imber,
Molles agglomerans decenter orbes.
Ergo hæc poßum ego lentus intueri?
Cernam ferreus ergo saxeusq́;
Corrumpi malè tam bonos ocellos?
Hæc si possum ego lentus intueri,
Possum & ferreus eße saxeusq́;.
Quin vos mens bona, sanitas, salusq́;
Continentia, castitas pudorq́;
Et modestia, veritasq́; simplex
Fraudes acribus intuens venenis,
Et quisquis malesana corda amantûm
Funestis Deus eximis venenis,
Hinc faceßite: vos adeste rursus
Risus, blanditiæ, procacitates,
Lusus, nequitiæ, facetiæq́;,

Ioci,

Ioci, delitiæq; & illecebræ,
Et suspiria, & oscula, & susurri,
Et quicquid malesana corda amantûm
Blandis ebria fascinat venenis,
Sic me viuere, sic mori suaue est.

Ad Antonium Goueanum.

Si quicquam Goueane fas mihi esset
Inuidere tibiúe, Teuioúe,
Et te nostro ego Teuio inuiderem,
Et nostrum tibi Teuium inuiderem.
Sed cùm me nihil inuidere sit fas,
Vel tibi Goueane Teuioúe,
Si fas est quod amor dolorq; cogit,
Vobis imprecor vsq; & imprecabor,
Vterq; vt mihi sed citò rependat
Hoc prauum ob facinus, malumq; pœnas:
Te mi Teuius inuidere poßit,
Tu poßis mihi Teuium inuidere.
Ambobus mihi si frui licebit,
Cœlum Dijs ego non suum inuidebo,
Sed sortem mihi Dij meam inuidebunt.

Ad Neæram.

Cùm das basia, nectaris Neæra
Das mi pocula, das dapes deorum,
Vt factus videar mihi repente
Vnus è numero deûm, deisúe

Si

Si quid altius est, beatiusúe.
Sed nectar mihi dulce basiorum
Sic fallacibus imbuis venenis,
Vt qui nunc fueram Deus, Deisúe
Si quid altius est beatiusúe,
Præceps in Stygium datus barathrum,
Degam Erinnyas inter, aut barathrum
Si quid sit Stygium infra Erinnyasúe.
Sic statim mihi cor, iecur, medullas
Et venas tacitè malum pererrat,
Sic corpus mihi tabe colliquescit,
Ardet ignibus, æstuat venenis,
Sic mentem mala pestis occupauit,
Vt sit nectare suauius venenum,
Vita mors potior, labor quiete,
Sanitate furor, salute morbus.

In Beleagonem.

Iudæum Beleago quòd negas te,
Et vis testibus id probare magnis:
Erras, testibus ista non probatur
Res, (vt scis puto) mentula probatur.

In Gelliam.

Cùm conchis grauis æquoris Britanni,
Et rubri maris, Indiciq; onusta
Incedis spolijs, nitesq; Serum
Molli stamine, mille cum venenis,

Fuco

Fuco, Polline, lacte, purpurißa,
Cerußa, marathro, œsipo, ordeoq́;
Oris, Gorgona nudam adulterasti,
Orbemq́; ad speculi diu refinxti,
Cùm tectoria coaluere prima,
Crusta cùm patitur coacta solem,
Prodis Gellia ceu recens Promethei
In fornace recocta, flagitasq́;
Ecquid tum videare: Picta bellè.

Ad Gulielmum Lurium Longanum Senatorem Burdeg.

Orabam modò blandius Camœnas,
Vt dignum mihi carmen explicarent
Longani auribus, eruditione
Dignum, & iudicio politiore,
Cum mî talia reddit vna, ad illum
Nec tuis precibus locusúe opusúe est:
Nos sic diligit, excolit fouetq́;,
Vt non diligat amplius Minerua.
At saltem mihi Diua carmen inquam,
Commendatior illi vt eße poßim,
Qui sic diligit vnicè Camœnas,
Qui sic diligitur sacris Camœnis,
Concede: illa refert, Ineptè tantùm
Te nostri comitem chori eße dicas,
Et communibus in sacris ministrum.

Hoc

Hoc illi satis est, sacris Camœnis
Qui sic diligitur, sacras Camœnas
Qui sic vnicè amat, colit, fouetq́; vt
Probetq́; omnia quæ probent Camœnæ,
Probentq́; omnia quæ probet, Camœnæ.

D. Galtero Haddono magistro libellorum supplicum sereniss. Angliæ Reginæ.

Iambi.

Frustra senectam Haddone prouocas meam,
Læta ad iuuentæ munia,
Musasq́; longo desides silentio
Arenam in antiquam vocas.
Aetas choreis cum vigebat aptior
Et lusibus decentior,
Vix me in Britannis montibus natum & solo
Inerudito & sæculo
Raræ audiebant, raræ adibant fontium
Deæ sacrorum præsides.
Nunc cum capillis sparserit canentibus
Decliuis ætas tempora,
Cum pulset annus penè sexagesimus,
Animiq́; langueat vigor.
Surdus roganti Phœbus aurem denegat,
Musæ vocantem negligunt.
Nec Phyllidis me nunc iuuat flauam comam
Præferre Bacchi crinibus,

Nec in Neæræ perfidam superbiam
  Sæuos Iambos stringere.
Nec si quis olim stimulus ingenio additus
  Animum excitabat languidum,
Sed mißionem cum senecta flagitet
  Iustam, valetudo imperet,
Libens quiesco & acquiesco legibus
  Peioris æui aheneis,
Tibiq; cui sors liberali dextera
  Opes, honores, otium
Natura mentem vegeto adhuc in corpore
  Diuiniorem indulserit,
Applaudo (solum quod queo) magno gradu
  Parnasi ad alta culmina
Fœliciore ætate eunti, & alite
  Et enthea vi pectoris.
Nam si quid olim effœta mens fœlicius
  Nunc temerè fundat, id Deæ,
Cui nostra Musa dedicata est, debeo.
  Non viribus mei ingenî:
Hæc est Thalia nostra, nostri pectinis
  Hæc est magistra & arbitra,
Quæ sola Phœbo digna cantat, & cani
  Est digna Phœbi barbito,
Aut alia si qua barbito Phœbi parem
  Nostræ Deæ æquat barbiton.
Quòd si Dearum vtrinq; mentes copulet
  Amica vis concordiæ,

Sermone

Sermone qui nunc vix pedeſtri repo humi
Plebeia fingens carmina,
Arcanæ rupis Delphicæ ſilentia
Situq́; longo ſquallidos
Tripodas mouebo, & maſculo dicam ſono
Iucunda pacis ocia.
Dicam Gradiuum vinculis coërcitum,
Legum coactam iniuriam
Parere frenis vim repreſſam, & aurei
Beata ſecli commoda.
Et noſtra ſi quid audiendum vox dabit,
Laudi Dearum ſeruiet.
Virtute quarum Pax agros Britanniæ,
Vrbes fides, fora æquitas
Et templa pietas impijs erroribus
Procul relegatis, colet.

Adamas in cordis effigiem ſculptus, annuloq́; inſertus, quem Maria Scotorum Regina ad Elizabetham Anglorum Reginam miſit anno 1564.

Non me materies facit ſuperbum,
Quòd ferro inſuperabilis, quòd igni,
Non candor macula carens, nitoris
Non lux perſpicui, nec ars magiſtri
Qui formam dedit hanc, datam loquaci

Circum

Circùm vestijt eleganter auro:
Sed quòd cor Dominæ meæ figura
Tam certa exprimo, pectore vt recluso
Cor si luminibus queat videri,
Cor non lumina certius viderent.
Sic constantia firma cordi vtriq;,
Sic candor macula carens, nitoris
Sic lux perspicui, nihil doli intus
Celans, omnia deniq; æqua præter
Vnam duritiem : dein secundus
Hic gradus mihi fortis est fauentis,
Talem Heroïda quod videre sperem,
Qualem spes mihi nulla erat videndi,
Antiqua Domina semel relicta.
O si fors mihi faxit, vtriusq;
Nectam vt corda adamantina catena,
Quam nec suspicio, æmulatioue,
Liuorúe, aut odium, aut senecta soluat:
Tam beatior omnibus lapillis,
Tam sim clarior omnibus lapillis,
Tam sim carior omnibus lapillis,
Quàm sum durior omnibus lapillis.

In effigiem Reginæ Angliæ Elizabethæ Epigrammata tria, ad Carolum Vtenhouium F. Gandauum.

Morte carent superi, superis par cætera Diua *est*
Saxonidas iusto quæ regit imperio:
At morte vt careat mortali stirpe creata
Non dare Lysippus, Praxitelesúe potest.
Musa potest, fati domitrix, quæ pectora vatum,
Enthea fatidico Musa furore quatit.
Te manet Vtenhoui decus hoc, decus hoc manet illam,
Vt celebris numeris fiat vterq; tuis.
Solus enim vates es tali Heroide dignus,
Hæc sola ingenio est area digna tuo.

In eandem.

Quæ manus artificis tria sic confudit, vt vno
Gratia Maiestas & Decor ore micent?
Non pictoris opus fuit hoc, sed Pectoris, vnde
Diuinæ in tabulam mentis imago fluit.

Idem Grecè.

χεὶρ τίνος ἀρχετύπου τρία τὼς κατέχευε, προσώπῳ
ὥστε συναστράπτειν σεμνοχαριπρεπίην
ζωγράφου οὐ πέλεν ἔργον, ἀτὰρ μάλα στήθεος, ἐξ οὗ
θεσπεσίοιο νόου ἐς πλάκ' ἄγαλμα ῥέει.

χωρὶς τοῦ θεοῦ
οὐθὲν ὁ βίος.

Le

Le mesme en Francois, par le mesme Interprete.

Par quel peintre, dy moy, sont si tres-bien encloses,
Au pourtraict d'vn visage ensemble ces trois choses:
La Maiesté, la Grace, & la rare Beauté?
D'vn peintre, croyez moy, cecy n'a point esté (rage,
L'œuure, ains de sa poictrine, & de son sainct cou-
Dont dans ce beau tableau va decoulant l'image.

In eandem.

Cuius imago deæ est, facie cui lucet in vna
Temperie mixta Iuno, Minerua, Venus?
Est dea, quid dubitem? cui sic conspirat amicè
Mascula Vis, hilaris Gratia, celsus Honos:
Aut Dea si non est, diua est quæ præsidet Anglis,
Ingenio vultu moribus æqua deis.

Idem Græcè, eodem interp.

τίς τινος ἡ θεᾶς εἰκὼν πέλει ἥδε, προσώπῳ
ἧς ἑνὶ συλλάμπει ἥρα, ἀθήνα, κύπρις,
νητρεκὲς ἔστι θεά. φιλικῶς ὡς ἥγε συνάδει
ἄρσενος ἴς, χαρίεν κάλλος, εὔκλεϊη.
ἢν θεὸς ὃ τελέθῃ, νύμφη πέλεν ἥτις ἀνάσσει
ἄγγλοις, ὦπα, φυὴν καὶ τρόπον ἰσόθεος.

Οὐδὲν ἄτερ μουσέων καὶ χαρίτων
ὁ βίος.

Ad omnibus & Musis & Gratijs dextris natam Virgunculam 13 ann. Camillam, Io. Morelli & Antoniæ Deloinæ F. ὠδάριον.

Camilla multò me mihi charior,
Aut si quid ipso est me mihi charius,
Camilla doctorum parentum
Et patriæ decus & voluptas:
Ni gratiæ te plus oculis ament,
Ni te Camœnæ plus oculis ament,
Nec Gratias gratas putabo,
Nec lepidas rear esse Musas.
Quæ virgo nondum nubilis, artibus
Doctis Mineruam, pectine Apollinem,
Cantu Camœnas, & lepôre
Exuperas Charites vel æquas:
Hos nempe fructus Vtenhouî decet
Horto educatam fundere Lauream,
Cui Lympha radices tenellas
Pegaseo recreat liquore.

C. V. ad eandem, eam sui oblitam querens.

Pegase te haud frustra volucrem finxere poëtæ,
Carmina iam faciunt iamq; loquũtur equi.

Ioach. Bellaij in eandem.

Patris delicias sui Camillam,
Quam finxit manibus suis Dione,

Quam

Quam sinu Charites suo educarunt,
Auget quæ numerum nouem sororum,
Amat plus oculis suis Morellus,
Seu quid plus oculis potest amari.
Morello similis suo Camilla
Sic est, tam simile haud sit ouum vt ouo.
Illam moribus imbuit pudicis
Mater, sicq; suam excolit Camillam,
Vt florem tenerum excolunt puellæ.
Sic ludit Latijs modis Camilla,
Camillam vt Latij putes alumnam.
Sic Græcè loquitur Camilla, iures
Vt ipsas minus Atticas Athenas.
Ebræas quoq; litteras Camilla
Tam pingit bene, quàm suas Latini.
Sic versus patrios facit Camilla,
Ronsardus queat inuidere vt ipse.
Sic canit fidibus Camilla, vt ipse
Camillæ queat inuidere Phœbus.
Et vix, quod stupeas, videt Camilla,
Videt vix decimam Camilla messem.

In eandem eiusq; sorores, Lucretiam
& Dianam Morellides,
Car. Vtenh.

τρεῖς ποτ᾽ ἔσαν χάριτες κοῦραι διὸς, αὖθις ἔσονται
τρεῖς πάλιν, οὐχὶ πατρὸς κοῦραι διὸς, ἀλλὰ Μορέλλου.

Idem Latinè.

Tres fuerant quondam Charites Iouis inclyta proles,

Tres iterum Charites naſcuntur, non Iouis illæ
Progenies, docti ſed docta propago Morelli.

Ad eandem G. B. C. V. nomine.

Et decor, & facies cum ſimplicitate modeſta,
Inſidioſa oculis, imperioſa animis,
Et victura feras docti Vox pectoris index
Penè parem ſuperis te facit eſſe Deis.
Si par eximiam decorat Conſtantia formam,
Hæc faciet ſuperi vt ſint tibi penè pares.

Ad Car. Vtenh. cui cum cœnam condixiſſet, non venit.

Ad cœnam tecum vates tuus affore dixit:
Dixit, ſed vates dicere falſa ſolent.

Ad G. M. B. Car. Vtenh. qui cum ſe ei ad cœnam affore negaſſet, venit.

Quæris an ad cœnam tibi ſim conuiua futurus,
Non ego: Conuiuam te quoq; nolo mihi.

GEORGII BVCHANANI
Odarum & Epigrammatum Finis.

MEDEA
EVRIPIDIS POETÆ TRAGICI, GEORGIO *Buchanano Scoto Interprete.*

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM IOANnem à Lucẽburgo, Iueriaci Abbatem, Georgij Buchanani Prefatio.



ON dubito plerosq; futuros, Princeps clarissime, qui statim vbi hæc in manus sumpserint, meam admirentur impudentiam, vel potius temeritatem, quòd in tanto bonorum ingeniorum prouentu, id ego potissimùm sim ausus aggredi, quod aliorum vel pudor refugerat, vel reformidarat audacia, atque Euripidi vertendo manum admoliri non pertimuerim, præsertim cum non ignorarem hanc à plerisq; rem prius tentatam, vni Erasmo ita successisse, vt iuxtà ab incepto me deterrere debuerit illorum casus, atque huius felicitas: qui præterquam quòd ad eam rem venerat tot bonarum artium præsidio instructus, etiam si qua erat in hac parte nouitatis gratia, eã præoccupauerat. Accedit & illud, quòd præter summam in choris obscuritatem (quæ huic scriptori

scriptori adeò familiaris est, vt eam de industria sectatus esse videatur) hæc ipsa quondam fabula ab Ennio prius versa fuerat, cuius non pauci versus adhuc in veterum Commentarijs passim leguntur: quorum comparatio his nostris, alioqui obscuris, plurimum sua luce officere posset. Ego verò tantum abest vt his à scribendo rebus fuerim deterritus, vt in vtriusq; fortunæ qualemcunque euentum nõ mediocre præsidium hinc fore iam animo præceperim, atque mihi ipsi quodammodo spoponderim. Nam tametsi plausum à studiosorum theatro hæc fabula non accipiat, si vtcunque tamen steterit, nec ignominiose explodatur, nunquam æquè molestè feram, Ennij atque Erasmi auctoritate mihi tenebras offundi, quàm me post tam præclara nomina qualemcunque saltem locum tenuisse. Hoc verò quicquid est operæ, nos tibi Princeps clariss. potissimùm censuimus dicandum, nõ modò vt grati saltem animi professione tuam erga me summam testarer humanitatem, aut à vestræ familiæ nobilissimæ splendore contra calumniantium inuidiam præsidium mihi peterem, sed vt meliori spe reliquorum doctorum

ſuffragijs me cõmitterem, ſi tui iudicij prærogatiuo ſubnixus eſſem: qui cũ in omni diſciplinarum genere principatũ teneas, ac in hoc poeticæ ſtudio ſingulari quadã felicitate verſeris, ſoles tamen, ut inquit ille, meas eſſe aliquid putare nugas.

ARGVMENTVM.

IAſon Medea comite Corinthum profectus, cum Glauca Creontis Corinthiorũ regis filia nuptias paciſcitur. Medea verò indicto à Creonte exilio, vnius diei moram exorat. Idq́; beneficium vt remuneraretur, dono per filios ad Glaucam mittit veſtem & coronam aureã, quibus illa induta extinguitur: Creon quoq; filiæ adhęrens perit. Medea cùm ſuos interfeciſſet liberos, currum quem à Sole acceperat, alatis draconibus iunctũ, conſcendit, atq; Athenas profugit. Ibiq́; Ægeo Pandionis filio nubit. Pherecydes autem & Simonides aiunt, Iaſonem à Medea recoctum, iuuenem denuò factum. De patre verò eius Æſone, is qui de Argonautarum reditu ſcripſit, ita inquit:

Atque

Atq; iterum blanda fecit reuirere iuuenta
Aesona, subtili distringens arte senectam,
Plurima cum labris coxisset pharmaca in aureis.

Æschylus in fabula quæ Nutrices Bacchi inscribitur, ait, Bacchi nutrices, earumque viros, iuuenes ab ea denuò factos. Staphilus autem inquit Iasonem quodammodo à Medea peremptum. Nam cum eius suasu sub Argus puppe obdormiret, nauisque iamiam vetustate solueretur, ruina puppis oppressus perijt.

Aliter, per Aristophanem Grammaticum.

Medea odio aduersus Iasonem concepto propter nuptias Glaucæ Creontis filiæ, Glaucam, Creonta, ac suos etiam liberos interemit, relictoq; Iasone Ægeo nupsit.

Fabula Corinthi fingitur agi. Chorus est è mulieribus Corinthijs. Docuit eam Pythodoro prætore circiter octogesimam septimam Olympiadem.

PERSONAE.

Nutrix Medeæ	Creon Rex
Pædagogus	Iason
Medea	Ægeus Rex Athen.
Chorus mulierum Corinthiarum	Nuntius
	Filij Medeæ.

EVRI-

EVRIPIDIS TRAGICI MEDEA.

NVTRIX.



Tinam Pelaſgis littus Argo ad Colchicū
Non tranſuolaſſet Cyaneas Symplegadas:
Nec ſtrata ſaltu pinus olim Pelio
C ecidiſſet: acta nec virorum fortium
D extris, tuliſset arietis ſpolium aurei
P elia imperante: non hera excelſam mea
M edea Iolchon appuliſset, Iaſonis
A more ſæuo pectus ægrum ſaucia:
A uctor puellis nec trucidandi patrem
P eliam, Corinthi degeret cum liberis,
V iroq; gentis cuius exul incolit
S olum, fauorem demereri ſedula,
E t ipſa vbique morem Iaſoni gerens:
» F elicitatem quam ſupremam exiſtimo,
» C oncors marito mulier vbi degit ſuo.
N unc odia feruent, diſsident chariſsimi
N uper: ſuorum liberorum proditor,
H eræq; Iaſon nuptijs regalibus
F ruitur, tyranni filiam Corinthij
C reontis arcto coniugem amplexu fouens.
A t miſera miſeris habita ludibrio modis
M edea, pactam clamat infelix fidem:

P ignusq́; fidei dexteram inuocat dati:
T estesq́; pacti conscios facit deos,
N on ita merenti quam rependat gratiam
F allax Iason. inedia se macerans
I acet: doloris magnitudine obruta,
F lumine perenni lacrymarum liquitur.
E x quo mariti sensit in se iniuriam,
I mmota vultus, mœsta terræ lumina
F igit: procellæ similis, aut scopulo, abnuit
S urdis amicorum auribus solamina:
N isi quòd subinde colla flectens candida,
S ecreta secum expostulat, deflens patrem,
P atriam, penates patrios, quos prodidit,
V irum secuta cui modò contemnitur.
A t misera tandem iam suis didicit malis,
Q uàm sit paternum suaue non linquere solum. "
I nsensa natos odit: aspectu frui
N on gaudet, illud vereor, vt ne quid noui
E xcogitet. nam cum patitur iniuriam "
E latus animus, haud facilè sibi temperat. "
H anc noui ego probè: trepidaq́; exanimor metu
N e ferrum acutum condat in præcordia,
I ngressa furtim tectum vbi torus sternitur:
A ut ne maritum perimat, ac sponsam simul:
D ein maius ipsa subeat infortunium.
M etuenda sanè est, nec facilè victoriam
R eferet, in illam si quis odia exerceat.
A t cursu omisso iam reuersi liberi

Non mente voluunt matris infaustæ mala.
,, Puerulis animus grauibus haud curis patet.
Pæd. Antiquum herilis familiæ peculium,
Quid sola stabas conquerens propter fores?
Abs te relinqui sola, Medea vt feret?
Nut. Senex minister liberorum Iasonis,
,, Mancipia frugi, si quid euenerit heris,
,, Aequè dolere suo decet vt incommodo.
Vis me doloris eò redegit, vt solo
Cœloq; cogar euomere dominæ mala.
Pæd. Quid? misera nondum luctui statuit modum?
Nut. A' fine tantum luctus, ô bone vir, abest,
Vt hæc doloris sola sint primordia.
Pæd. O' stulta, siquidem sic decet de heris loqui,
Vt nil malorum comperit recentium:
Nut. Quid istud est? ne pigeat effari, senex.
Pæd. Nil. extulisse me priora pœnitet.
Nut. Amabò, me conseruus haud celaueris.
Nam si necesse est, spondeo silentium.
Pæd. Sacras ad vndas abeo Pyrenes, vbi
Sedere soliti sunt ad aleam senes.
Colloquia dum clàm capto secreta, audio
Exigere pueros vt Corintho cogitet
Cum matre, regni sceptra qui hic tenet Creon:
Verùs ne rumor hic sit, haud certò scio.
Falsum esse mallem, ac falsus vt sit comprecor.
Nut. Et hæc Iason liberis fieri sinet,
Iratus etsi dissidet cum coniuge.

Affini-

A ffinitati vetus amor cedit nouæ: Pæd.
N ec huic amicus perstat ille familiæ.
P erimus igitur, si malum accedit malo Nut.
N ouum vetusto, donec exhaustum hoc erit.
A t tu quiesce, & comprime hæc silentio. Pæd.
N am tempus haud dũ est, hoc heræ, vt fiat palàm.
A udite pueri, qualis in vos sit parens. Nut.
P erire nolim, dominus est enim meus:
V erùm erga amicos perfidus deprenditur.
P ublica querela est ista, iamdudum ipsa scis, Pæd.
S ibi malle cunctos esse bene, quàm proximo: "
H unc iure, at alium commodo addictum suo. "
S i charitati liberûm sponsam pater
P ræfert Iason, nil facit certè noui.
ntrò ite pueri: cuncta succedent bene. Nut.
A t tu seorsum hos contine, quantum potes,
N éue ad parentem propius accedere sinas.
I ra frementem nuper, oculis flammeis
V idi minantem nescio quid istis: neq;
I mponet iræ frena, donec quempiam
F eriat. in hostes potius vtinam hunc impetum
F ortuna, amicis incolumibus, transferat.
I nfelix ego, miseris curis Med.
C onfecta, hei mihi quomodo perij:
H oc, hoc ipsum est, chari pueri, Nut.
A estuat ira animus genitricis.
T urget bilis, properate citò,
T ecta subite:

Néue

N eúe accedite lumina proprius,
N eúe adieritis, sed vitate
A nimumq́; ferum, ac triste ingenium
M entis præcipitis: iamiam ite,
I ntrò abscedite celeri passu.
N am luctus dubio procul olim
N ubes surgens subitò ardebit
M aiore furore: ac patrabit
A liquid mentis vis infrenis,
E t serie stimulata malorum.
Med. H eu, heu, toleraui misera, tolerauí mala magnis deflenda
L uctibus. O` nati scelerati
V os malè perdat miseranda parens
C um patre, ac tota domus pereat.
Nut. M e miseram, cur natos patris
P eccato adscribis? cur illos
O disti? hei mihi pueri miserè
M etuo ne quid secus eueniat.
» G rauis est regum fastus, & iræ
» N imium memoris, qui dare leges
» S unt soliti alijs, lege soluti
» I psi. iudice me libertas
» P ar, & vitæ æquatio præstat,
» S eq; assuescere legibus æquis,
» S i non regifico splendore, at
» T utò consenuisse licebit.
N am popularius æqui iuris

Primum

P *rimum est nomen, & experiundo, &*
V *su longè præstabilius.*
A *t sublimia nunquam stabili* "
P *erstant homini fixa pede diu, ac* "
S *i quando sors læua intonuit,*
H *oc ex fonte innumeræ luctus*
V *ndæ in splendida tecta redundant.*
V *ocem audiui, audiui planctum* Cho.
M *iseræ Colchidos. animi nondum*
A *estus composuit. fare age anus.*
I *n vestibulo stans audiui*
I *ntra atria clamorem. haud lætor*
V *estræ mulier luctu domus,*
A *c mihi minimè grata geruntur.*
D *omus heu perijt.* Nut.
D *eserta omnia. detinet illum*
A *ula tyranni, ac contabescit*
L *uctu in thalamis hera, amicorum*
N *ullo mollita animum hortatu.*
H *eu heu, ruat in caput hoc miserum* Med
F *ulmen ab æthere. quis mihi superest*
D *ehinc vitæ vsus, viuere vt optem?*
E *heu longis tristem curis,*
P *arcæ, miseram abrumpite vitam.*
A *udisti o Iupiter, o tellus,* Cho.
O' *lux, quam vocem misera edat*
M *ulier? quod tandem immoderatum*
T *halami desiderium cogit,*

K *Stulta,*

S tulta, accelerare horam fati?
I stud ne expete, quòd si coniux
C onnubio tuus alio fruitur,
I d ne improperes illi crimen.
H anc tibi iudex Iupiter æquus
D irimet litem. ne te afflictes
S ocium lugendo tori.
Med. O' magna Themi, atq; Artemi sancta,
C ernitis, impius in me coniux
Q uale patrarit facinus, sancto
M ihi iureiurando adstrictus?
Q uem cum sponsa vtinam simul ipsis
A edibus oppressos conspiciam,
Q ui immeritam læsere priores.
O' pater, ô patria à me inhonestè
G ermano deserta perempto.
Nut. Q uos vocet audis, quos imploret?
T hemin augustam, cum Ioue, præses
Q ui creditur esse sacramenti.
N ec cohibere hera poterit facilè
P ectoris æstus.
Ch. Q uî fiet prodeat vt coram?
A uribus vt sermonis nostri
V ocem hauriat, vt, si pote fieri,
A cres animi leniat iras,
A c violentum ingenium ponat?
Nut. H audquaquam sedulitas nostra
D eerit amicis.

At

A t abi mea tu, dominamq́; foras Ch.
E duc, atq; alloquere. heus propera,
N e designet quicquam asperius
H os aduersum, quos habet intus.
G liscit enim vis sæua doloris.
E ffecta hæc dabo. Sed metuo vt heræ Nut.
P ersuadere queam. ista labori
G ratia vestro à me referetur:
E tsi fœtæ more leænæ
L uminis acies flammea seruis
T riste minetur, si quis propius
V t compellet, tentet adire.
N il peccarit, veterum læua ac "
P ræpostera qui vocet ingenia, "
Q ui cantus ad sacra deorum, "
A d conuiuia, festasq́; epulas "
I nstituêre, illecebras gratas "
A uribus: at suauiloquum carmen "
N emo inuenit quo sedaret "
T ristes animi curas, vnde "
M ortes, plurimaq́; mala erumpunt "
E uersura domos. verùm istis "
C antu medicari vtiltus erat. "
A d lautas epulas quid frustra "
I lia tendunt, copia vbi dapis "
P ræsente animum lætitia explet? "
M œsti luctus gemitus nostras Ch.
P erculit aures, clamat misera

I lla,quam dolor edere cogit,
V oce,malum compellans ſponſum,
V eteris deſertorem thalami,
L æſa Themin Ioue natam implorat,
A rbitram iuriſiurandi
Q uæ illexit miſeram ad ſolum Achiuûm
P er mare ſæuum,Scythiæ aduerſum,
P er ponti immenſi ſpumantes
C ano ſale fauces anguſtas.
Med. E greſſa tecto ſum,Corinthiæ nurus,
D e me querendi ne ſit vlli occaſio.
P leroſq; noui,quòd ſcorſum degerent,
H abitos ſuperbos: hos frequens præſentia
F ecit moleſtos: alius ingreſſus viam
V itæ quietæ,ignauiæ ſubit notam:
Q uia iudicandi certa veritas abeſt
O culis ab hominum,qui priuſquam pectoris
N orint receſſus intimos,viſos modò
O dere,nullis prouocati iniurijs.
E rgo vrbis hoſpes moribus ſe accommodet.
N ec laudo ciuem,contumax qui ciuibus,
A ſperq; agreſti degit inſolentia.
A t enim inopinum hoc quod mihi euenit malum,
V itam abſtulit viuæ.pereo.vitæ exui
I amdudum amorem,amore mortis percita.
I n quo repoſita cuncta habebam,peßimus
P lanè virorum me reliquit vir meus.
„ N ihil miſerius fœminis,terra,omnium

Quæcunq;

Quæcunq; viuunt, menteq; vigent, edidit. "
Primùm necesse est opibus immensis virum "
Emere, suiq; accipere dominum corporis. "
Accedit aliud huic malo grauius malum, "
In quo periclum maximum, frugi vir, an "
Nequam: mulieri repudium infame est, neq; "
Sponsæ maritum ius recusandi est suum. "
In iura moresq; venientem opus est nouos "
Planè ariolari: quippe quæ haud didicit domi "
Quali marito seruiendum sibi foret. "
Et ista rectè cuncta cum curaueris, "
Si degat vnà sponte vir patiens iugi, "
Beata vita est. sin secus, præstat mori. "
Domesticorum si quis offendat virum, "
Foras profectus sedat ægritudinem, "
Charis amicis iunctus, aut æqualibus: "
At nos necesse est vnius ab arbitrio "
Pendére, in vnumq; intueri: & interim "
Vitam periclis non carentem degere "
Domi asseuerant, ferre sese lanceam. "
Errore ducti: nam ter in acie prius "
Armata certem, liberos quàm edam semel. "
Sed non vtrasq; hæc spectat æquè oratio.
Hæc nanq; patria tibi, hic penates patrij,
Præsidia vitæ, grata conuersatio
Inter sodales. contrà inops ego, patria
Extorris, aspra læsa contumelia,
À coniuge solo aducta præda barbaro.

Non hic propinquus, mater, aut germanus est,
Ad quos malorum afflicta tempestatibus
Me veluti portum recipere in tutum queam.
Tantisper igitur impetrare abs te velim,
Dum mihi facultas aliqua, ratióue suppetet
Qua de marito expetere supplicium queam,
Ob quæ patrauit immerenti, & plectere
Illi locatam cum parente filiam,
» *Sis tacita, plena mulier alioqui metus,*
» *Infirma, ferrum contueri haud sustinet:*
» *At in torum si quispiam peccauerit,*
» *Nullum cruoris pectus est sitientius.*
Ch. *Id fiet. etenim iure pœnas expetis*
Medea, sortem nec dolere te tuam
Miror, Creonta sed video regem gradum
Ferre huc, nouorum consiliorum nuncium.
Cr. *Te, torua, vultu tetrico, iratam viro*
Medea, monui, regno vt extorris meo
Comitata geminis hinc abires liberis,
Vetui morari. quando decreti arbiter
Istius ego sum, non reuertar hinc prius
Domum, exulem quàm finibus protrusero.
Med. *Hei pereo, penitus vndecunq; miserrima.*
Omnes rudentes explicant hostes mei:
Mali nec vsquam commodus datur exitus.
Afflicta quanuis pessimè, id quæram tamen,
Quæ causa regno me exigere cogit Creon?
Cr. *Te metuo (quorsum falsa opus prætendere?)*

Letale

L etale gnatæ ne exitium struas meæ.
C ausæ timorem suggerunt hunc plurimæ.
S agax es, artes gnara longè pessimas,
G rauiterq; tædis orba fers diuortium,
E t nunc minari fama te refert malum
S ponsoq́;, sponsæq́;, & nouæ nuptæ patri.
A t id prius quàm fiat, anteuortere
V olo cauendo. præstat autem odium tuum
N unc ferre, sera quàm, peracto facinore,
H anc lenitatem luere pœnitentia.
N on fama primùm nunc nocet Creon mihi Med.
M iseræ, sed antè damna non semel dedit.
Q uicunque vera præditus prudentia est, "
N e disciplinis liberos impensius "
E rudiat æquo, nec sapere doceat nimis. "
N am pigra præter quæ sequuntur ocia, "
O bliquus vrget liuor illos ciuium. "
A pud imperitos scita si sophiæ noua "
P romas, ineptum rentur, atq; inutilem. "
A t si putere denuò præcellere "
H os qui sophorum authoritatem vendicant, "
E ris molestus. idq́; adeò mihi euenit. "
P erita cum sim, hos vrit inuidentia:
H is ociosa dicor: illis displicet
D iuersa vitæ ratio: nec desunt quibus
O besse videar mediocri hac sapientia.
T u quoq; vereris ne quid in te perpetrem.
N on hic mearum, ne time, rerum est status,

R eges vt à me metuere deceat, Creon.
A t tu quid in me perpetrasti iniquius?
N atam elocasti cui tibi lubitum est viro:
A t ego maritum prosequor odio meum.
N ec temerè opinor ista gessisti: neq;
R ebus secundis inuideo: quin nuptias
F acite, beati viuite: latebras fugæ
P ermitte tantùm hic. læsa licet, iniurias
M ussabo: discam cedere melioribus.
Cr. S peciosa sunt hæc, blandáq; auribus, tamen
V ereor, repostum ne coquas animo malum.
A tque adeò, tanto credo quàm pridem minus.
" P ræcipitis iræ mulierem, aut etiam virum,
" V ites facilius, quàm modestum atq; tacitum.
D esine morandi fando causas nectere.
A bi: statutum est ita: nec ars vlla faciet
I sthic vt habites, me perosa hostiliter.
Med. P er genua quæso, perq; desponsam recens.
Cr. A h, verba perdis. neutiquam persuaseris.
Med. E t me repelles, haud reueritus supplicem?
Cr. E quidem familiæ non meæ te præfero.
Med. O` patria, subijt nunc recordatio tui.
Cr. Q ua nil secundum liberos mihi charius.
Med. O` amor, hominibus pestis exitiabilis.
Cr. P erinde opinor, res vti sese dabit.
Med. Q uis author horum, tu memento Iuppiter.
Cr. A bscede inepta, meq; curis libera.
Med. C uræ premunt me, nec egeo curis nouis.

Hinc

H inc exigêre subitò seruili manu. Cr.
N oli obsecro: sed id te sine exorem Creon. Med.
A dhuc molesta mulier eris, vti video. Cr.
A bibo: non, hoc vt precibus impetrem, ago. Med.
Q uorsum igitur vrges, nec meo abscedis solo? Cr.
V num instruendæ modò fugæ indulge diem: Med.
E t quando curam hanc genitor abiecit, sine
M e comminisci liberis opem vltimam.
M iserescat horum. nam & tibi sunt liberi.
P arens parentis calamitatibus faue.
N am nulla cruciat cura me exilij mei,
S ed liberorum miseriæ me macerant.
H aud impotenti mente sum, & tyrannica: Cr.
Q uin sæpe damno mihi meus pudor fuit.
E t nunc apertè mulier erratum meum
P ræuideo: verùm vince, quod vis accipe.
P ræmoneo tamen id, si morantem crastinus
H îc te videbit Phœbus, ac natos tuos,
A ctum est, peristi, fixa stat sententia.
N unc, si necesse est, lucis vnius moram
P ermitto. nam nil interim patraueris
H orum, timore quæ me habent nunc anxium.
I nfœlix mulier, misera, malis Cho.
M iseris obnoxia, quò tandem
T e vertes? cuius amicitiam,
C uius tectum, aut terram inuenies
P ortum malis?
T raxit ineluctabile fatum

I n mare te Medea malorum.
Med. M alè cuncta cedunt vndecunq;.quis neget?
S ed ne putetis peßimè hac ſuccedere,
S ponſis adhuc mihi pugna ſupereſt cum nouis:
I ngens futurus eſt labor cum affinibus.
C redis tyranno quiſſe me palparier,
N i ſubfuiſſet ſpes lucri,vel ſpes doli?
S upplex fuiſſem?contigiſſem illi manum?
A t ille tanta præditus vecordia eſt,
V t cum liceret obuiàm conatibus,
S i me expuliſſet,ire,permiſit diem
H unc me manere:tres ego hoſtes qua meos
M actabo,patrem,filiam,meum virum.
S ed tanta leti cum facultas ſuppetat,
V nde inchoabo,dubia, amicæ,fluctuo:
S ubdámne thalamis,nuptialibus faces?
A n ferro acuto rupta fodiam pectora,
I ngreſſa furtim tectum vbi torus ſternitur?
S ed me moratur vna res:ſi capta ſim
I n tecta ſcandens,per dolum dum rem gero,
P erempta riſus exhibebo maleuolis.
A t vſitatam præſtat inſiſtere viam,
C uius perita ſum,necandi pharmacis.
E ſto,perierint:quod recipiet me oppidum?
Q uod erit aſylum?fida quæ fidi hoſpitis
D omus patebit,protegétue perfugam?
N uſquam eſt.manebo paulum,dum ſtabilia
A licunde nobis præſidia ſeſe offerent.

Dolis

D olis adoriar, clamq; perfungar nece.
S i pellat hinc me sors ineluctabilis,
M ucrone peragam facinus ipsa vel palàm:
L ubens peribo, modò queam illos perdere.
A d culmen imus præcipitis audaciæ.
R egina nobis culta semper vnicè
H ecate triformis, artis adiutrix meæ,
T e iuro, nostra quæ colis penetralia,
N ostro è dolore nemo referet gaudium.
H is luctuosas atq; acerbas nuptias,
A ffinitatem funebrem, & meam fugam
R eddam. eia cunctis vtere simul artibus
M edea, cuncta conuoca consilia. age,
A ggredere facinus. nunc opus constantia,
A nimoq; forti. quæ feras, vides. caue
V t ne propines risui nepotibus
T e Sisyphæis, nuptijsq; Iasonis,
T e, patre claro, Soleq; proauo editam.
P erita es ipsa, deinde nata fœmina:
I gnaua quibus est mens honesta ad omnia, "
A d turpe superest facinus omne audacia. "
R etrò ad fontes sacra feruntur Ch.
F lumina, ius & fas vertuntur.
H ominum plena dolis consilia.
N ec pacta fides dijs sat certa est.
A udiet ex hoc muliebre bene
G enus. accrescet gloria nobis.
N on iam deinceps fama sinistra

Traducet

T raducet fœmineum sexum.
E x hoc mutabit Musa modos
V atum priscorum, qui cantu
M uliebrem celebrant perfidiam.
A t si cœleste melos citharæ
N os docuisset carminis author
P hœbus, paria audisset
P rogenies virûm.
S ed multa potest longior ætas
N obis exprobrare, virisq;.
A t tu patriam deseruisti
A nimi vecors, vecta gemellos
T rans scopulos ponti, ac peregrinam
H abitas terram, orbata cubilis
T ædis vidui, ac misera hinc exul
E ijciêre ignominiose.
P eriit reuerentia iurisiu-
randi. nullus superest Graijs
P udor, in cœlum sed reuolauit.
T ibi verò nec patria domus est
I nfelix, in quam ceu portum
P erfugias è thalami curis.
S ed regina potentior
O ccupat aulam.
af. N on nunc, sed antè sæpe perspectum est mihi
» Q uàm sit malum impotens & immedicabile
» I ra aspra, licitum fuerat & terra, & domo
» H ic tibi frui, siquidem tulisses molliter

Poten-

Potentiorum imperia, quæ nunc exulas
Ob vana verba, quæ molestiam mihi
Minimè facessunt. perge, vti facis, dicere,
Longè virorum peßimum esse Iasonem.
At quæ in tyrannos blaterasti, si exul es
Ob hæc, recense pro lucro iussam fugam.
Ego sæuientum molliebam principum
Animos feroces, ne exulares: tu tamen
Stulta esse pergis, prodigens conuicia,
Dirisq; reges deuouens. itaq; exulas.
Nec ista amicos me mouent vt deseram.
Adsum, tuisq; commodis mulier vaco,
Vt ne recedas hinc inops cum liberis,
Egensue rerum. multa secum incommoda "
Ferre fuga sueuit. sed nec indignè fero, "
Nec velle possum malè tibi, & si me oderis.
O peßime vndequaq;. nam imbecillitas Med.
Conuiciari me sinit tantùm mea.
Me adisti, adisti, maximè mortalium
Exose dijsq;, mihiq;, cunctisq; hominibus.
Non fortitudo est ista, non fiducia, "
Læsos amicos contueri comminus, "
Sed morbus vnus omnium grauißimus "
Additus hominibus, impudentia. id tamen "
Abs te probè actum est, quòd adieris: ego vt leuem "
Animum dolore, iurgia in te congerens:
Et tu vicißim sentias molestiam.
Et primùm, vt à primis initijs ordiar,

S alutis author tibi fui, vt Graij sciunt,
Quoscunq; tecum vexit Argo Pelias.
F lammam vomentes iussus es tauros iugo
S upponere, & letale sulcis condere
S emen, draconem sæpe in orbes nexilem,
C ircunuolutum vellus auro fulgidum, &
S opore nunquam fessa victum lumina
F allere: perempto tibi dedi illo cernere
V itale lumen: prodito patre, & domo,
A pplicui Iolchon te secuta, tibi nimis
H ic obsecundans, ac mihi parum prouidens.
P eliam peremi, morte qua nulla grauior,
M anu suorum liberorum. sustuli
T ibi metum omnem. tu tot ob beneficia
N os prodidisti, prædo perfidissime,
N ouas secutus nuptias, post liberos
D e me creatos. orbus etenim si fores,
V eniam dedissem coniugis cupido nouæ:
D ein peieratis dijs fides fluxa: ac satis
S tatuere nequeo, quos putabas tum deos
R egnare, credas nunc quoq;, an potius nouum
I us esse, fasq́; traditum mortalibus,
V t qui tibi ipsi es conscius periurij.
O' tacta sæpe dextera, ô sæpe genua
F rustra prehensa tibi manu infidissima,
V t spes fefellit: age, velut amicum alloquar,
S perantis instar aliquod abs te commodum.
E t enim rogando detegam scelus tuum.

Quò

Quò nunc reuertar? spreta quò me conferam?
An ad penates patrios, ac patriam,
Quam, te secuta, prodidi? an potius petam
Peliæ misellas filias, quæ me hospitem
Tractent benignè patris ob necem sui?
Sic est, amicos perdidi domesticos:
Quos non decebat afficere me iniuria,
Te propter, hostes vniuersos reddidi.
Ergo beatam inter Pelasgidas nurus
Me reddidisti pro his beneficijs. virum
Sum singularem nacta, fidumq; misera.
Si profuga cogor hoc solo egredier, inops,
Deserta amicis, sola, solis liberis
Comitata, pulchrum elogium erit sponso nouo
Mendica proles, exulans cum coniuge,
Cui debet, aura quòd fruitur. O` Iupiter
Adulterini indicia cur certa hominibus "
Auri dedisti, sed virûm in corpore nota "
Impressa nulla est, vnde noscantur mali? "
Grauis ira res est, & malum insatiabile Ch.
Amici amicis conferunt cum iurgia. "
Me, vt video, oportet eloquendi esse haud rudem: Ias.
Verùm gubernatoris instar callidi
Effugere summa linteorum margine
Loquacitatem, mulier, istam futilem.
Ego, beneficium quando nimium exaggeras,
Venerem salutis autumo authorem meæ,
Ducemq; cursus, nec deûm aut hominum alteri

D ebere ob illa sentio me gratiam.
I ngenij acumen acre suppetit tibi: at
O rationis arrogans iactantia est,
E a cum recens, quæ coacta feceras
A more, duris nos vt è laboribus
E ruere posses. illa tamen examine
L ibrare nolo exactiore. sicubi
P rofueris, agnosco libens beneficium.
A t, vt docebo te, incolumitate ex mea
P lus quàm dedisti, ad te redundat commodi:
P rimùm, Pelasgam, patria pro barbara,
T erram colis, vbi lex & æquitas vigent,
N ec iura cedunt gratiæ vel viribus.
O mnesq; doctam te esse Graij intelligunt:
F amaq; flores. finibus si in vltimis
O rbis habitares, mentio haud fieret tui.
M ihi nec aurum sit domi aggestum, neq;
O rphea canendo suauitas quæ vicerit,
S plendore si non sortis hæc decoret fauor.
H æc dicta nostris sint super laboribus,
C ontentionem quando ad hanc me prouocas:
A t quæ exprobrasti regijs de nuptijs,
P rimùm, reperies hic sapere me, dein virum
E t temperantem & tibi, meisq; liberis
F idelem amicum. sed quiesce tu interim.
V t me Corinthon ex Iolcho contuli,
C umulo malorum inexplicabili obrutus,
Q uid comminisci commodum potui magis,

Quàm

Q uàm si puellam regiam exul ducerem?
N on (quod tibi ægre est) quòd torum odissem tuum,
S ponsæq; amore saucius forem nouæ,
N ec numero vt vlli liberûm contenderent.
S at liberorum est: de sobole nil conqueror.
S ed, quod putandum plurimi est, vt splendidè
A euum exigamus, neúe penuria premat,
Q uippe indigentes qui fugere procul sciam
C unctos amicos: vtq; familiæ meæ
P ro dignitate, liberos educerem,
E x teq; natis gignerem fratres, pares
Q uos simul honorum per gradus producerent,
M eamq; postquam constabilijssem domum,
F elix vt essem. liberis sanè tibi
H aud est opus alijs: mihi verò vtile est
C onsulere natis per futura pignora.
N um cogitasse videor absurdè? torus
M odò ne angat animum, haud istud ipsa dixeris.
A t cò mulierum creuit impotentia: "
S i coniugalis salua sit fides tori, "
T um cuncta rectè creditis succedere. "
S in hac sinistrè parte quidquam euenerit, "
Q uæ chara fuerant, sunt statim inimicissima. "
A t quàm fuisset procreasse liberos "
A liunde melius, nec fuisse fœminas? "
E xempta quantis vita foret hominum malis? "
H æc pulchrè Iason perpolita oratio est, Ch.
A t mihi videre (inuita quamuis, proloquar)

E gisse iniquè, coniugem cum proderes.
Med. Quàm nostra vulgo dißidet sententia:
„ Orationis qui probus erit artifex,
„ Factisq; iniquis, hunc reor grauißima
„ Pœna esse dignum. nam quæ iniqua comere
„ Se gloriatur lingua, non maleficio
„ Vllo abstinebit, ac vacua sapientiæ est.
Igitur omitte splendidis coloribus
Fucare verum, & eloquendi viribus.
Verbo quidem vno te subitò confecero.
Siquidem fuisses vir bonus, te oportuit
Non hæc amicis clam peregiße: at prius
Me persuasa nuptias facere nouas.
Ias. Quin paruisses mihi suadenti probè,
Siquidem indicassem nuptias, quæ nec modò
Tumidi minuere pectoris bilem potes.
Med. Non hæc mouebat causa te, sed barbaras
Tædas senectam adusq;, fore putaueras
Parùm decoras. Ias. Tibi velim id persuadeas,
Non me secutum regijs his nuptijs
Cupidinem vxoris, sed, vti dixi prius,
Tuæ saluti consulebam, ac liberis
Meis, vti de stirpe fratres regia
Domui futuros præsidia progignerem.
Med. Ne mihi dolori iuncta sit felicitas,
Opesq;, quæ cor triste curis vlcerent.
Ias. Hæc vota vertes, tibiq; melius consules
Precando, ne quod vtile est, triste id putes:

Nec

Nec cum secundæ res erunt, te esse miseram.
Illude. perfugium tibi inuentum est, ego Med.
Deserta cogor his profugere finibus.
Tibi author ipsa es, ne alteri id des crimini. Ias.
Quî nam? nouis quòd prodidi te nuptijs? Med.
Diris tyrannos execrandis deuouens. Ias.
Et execratur vestra me inuicem domus. Med.
Quot his supersunt plura, quæ haud redarguo? Ias.
At si qua poscis præsidia tuæ fugæ,
Natis'ue, nostris ex opibus accipere, age
Profer, parato liberali dextera
Donare, nostros tesseras ad hospites
Dare, vt exulantem recipiant humaniter.
Hæc si recuses mulier, haud rectè sapis.
Iram remitte: consulas tibi melius.
Tuis nec vti volumus hospitibus, neq; Med.
Accipere quicquam, nec dederis aliquid mihi.
Nam quæ mali dant dona, prosunt nemini. «
At ego deorum sancta testor numina, Ias.
Natis paratum cuncta me dare, tibiq;.
Sed tu recusas optima, & ferocia
Fugas amicos, ac malo id quidem tuo.
I, sponsam amatam vise. nimium demoror Med.
Ab eius oculis te procul. agite, nuptias
Facite. fauentes fortè si respexerint
Nos dij, pigebit apparasse nuptias.
Si iusto amores acrius Ch.
Humana corda vulnerent,

V irtus faceßit, deperit
F amæ decus. ſed ſi Cypris
G radu modeſto venerit,
N emo deorum eſt gratior.
R egina Cypris, aureo
E x arcu ineuitabilem
I n me ſagittam haud torſeris,
A moris vnctam nectare.
M i grata temperantia,
M unus deûm pulcherrimum.
I nfrenis iracundia,
R ixoſaq; æmulatio,
M entem mihi ne ſaucient
V lla dolentem pellice,
O' ſancta Cypris, quæ toros
A mas carentes litibus:
P arata promptè expendere
L ecti iugalis crimina.
O' patria, ô ædes meæ,
N unquam exul, & conſilij inops
A euum moleſtè tranſigam,
C onfecta miſeris luctibus.
O' fata, fata tollite
E x hoc prius me lumine.]
» I nter moleſta cuncta nil
» M oleſtius cognouimus,
» P elli ſolo quàm patrio.
N ec id relatu didicimus

Alte-

A lterius.haud te ciuitas
M iseratur, aut æqualium
Q uisquam grauissimis malis
P ressam.malè pereat miser, "
M iserabilisq; nemini, "
Q ui,cum licet,nullo colit "
O fficio amicos: nec aperit "
S yncera claustra pectoris. "
M ihi quidem amicus nunquam erit.
M edea salue.hoc pulchrius procemium Aeg.
N emo habet,amicos quo salutarit suos.
S alue propago prouidi Pandionis Med.
A egeu.vnde in istud contulisti tè solum?
P hœbi vetustum deserens oraculum. Aeg.
C ur vmbilicum faticanum adisti soli? Med.
P rolis cupido consulere adegit deum. Aeg.
E t sobolis orbus,per deos,æuum exigis? Med.
O rbus,voluntas quando sic tulit deûm. Aeg.
C œlebs ne,vinctus an iugali copula? Med.
H aud nuptialis fuimus expertes tori. Aeg.
Q uid tandem Apollo rettulit de liberis? Med.
C armen facultatem supra humani ingenî. Aeg.
R esponsa nobis nosse num fas est dei? Med.
F as est.peritæ nanq; mentis indiget. Aeg.
Q uid ergo dixit? scire si fas est,refer. Med.
V tri eminentem soluere vetuit pedem. Aeg.
N empe antè quã facias quid,aut quem adeas locum. Med.
P rius paternam quàm adiero rursus domum. Aeg.

Med. T *u cuius ergô ad hancce tellurem venis?*
Aeg. P *ittheus tyrannus quispiam est* Trœzenius.
Med. P *elopis, vt aiunt, filius sanctißimus.*
Aeg. C *ommunicare oraculum cum illo volo.*
Med. S *anè peritus talium & gnarus vir est.*
Aeg. M *ihiq; amicos inter acceptißimus.*
Med. S *it auspicatum quicquid animo destinas.*
Aeg. C *ur corpus, oculusq; ita tuus contabuit?*
Med. A *egeu, maritus peßimus hominum est meus.*
Aeg. Q *uid ais? apertè profer ægritudinem.*
Med. I *mmeritam Iason afficit me iniuria.*
Aeg. Q *uinam? profare quicquid est, apertius.*
Med. H *abet supra me coniugem domus heram.*
Aeg. N *empe ausus istud facinus est fœdißimum?*
Med. S *ic est. priores nunc amicos despicit.*
Aeg. A *more captus, an torum exosus tuum?*
Med. I *ngenti amore, nec suis fidus manet.*
Aeg. V *aleat, malitia si modò est qua prædicas.*
Med. A *ffinitatem concupiuit regiam.*
Aeg. Q *uis coniugem illi dederit, hoc edissere.*
Med. I *s, qui Corinthi sceptra moderatur Creon.*
Aeg. V *eniam meretur, mulier, iste tuus dolor.*
Med. A *d hæc & exul hoc misera pellor solo.*
Aeg. A *quo? recens hoc denuò narras malum.*
Med. R *egno exulare me Creon isto iubet.*
Aeg. S *init hoc Iason? nec equidem hoc facinus probo.*
Med. V *erbo repugnat, exigi re non vetat.*
S *ed te per istud oro mentum, per tua*

Te

T e genua supplex, supplices tendo manus,
M iserere miserere mulieris miserrimæ:
N ec orbam amicis, exulemq́; despice.
R egno domoq́; contubernalem excipe.
S ic efficacem sortiantur exitum
Q uæ à dijs petisti liberis super, ipseq́;
M oriare felix. comminisci haud alteram
Q ualis reperta est spontè, potuisses viam.
D ehinc fixo ne sis sterilis, & sobole domum
F undabo vestram: tale noui pharmacum.
P ermulta sunt cur facere tibi gratum hic velim. Aeg.
P rimùm deorum, liberûm dein gratia
Q uos polliceris. muneri nanq; huic ego
I nefficax sum totus. ita profectò habet.
T u si Cecropium adueneris solum, hospitem
R ecipere nitar, cultor vt iusti vnicè.
P ræmoneo tantùm id te mulier, ex hoc solo haud
T e duco: verùm spontè si perueneris
N ostras ad ædes, tuta mecum manseris.
N ec vim time. te neutiquam dimisero.
Q uin effer ipsa spontè gressum hinc. nam id velim,
M e criminandi ne sit hospitibus locus.
I d fiet: at si dederis, ita fore hæc, fidem, Med.
V otis abundè satis erit factum meis.
M ihi ne parum credis? quid hic est scrupuli? Aeg.
C redo: sed odit me domus Peliæ, & Creon: Med.
N ec me vt reuellant hi tuo fines solo,
I uratus, ac vinctus sacramento mihi.

V erbis ligatus, testibusq́; dijs, meus
F ies amicus, nec fidem præconibus
Q ui me reposcent, facilè habebis. nanq; ego
I nfirma sum: illis regna, vires, oppida
L argè supersunt, ac opes tyrannicæ.
Aeg. P robè elocuta es, mulier, atq; prouidè.
E t quando visum est sic tibi, non abnuo,
A duersus hostes hunc tuos prætendere
P otero colorem: tutiusq́; istud reor.
P ræsidia muni, verbaq́; ac deos præi.
Med. I ura solum terræ, patremq́; mei patris
S olem, deorumq́; vniuersum adijce genus.
Aeg. Q uid præbiturum, vel negaturum? refer.
Med. Q uòd non repelles exulem regno tuo:
N ec si meorum quispiam velit hostium
E ducere, haud id viuus & volens sines.
Aeg. T ellurem & almum deiero Solis iubar,
D eosq́; cunctos, firma fore quæ postulas.
Med. S at est. quid autem pœnæ erit, si peieres?
Aeg. Q uæ peierantes pœna consequi solet.
Med. A uibus secundis perge, cuncta rectè habent.
E go te reuisam protinus, vbi fecero
Q uæ destinaui, & quæ volebam, vbi assequar.
Ch. A t te pacifer hinc Mercurius
I ncolumem ad tua tecta reducat.
Q uæq́; agitas animo, perficere
D et tibi: nam generosus
M ihi vir visus es, Aegeu.

O' Iup-

O' Iuppiter, Iouisq; fis, fixq; aurea Med.
P hœbi, trophæum nunc feram illustrißimum.
N unc rectà ad ipsam tendimus victoriam.
S pes expetendi de hoste supplicij datur.
N am quà pericli supererat vel plurimum,
P ortus repertus natus est Pandionis.
P osthac rudentem principem ligabimus,
C ursum tenentes rectà ad vrbem Palladis.
N unc cuncta prodam, mente quæ cælaueram.
A c dicta crede seriò, quæ proloquar.
M ittam è ministris quempiam, qui Iasonem
A ccersat ad me. pòst vbi peruenerit,
O ratione blandiore colloquar.
R ectè videri nuptias & ordine
F actas, quibus me bene merentem prodidit,
N ec parua secum ferre dicam commoda:
P etamq; natis hic licere viuere:
N on quòd relinqui liberos velim meos,
E t hostium hic exponier ludibrio:
S ed vt puellam regiam perimam dolo.
N am dona sponsæ quæ ferant, natis dabo,
S ubtile peplum, cum corona nexili
E x auro, vt isthoc munere redimant fugam.
Q uòd si recepta dona corpus tetigerint,
P eribit ipsa, & quisquis admorit manum:
S ic imbuentur efficaci pharmaco.
A tq; hic loquendi de his mihi statuam modum.
S ed corda mœror obruit, cum cogito

Quantum ſuperſit perpetrandum dehinc ſcelus.
Mactabo natos: nec manu quiſquam mea
Hos liberabit. poſt vbi turbauero
Penitus Iaſonis domum, vertam ſolum
Profuga, per emptis liberis chariſsimis,
Cæde inquinata dexteram nefaria.
Non eſt ferendum, fœminæ chariſsimæ,
Riſus vt hoſti materia ſim. ſic eat.
Quid enim relictum eſt cur iuuet dehinc viuere?
Nam nec patria, nec mihi domus, nec miſeriæ
Perfugia reſtant vlla. tunc inſanij,
Patrios penates cum reliqui, credula
Homini Pelaſgo, qui fauente numine
Pœnas rependet. nam nec ex me liberos
Viuos videbit dehinc, nec è ſponſa noua
Gignet: venenis ſed mala peribit malis.
Me nemo poſthac inſimulet ignauiæ,
Aut imbecillem deſidemúe cenſeat.
Quin contrà amicis beneuolam, hoſtibus grauem.
Nam quiſquis iſtis præditus erit moribus,
Aeuum perenni laude clarum tranſiget.
Cho. Arcana nobis quando credis pectoris,
Prodeſſe cupio tibi, ac tueri publicum
Mortalium ius, fasq;. quare ſuadeo
Ne tam nefando ſcelere te contamines.
Med. Hæc fixa perſtant. ac tibi ignoſci poteſt
Iſthæc loquenti, quæ pari haud premeris malo.
Ch. Mactare ſobolem mulier audebis tuam?

Id nem-

I d nempe coniux maximè indignè feret. Med.
E t tu miserijs maximis cumulaberis. Cho.
S ic eat. inanis omnis est oratio, Med.
A b instituto quæ refrenet. verùm age,
O pera fideli semper vtimur tua
A d cuncta, tectam quæ fidem desiderant.
A dduc maritum. at ne reuela regibus
C onsilia nostra, si sapis, & es fœmina.
C ecropidæ, quondam felices, Cho.
E t sancta deûm soboles,
A rua inuicta ac sacra colentes,
A urea quos sapientia pascit,
L ucida puræ per spacia æthræ
T raducentes molliter æuum.
V bi castas quondam Pieridas
F ama nouem peperisse
N arrat flauam Harmonien,
V bi pulchriflui flumina propter
C ephisi Venerem aiunt fessam
M ollibus exhalando flabris,
E t blandum spirantibus auris
C ampos afflauisse beatos,
D um nectit purpuream roseo ac
S uaueolenti è flore coronam
A mbrosiæ comæ.
I n quam, vt referunt, comites sophiæ
M isit amores, omnigenæ essent
V t virtutis opitulatores.

Qui-

Q ui'nam sacrorum fluuiorum
V rbs,& cunctis hospita tellus
T e venientem accipiet,sobolis
E xecranda cæde cruentam?
Q uin expende hic inter amicos
Q uantum aggrediare nefas.animum
R efer ad tristia funera prolis.
N e,per genua oramus pariter
C unctæ,ne progeniem perimas.
V nde hæc cruda audacia cordi?
V nde hæc cæca temeritas? natis
N empe inferre manum pote proprijs?
Q ui'nam immunes fletibus oculos
I n natorum funere habebis?
C um procumbet soboles supplex
I nter cædem,miseranda animi
S anguine poteris tingere dextram.
Ias. A duenio iußus.quamlibet succenseas,
H ic tibi deesse nolui. sed expedi
E cquid requiras modò nouæ ex nobis rei.
Med. I ason,oro,quicquid in te dixerim,
I gnosce.nostra si quid iracundia
A sperius egit,te remittere id decet
B eneficiorum memoriæ communium.
N anque ipsa mecum sola dum ratiocinor,
M e me reprendi.misera,cur insanio?
I nfensa cur sum recta consulentibus?
H ostis tyrannis sum,viroq;,qui facit

Quod

Quod vtilißimum est mihi, sociam tori
Dum regè natam ducit, ac natis meis
Fratres creabit. non furoris impetum
Frenare par est? quid fero, cum præbeant
Dij cuncta abundè? non mihi sunt liberi?
Orbos amicis video nos, & exules.
Hæc mente voluens, quanta vis insaniæ
Me tenuit, iramq́; immerentem intelligo.
Quin laudo nunc te, prouidumq́; iudico,
Qui tam potentem affinitatem adiunxeris.
Ego stulta certè, consilî quæ particeps
Istius esse, quæ ministra debui
Adstare lecto coniugis nouæ, atq; ei
Gratum quod eßet, facere. verùm nos sumus
Non dico pestis quanta, certè fœminæ. 86
Sed te malorum non decet fieri æmulum:
Et stulta stultis dicta dictis reddere.
Insaniebam, fateor, antè: cedo nunc.
Consultius deliberaui. ô liberi,
O liberi, huc accedite, exite huc, domo
Prodite, complectamini, alloquamini
Cum matre patrem: pristinum deponite
Odium in amicos cum parente pristinos.
Iam fœdus ictum est: ira ceßit: dexteram
Prehendite. hei mihi, subit animum mali
Memoria tecti. ô liberi, an superstites
Exporrigetis dexteras charas diu?
Hei misera, lacrymis nuper obsita & metu,

Odium

O dium paternum tempus vbi iam leniit,
R igare fletu cogor ora denuò.
Cho. E t noſtra liquidis ora fletibus madent,
P ræſente maius ne quod accidat nefas.
Iaſ. H æc laudo mulier. illa nec grauiter fero.
„ P ar eſt profectò, fœmina vti ſuccenſeat
„ N ouas marito contrahenti nuptias.
A t ſaniora conſilia tuus animus
A dmiſit: ipſaq́; admonente tempore
F ideliorem percipis ſententiam:
Q uod eſſe munus fœminæ arbitror probæ.
N ec oſcitanter, filij chariſsimi,
V eſtræ ſalutis inita ratio eſt à patre,
S iquidem fauentes habeat inceptis deos.
N am ſpero terræ vos adhuc Corinthiæ
O lim futuros principes cum fratribus.
S ed creſcite modò: cætera expediet pater,
D iuumq́; quiſquis nos benignus aſpicit.
V tinam ex ephebis exeuntes vos probè
V ideam inſtitutos, ſuperioresq́; hoſtibus.
S ed cur tenellas vda lacrymis genas
M œres, retrorſum flexa vultus candidos?
N ec hæc libenter auribus verba imbibis?
Med. N il. liberorum memoria animum perculit.
Iaſ. B ono animo es. iſtis ego probè proſpexero.
Med. F iet, tibi parebo. verùm fœmina
„ S um. natus autem ſexus hic ad lacrymas.
Iaſ. C ur tantopere verò ingemiſcis pignora?

E *a nempe peperi. cum precarer prosperè* Med.
H *is, me subibat tacita commiseratio,*
A *n certa sint hæc vota. Sed qua gratia*
H *uc te vocaui, ex parte dictum: cætera*
E *go in memoriam suggeram. Cum regibus*
V *isum sit isto me relegare è solo,*
I *d esse video commodißimum mihi,*
P *rincipibus vt ne sim impedimento, & tibi,*
H *îc commorando: quippe cum infensa videar*
A *ulæ, exulatum propero. verùm liberi*
V *t educari patria poßint manu,*
R *oga Creontem ne iubeat esse exules.*
C *ertum experiri, at nescio an persuasero.* Ias.
A *t tu iubeto sponsa genitorem vt roget,* Med.
H *inc exulatum ne releget liberos.*
F *iet, & opinor impetraturam, nisi* Ias.
A *cæterarum discrepabit moribus.*
E *t ego laboris huius adiutrix ero.* Med.
N *am dona mittam, pulchrius quibus nihil*
N *unc inter homines est, sat id scio, peplum*
T *enue ferentes filios, & aureum*
O *rbem coronæ. Sed ministrorum illico*
A *liquem necesse est ferre mundum hunc muliebrē.*
F *elicitate non fruetur simplice,*
S *ed mille sanè commodis cumulabitur,*
T *e nacta thalamo coniugem, virum optimum,*
A *depta cultus quos patris mei pater*
P *hœbus, ferendos posteris dedit suis.*

Hec

Hæc capite manibus dona nuptialia
Nati, ac beatæ ferte sponsæ regiæ.
Non respuenda capiet vtiq; munera.
Ias. Cur ipsa tete stulta spolias his? putas
Vllis egere regiam peplis domum,
Auróue? serua, ne dederis hæc. sat scio,
Alicuius esse si putabit me preci,
Auro maritum sponsa longè præferet.
Med. Omitte, flecti muneribus aiunt deos.
„ Oratione qualibet potentius
„ Apud homines aurum est. fouet felicior
Illam aura sortis. cuncta fortunat deus
Illi: puella regnat, ego fugam haud modò
Auro, sed anima liberûm redimam lubens.
At vos propinquas filij ingreßi domos,
Nouam parentis coniugem, dominam meam,
Orate, deprecamini ne vertere
Solum necesse sit, offerentes in manum
Hæc dona. multum nanq; nostra id interest,
Illius isthæc munera accipi manu.
Ite, & peracta re probè ex sententia,
Matri referte nuncium qualem cupit.
Cho. Nulla dehinc superest spes pueros
Victuros: ad cædem properant.
Sponsa coronam fuluam accipiet.
Misera accipiet miserum exitium,
Flauæq; comæ dirum ornatum
Acceptum, capiti imponet.

G *ratia pepli, & nitor ambrosius*
A *uro tempora cingere coget.*
S *ponsa ornabitur Orco.*
T *ales cadet in laqueos,*
M *isero & fato defungetur.*
N *ec mortis patet exitus vsquam.*
T *u verò ô miser, ô infelix*
S *ponse, affinis dum vis regum*
E *sse, calamitatem imprudens*
A *ccersis natis, ac sponsæ*
M *iserum exitium. O miseranda parens*
P *uerorum, tua lugeo fata,*
Q *uæ thalamos geniales propter,*
D *ulcia prius es pignora vita.*
Q *uos tibi vir linquens iniustè*
N *uptæ thalamo alterius fruitur.*
N *atis remissum est, ô hera, exilium tuis.* Pæd.
R *egina munus in manum accepit lubens.*
T *ranquilla pueris cuncta sunt illinc tuis.*
H *ei.* Pæd. *Quid gemiscis, cuncta cum feliciter* Med.
C *edant? quid ora vertis illuc candida?*
M *eum nec audis mente læta nuntium?*
Ae, æ. Med.
H *æc cum relatis nuncijs haud congruunt.* Pæd.
V *æ denuò, væ.* Pæd. *Num fefellit opinio* Med.
M *ea me, malumq; nuncium inuitus fero?*
Q *uæ nunciata, nuntiata. haud culpo te.* Med.
D *eiecta vultus ergo quid fletu mades?* Pæd.

M Huc

Med. H uc multa cogunt ô senex, nanque & dei
H uc impulere, & stultitia simul mea.
Pæd. A nimo bono es, per liberos potentiæ
A dhuc prioris magna superest portio.
Med. A lios quidem prius misera deducam ego.
Pæd. N on sola natis segregaris. calamitas
„ M odicè ferenda est tibi, genita cum sis homo.
Med. I d fiet. at tu protinus in ædes abi,
P uerisq́; solitum præpara diarium.
I am parta vobis ciuitas, ô filij,
F ilij, domusq́;, quam colatis me sine,
O rbi parente sempiternùm. at exulem
M e capiet alia terra, fructus antè quàm
C apiam expetitos, quàm beatos videro,
L ectos prius quàm, nuptialesq́; thalamos,
S ponsasq́; vobis præparem, ac tollam facem.
O iam sinistram contumaciam meam.
F rustra educaui filij vos, pertuli
F rustra labores, anxia incassum fui,
F rustra dolores passa sum puerperi.
O spes inanes sæpe de vobis meas,
F ore vos senectæ præsidia nostræ, & manu
V estra sepulcro mortuam me contegi,
Q uæ prima fermè vota sunt mortalibus.
E xtincta nunc est dulcis expectatio.
N am mœsta, vobis orba vitam transigam,
E t luctuosa: nec deinceps cernere
V obis parentem suauibus oculis licet,

Ad

A d institutum transeuntibus nouum.
E heu quid in me respicitis, ô filij,
R isu renidentes mihi nouissimo?
H ei misera, quid agam? mulieres, mihi deficit
C or, intuendo blanda lumina liberum.
N equeo. priora consilia valeant. solum
M ecum relinquent. quid? dolore dum patrem
A fficio, duplo grauius accersam malum
M ihi ipsa? minimè. consilia valeant. mihi
Q uid contigit cur torpeam? ludibrio
M e patiar esse meis inultis hostibus?
A udenda sunt hæc. Sed meæ est ignauiæ
H oc crimen: animo molliora suggero
V erba. introite. siquis est cui non licet
H is interesse sacris, ipse viderit.
M eam profectò dexteram non polluam.
A h facinus anime ne istud admittas caue.
I psos omitte, misera parce liberis.
F ugæ leuamen exulantes vnà erunt
N ostræ. Per atræ noctis vltores deos
N on sic abibit, vt meorum ego hostium
N atos relinquam obnoxios libidini.
V itare mortem non queunt. quò nos trahit
F atum, sequamur. sortiantur terminum
H inc lucis, vnde ceperint primordium.
P eracta sunt hæc. fixa stat sententia.
H anc nemo reddet irritam. iam vertice
H æret corona: sponsa peplis regia

P erit inuoluta:sat scio,ingrediar iter
M iserrimum iam,miserius etiam meos
M issura natos per iter.alloqui lubet.
D ate,date matri dexteram,amplectamini
N ati parentem.O' mihi manus charißima,ò
C harißimum os.O' forma,grataq; facies.
F elicitatem,sed ibi,vobis comprecor.
N am quicquid hic supererat,abstulit pater.
O' molle corpus,grataq; amplexatio,
B landumq; spirans suauis oris halitus.
A bite,abite,contueri non queo
V os iam.malorum cedo magnitudini,
V ideoq; quantum perpetrabitur nephas.
" S ed peßimorum facinorum genitor furor
R atione maior me retrorsum distrahit.
Ch. M ecum sæpe exactius
S um conata expendere,ac
S ubtili librare examine,
N um deceat disquirere fœminas
D e rebus subtilibus anxiè.
" N ec nobis Musarum aliena
" S unt commercia.Sunt sapientiæ
" C orda capacia,non tamen omnibus:
" S ed rara inter copia fœminas
" I ndulget studijs sapientiæ.
" I llud verò ausim contendere,
" H is cum longè actum felicius,
" Q uibus æuum penitus transigere

Contigit

Contigit orbis sobolis, "
Quàm quibus est numerosa propago "
Sorte data: orbi quòd inexperti "
Ignorent, an dulce, an amarum "
Sit genuisse: anxietatibus "
Vacui innumeris viuant. soboles "
Queis numerosa est, anxia curis "
Degunt miseræ tempora vitæ. "
Primùm vt honestè educent, vitæ- "
que necessaria subsidia parent. "
Deinde accedit ad alias curas "
Illud, sint'ne futuri (incertum) "
Malè compositis moribus, an boni. "
Id quoq; postremum mortalium "
Nulli non graue proloquar, etsi "
Cætera vitæ commoda suppetant, "
Et pubentes iam perueniat "
Corpus ad annos, moribus optimis "
Exculto ingenio, dea inutilis "
Tum si illa incumbet Mors, dulces "
Ac emittat sub tartara liberos: "
Qui fuit vtile, pignora propter "
Hunc adiectum à dijs, mortalibus "
Intolerandum luctus cumulum? "
Iamdudum, amicæ, operior exitum rei, Med.
Fortuna quò se vertat illic, præstolans.
Atqui è ministris cerno quendam Iasonis
Gressus ferentem ad nos anhelo spiritu.

M ali videtur fore recentis nuncius.
Nunc. O' perpetratrix facinoris nefarij
M edea, fuge, fuge, classe seu cita licet,
S eu vecta curru corripe celerem fugam.
Med. Q uæ digna causa cogit ad properam fugam?
Nunc. R egia puella modò perijt, atq; genitor
C reon, venenis illiti pariter tuis.
Med. G ratum attulisti nuncium. deinceps meos
I nter beneuolos, ac amantes nostri eris.
Nunc. Q uid? mente sana mulier es? an desipis?
D omum tyranni funditus cum verteris,
A udire gaudes, nec facinus istud paues?
Med. N on deest ad ista quod queam rependere.
S ed ne grauere tantulum nobis moræ
D are, pereundi donec explices modum.
N am morte functos si sciam miserrima,
C umulabis animum gaudio duplice meum.
Nunc. V t gemina proles cum patre aduenit tua,
E t coniugalis attigit limen domus,
F amuli, dolori quibus erat tuus dolor,
G audemus, aures omnium citò peruolat
R umor, maritum teq; pacto fœdere
C onsopijsse pristinam discordiam.
H ic tangere manus, ille flauum verticem
M ulcere pueris. ipse quoq; præ gaudio
P ueros gynæceum vsq; lætus prosequor.
A t hera colenda quæ tui nobis loco
S uccessit, antequam puerulos viderat,

Vultu

V ultu renidenti intuens Iasonem
H ærebat: at pòst mœsta tristis lumina
A bscondit, ora retrò flectens candida,
Q uippe puerorum grauiter aduentum ferens.
S ed leniebat molliter puellulæ
I ras Iason, differendo talibus:
A duersum amicos ne fueris aspera: animum
C ompone: rursus flecte vultus, ac puta
H os esse amicos, quos maritus diligit.
E t dona suscipe, & patrem exora tuum,
H inc ne releget pignora, meam in gratiam.
A t illa mundum vt vidit, haud viro amplius
N egare quicquam sustinuit. ac antequam
T ectis abessent genitor & nati procul,
O rnata peplis ipsa versicoloribus.
M ollem corona pressit aurea comam,
S ese nitentis ante speculi splendidum
A equor refingens: ac renidens suauiter,
S pectabat vmbram corporis inanimem sui.
D ein sede subleuans è regia,
P er tecta graditur læta donis, molliter
E burna terræ collocans vestigia,
E t colla fixo sæpe spectans lumine.
A t triste post hæc incidit spectaculum.
C olore mutato subitus iterum tremor
O bliqua membra vexat: ac ægrè throno
P ræoccupato potuit efficere ne humi
P rolapsa rueret. tum pedisequa quædam anus

I ram esse Panos, aut deûm cuiuspiam
R ata, eiulauit lugubre. antè candidis
N am tincta spumis ora vidit, & oculis
C ircunrotari pupullas, & sanguinis
I nane corpus. eiulatum flebilem
D cin exicipit ploratus. alia ipsum ad patrem
F estinat, alia calamitatem coniugis
N ouum ad maritum currit vt recenseat.
T ota in tumultus versa varios regia
S trepebat. & iam cursor accelerans gradum
L assus citatum, ad terminum peruenerat.
H æc muta, clauso quæ iacebat lumine,
S uspiria trahens grauiter, expergiscitur.
M isera gerebat cum duplice bellum malo.
N am quæ præmebat verticem auro tortili
C orona, mirum, flammeam scaturiginem
V oracis ignis euomebat. at pepli
T enues, tuorum liberorum munera,
N iueum exedebant corpus, & miseræ cutem.
P orrò illa surgens è throno, comam igneam
R otat, huc & illuc vsta iactans tempora,
Q uærens coronam excutere: at insolubilis
A urum tenebat nexus: & quoties comam
Q uatiebat, ignis sæuiebat acrius
D uplo. mali tum victa magnitudine
C ecidit, parenti cognitu tantùm suo
F acilis: nec oculis forma constabat sua,
D ecor nec oris, vertice è summo cruor

Stillabat

S tillabat igne mixtus. auulsa oßibus
C aro, venenis per genas tacitis fluit,
C eu teda lenis læsa sudat lacrymis.
R es dira visu, terror omnes occupat,
T angere cadauer nemo vt ausit. scilicet
M agistra sors aduersa nos erudierat.
I gnarus autem genitor infœlix mali,
V t tecta primùm contigit, cadaueri
I nfusus ingemuit, & vlnis comprimens,
A tque osculatus, soluit ora talibus:
O' nata misera, quis deorum perdidit
S ic morte fœda te? quis orbauit senem
C apulo propinquum, tristeq; silicernium?
V tinam liceret nata tecum commori:
V t lacrymis & luctibus fecit modum,
S enile corpus alleuare dum cupit,
P eplis adhæsit tenuibus, vti laureis
R amis adhæret hedera, tum certaminis
H orrenda facies oritur: ille tollere
G enua experitur, illa contrà nititur.
S in vim parabat, viua vellens viscera
N udabat ossa, deinde sensim languit.
F ugiente vita spiritum tandem miser
E fflauit, impar inualescenti malo.
I am iuncta genitor nataq; cadauera iacent,
D ignum profectò lacrymis spectaculum.
D e te quid opus oratione? senties
P œnæ expetitæ iam vicißitudinem.

» H aud primitus nunc esse res mortalium
» V mbras fugaces credo, nec dubitauerim
» H os qui videntur sapere, verborum aucupes
» H os curiosos, asseuerare omnium
» I ure esse habendos optimo stultißimos.
» C ertè beatus nullus est mortalium.
» V t affluunt res, ille fortunatior
» I llo putetur, haud beatus sit tamen.
Ch. I ure, vt videtur, plurimum hodie congeret
D eus malorum in Iasonem. infortunij
T ui misertum est ô Creontis filia
M isella, thalamis quæ procul ab Iasonis
A d tecta Ditis functa fato duceris.
Med. C ertum est, amicæ fœminæ, celerrimè
N atis peremptis hoc solo discedere.
N ec ociose desidendo dexteræ
I nfestiori dare necandos filios.
M ori neceße est liberos penitus meos.
Q uando id neceße est, nos trucidemus vtiq;,
Q ui progenuimus. verùm age anime, accingere.
E cquid moramur dira patrare scelera,
E t quæ necesse est perpetrare? age ô manus
M ea misera ensem cape, cape, ac ad carceres
P rogredere vitæ tristis, ac ne defice,
N ec subeat animum liberorum memoria
Q uos edidisti, ô chara, & obliuiscere
F uisse natos breuiculum hunc diem tuos.
P ost deinde luge. nam tametsi occideris,

C hari fuerunt: mulier autem misera ego.
O terra, lucidumq; Cho.
P hœbi iubar, videte,
A spicite pestilentem
H anc fœminam, & cruentam,
M anum trucem priusquam
I n liberos verterit:
Q ui de tua stirpe aurea
D ucunt originem.
Q uam metuo, deûm
N e imbuat hominum sanguis dextram:
A t tu cœligenæ moderator
L ucis, cohibe, reprime, furiam
P elle cruentam & miseram tectis
E feralibus. incassum labor
D eperit ob natos susceptus.
P ignora frustra chara genueras.
O Symplegadum inhospita saxa,
Q uæ deseruisti, angustas fauces,
M isera vnde tibi furor hic animi?
V nde atrox cædes cumulatur?
Q uisquis consanguinea terram
I mbuerit cæde, ac macularit
S anguine dextram, vindicta comes
V rget sæua, ac dij mala plurima
H inc domibus cœlitus immittunt.
Q uid agam parentis quomodo hei fugiam manus? Puer.
I gnoro frater chare, perijmus vtiq;. Alter.

Audis

Ch. *Audis puerorum audis vocem*
O` misera, ô infelix mulier,
Tectum ingrediar, pignora rapiam è
Cæde nefanda.
Puer. *Per ô deorum numen opitulamini*
Dum licet, in ipsis penè retibus sumus.
Cho. *Misera aut ferrum aut silicem gestas*
Pectore, quæ propria mactabis
Dextra, pignora quæ peperisti.
Vnam secula memorant, vnam
Ino, quam fœdasse cruore
Sui recensent pignoris charam manum,
Nec sponte, diro sed furore percitam,
Insanientem Iuno cum miseram domo
Exegit. oblita cæde natorum impia
Perijt peremptis liberis mortis comes,
Progreßa littus vltra, in æquor decidens.
Quid sceleris iam restat inausum?
" *O` fœminei thalami curæ*
" *Pleni anxiferæ, quanta è vobis*
" *Homines torquet lerna malorum!*
Ias. *Quæ statis hasce propter ædes fœminæ,*
Est'ne intus author facinoris nefarij
Medea, sese an abripuit aliò fuga?
Tellure sese ni recondat obrutam,
Penna ûe liquidas ætheris findat plagas,
Domui rependet capta pœnas regiæ.
An se, interempta stirpe regum, credidit

Impu-

Impunè tectis hisce posse euadere?
Nec illius me cura, sed sobolis coquit.
Nanq; illa pœnas soluet his quos læserat,
Sed liberorum huc venio vitæ vt consulam:
Ne scelera matris vindicantes impiæ
Genere propinqui aduersus illos sæuiant.
Nescis malorum quò redactus sis miser Ch.
Iason, alias ista nunquam diceres.
Quid est? an etiam me interimere cogitat? Ias.
Cæsi occiderunt liberi matris manu. Ch.
Hei mihi, quid ais? vt me iugulasti fœmina. Ias.
Vt luce cassis cogita de liberis. Cho.
Vbi eos peremit? intus, an foris? refer. Ias.
Foribus reclusis funera intuebere. Ch.
Auferte vectes, tollite hinc repagula Ias.
Statim ministri, scelus vt aspiciam duplex,
Illos peremptos, hanc, vti pœnam exigam.
Quid frustra in istas arietas pulsans fores, Med.
Cæsosq;, meq; cædis authorem petens?
Laborem omitte hunc: meq;, si qua in re est opus,
Affare: manibus haud licebit tangere.
Talem parentis Sol pater currum mihi
Quo me tuerer è manu hostili, dedit.
O dira, dijs o mulier immortalibus Ias.
Exosa, mihiq;, & omnibus mortalibus:
Quæ sustinebas liberorum pectori
Inserere ferrum mater, orbum & perdere
Me: & his patratis intueri sustines

Solem,

S olem, solumq; , facinus ausa pessimum?
M alè peri. ego resipisco nunc: insanij
T um, cum paternis ædibus te barbaro
G raias ad orbes è solo aduexi, malum,
P estemq; , patris proditricem, & patriæ
Q uæ te educauit, supplicia de me expetunt
S celerum tuorum, vindices Erinnyes.
N am fratre cæso, sanguinis socio, ratem
M ecum decoram ingressa es Argo Peliam.
H inc orsa es: inde coniugali copula
M ihi iuncta, de me sustulisti liberos:
O ffensa tædis quos peremisti nouis:
Q uod Graia nulla perpetrasset fœmina,
Q uibus ego spretis prætuli thalamos tuos,
A ffinitate pestilente me illigans
S æuæ leænæ, haud fœminæ: quæ pectore
S cyllæ cruentos ferreo vincis canes.
S ed nulla mentem commouent opprobria:
I ta impudenti obduruisti audacia.
P ereas, cruenta liberorum carnifex.
L ugere superest mihi meum infortunium:
Q ui nec recenti perfruar connubio,
N ec quos creaui & educaui liberos,
I am morte raptos, alloqui viuos licet.
Med. Q uàm multa contrà suppetunt quæ redderem,
S i non vtrinq; testis esset Iuppiter
Q uam debuisti, ac retulisti gratiam.
S pretis ne nostris nuptijs tu molliter

V itam perageres, mihiq; miseræ illuderes?
R égiaq; virgo, & qui dedit nuptum hanc, Creon,
I mpunè an vnquam me expulißent hoc solo?
I gitur leænam me vocat, aut Scyllam, vt lubet,
T uscum obsidentem littus. vt par est, tuum
A nimum vicißim perculi molestijs.
A ngeris & ipsa, & es malorum particeps. Ias.
M odò ne dolentem irrideas, iuuat dolor. Med.
O' matre nati filij nepharia. Ias.
O' filij, vt vos perdidit scelus patris: Med.
N on hos peremit nostra certè dextera. Ias.
S ed culpa, lectumq; in iugalem iniuria. Med.
T orum ne propter ausa es illos perdere? Ias.
A n hunc dolorem mulieri reris leuem? Med.
S i qua est modesta, tu vndequaq; es peßima. Ias.
I lli occiderunt: hoc habet te peßimè. Med.
C apiti imminebunt vindices vmbræ tuo, Ias.
D ijs primus author notus est iniuriæ. Med.
D ijs nota mens est execrabilis tua. Ias.
M ihi es molestus, & odiosa oratio. Med.
E t tua vicißim mihi. sed hac molestia Ias.
F acilè carebis. Med. quomodo? id nanq; vnicè
C upio. Ias. Remitte flenda mihi cadauera,
A c sepelienda. Med. Minimè. eos nanq; hac manu
I unonis alto sepeliam sanctæ sacro,
S epulchra ne fortè hostis insolentia
V iolet superbi, Sisyphiq; posteris
C ædis nefandæ sacra dabo piamina.

Festaq;

F *estaq; dicabo in posterum solennia,*
A *t ipsa* Erechthei *propero ad vrbem, vbi* Aegeo
I *ungar marito, filio* Pandionis.
T *u verò, vt æquum est te, peribis pessimè,*
A *rgus reliquijs tempora effractus tuæ,*
F *inem nefastum sentiens thalami mei.*
Ias. A *t te cruentæ filiorum* Erinnyes
P *erdant, & vltrix iusticia cædis feræ.*
Med. E *cquis deorum te audiet, vel dæmonum,*
P *eriure, fallax, hospitumq́; proditor?*
Ias. A *h ab nefanda liberorum carnifex.*
Med. P *roficiscere domum, conde tumulo coniugem.*
Ias. N *atis orbus geminis abeo.*
Med. N *ondum luges. senium expecta.*
Ias. O' *charissima pignora.* Med. *Matri*
C *hara profectò, patri minimè.*
Ias. T *amen extinxti.* Med. *Te vt cruciarem.*
Ias. H *eu me miserum. tangere chara*
C *upio natorum ora meorum,*
Med. N *unc alloqueris, nunc amplecti*
O *ptas, dudum quos repulisti.*
Ias. P *er ô deorum numen id tribue mihi,*
V *t molle corpus liberûm tangam manu.*
Med. M *inimè. incassum verba profundis.*
Ias. I *uppiter hôc ne, vt spernimur, audis,*
Q *uæq; scelesta patrauerit in me*
L *ea, natorum cæde cruenta?*
Q *uod licet vnum, fleo, vociferor,*

Testes-

T *estesq; deos aduoco, natos*
Q *uòd me attingere manibus prohibes*
A *bs te occisos, quòd mihi tollis*
F *uneris arbitrium: quos vtinam*
N *unquam ego genuissem, abs te vt cæsos*
C *ernere cogerer ipse superstes.*
D *ispensat mortalia cuncta* Ch.
C *œlo Iuppiter, inopina Dei* "
P *lurima peragunt: spes euentu* "
F *raudant sæpe suo: quæ credas* "
F *ieri haud posse, expediet Deus, vt* "
F *inem hæc nunc sortita est fabula.*

Acta fuit Burdegalæ, anno
M. D. XLIII.

N

ALCESTIS
EVRIPIDIS POE-
TÆ TRAGICI:

Georgio Buchanano Scoto Interprete.

AD ILLUSTRISS. PRINCIPEM D. MARGARItam, Henrici Secundi Francorum Regis sororem, in Alcestin Præfatio.

ALcestin Euripidis ante aliquot annos à me Latinã factam, ad te potissimùm, MARGARITA Principũ optima, cẽsui mittendam. Nec id ea modò causa feci, qua cæteri ferè solent, qui hoc tempore in scribendo aliquid aut possunt, aut audẽt: vt videlicet hac prærogatiua freti, aliorum iudicia minus reformident, & authoritate nominis tui aduersus calumniantium malignitatẽ se tueantur: sed quòd huius Fabulę lectionem tibi multis de causis nõ ingratam fore sperabam. Est enim orationis genere leni, & æquabili, &, quod Euripidis propriũ est, suaui: parricidij verò & veneficij, & reliquorum, quibus aliæ Tragœdię plenę sunt,

ſunt, ſcelerum, nulla prorſus hîc mentio, nullum omnino veſtigium. Contrà verò coniugalis amoris, pietatis, humanitatis, & aliorũ officiorum adeò plena ſunt omnia, vt non verear hanc fabulam comparare cum libris eorũ Philoſophorũ, qui ex profeſſo virtutis præcepta tradiderunt: ac neſcio an etiam præferre debeam. Actio enim rerũ ſermone & ſpiritu penè animata, acrius quàm nuda præcepta ſenſus impellit, & facilius in animos influit & illabit̃: atq; vbi illapſum fuerit, firmius hæret, & quaſi radices agit. Quòd ſi quis minus ad te pertinere credat iſta, quòd eò iã in omni virtutis genere ſis progreſſa, vt nõ ſis alienis exemplis confirmãda, ſed alios tuo exemplo ad virtutem prouoces, fallitur vehemẽter, meo quidem iudicio: præcepta enim officiorũ, & rerum præclarè geſtarum memoria, alijs fortaſsis vtiliora erunt, qui ea legunt, vt velut ad normam ſuos mores eò dirigant: illis certè iucundiſsima eſſe debent, qui iam perfuncti di-

ſcendi, & imitandi laboribus, ſub aliena perſona ſuas laudes citra omnem adulationis ſuſpicionem legunt. Habet enim hæc Fabula, quantum ego quidē iudicare poſſum, earū virtutū, quas in te nō minus libēter agnoſcimus, quàm in Alceſtide legētes miramur, adeò expreſſam imaginem, vt quoties eam in manus ſumas, toties tuarum tibi virtutum in mentem veniat neceſſe eſt: eam cum laudari audies, de tuis moribus iudicium fieri exiſtimes. Eam igitur ad te, vt dixi, mittimus. Quòd ſi audacius à me factum videatur, eam tu potiſſimùm culpam præſtes oportet: quę me tua authoritate ad ſcribendum impuliſti, & in arenam productum omni fauoris genere proſequeris, & foues. Vale.

AD SERENISS. IVXTA' AC eruditiſs. Angliæ Reginã ELIZABETHAM, in Alceſten Epigramma.

Cum tibi flebilibus Pythias ſaltata cothurnis
Non oculos poſſet, non ſatiare animum,
Iamq; iuberetur lacrymoſa Tragœdia rurſus
Ire ſub aſpectum Regia virgo tuum:
(Alpha Robertorum Dudleius ille Robertus,
Teſtis & orator Foxius huius erit)
Te quoq; tam rara motam pietate recordor
A` lacrymis ſiccas non tenuiſſe genas.
Scilicet ille, (nihil quo mitius aſpicit æther)
Tam tibi C O R *placidum tam tibi mite dedit,*
Fas ſit vt, & verè mihi dicere: nullius vnquam
Sanguine Regales te maculaſſe manus.
Si Pythiæ Pietas, Pietas ſi vera Damonis
Vda fuit lacrymis facta potentis Heræ,
Quis, ſimul Alceſten ſubeuntem fata mariti
Viderit, haud mœſtis fletibus ora riget?
Perlege priſcorum numeroſa volumina vatum,
Quicquid & Annales temporis huius habent,
Rarus amor fratres alterna morte redemptos
Compulit alternis ire redire vijs.
Filius à Stygio patrem qui liberet Orco,
Forſan in hiſtorijs vnus & alter erit.
At quæ proijciat charo pro coniuge vitam,
Alite Soligena rarior vſq; fuit.
Quare age quæ raris ſuperas virtutibus annos,
Cui niſi quod rarum, nil placuiſſe ſolet,
Quæ triuiale nihil, ſed pulchra, ſed omnia rara,
Concipis, ô ſexus gloria rara tui:
Quam penes eſt vnam noſtro rariſsimus æuo
C A N D O R, *& integræ Religionis amor,*
Rara Fides, Pietas, Conſtantia, rara Poteſtas,
Quaq; capax rarum nil magis orbis habet,

Per Genium Regina tuum, per & omnia rara,
Per tibi qui tribuit Regia ſceptra, Deum,
Saltet vt hanc tragico tua gens mirè apta cothurno,
(Rarior vt pietas deſinat eſſe) iube.

ΚΆΡ-ὍΛΟΣ, θεῷ ξὺν, ΟὙΘῈΝ—
—Ὅ— ΒΊΟΣ πέλει θεοῖο.

S. Maieſt. T. *perpetua obſeruantiæ volun-*
tate deditiſsimus

Carolus Vthenhouius
F. *Gand.*

ALCESTIDIS ARGVM.

CVm iã moriturus eſſet Admetus, Apollo à Parcis impetrauit ei, vt quantú vixiſſet, alterũ tantum viueret, ſi alium daret, qui pro ſe moreretur. Parens autẽ vterque cùm hãc pro filio moriendi conditionem recuſaſſet, Alceſtis vxor ſe obtulit. Paucos verò poſt dies cùm ea incidiſſet calamitas, Herculés aduenit. Is edoctus ab vno miniſtrorũ, quæ Alceſti contigerant, ad ſepulcrum profectus, Mortem abegit: mulierem veſte obnubit: atque Admetum orat, vt eã à ſe acceptam ſeruet. Affirmabat enim ſibi, cũ lucta viciſſet, eam præmio datã. Id cùm abnueret Admetus, detectam ei, quã lugebat, oſtendit vxorẽ.

PERSONAE.

Apollo.	Seruus.
Thanatos.	Admetus.
Chorus.	Eumelus.
Semichorion.	Hercúles.
Ancilla Alceſt.	Pheres.
Alceſtis.	

EVRI-

EVRIPIDIS POETÆ TRAGICI Alcestis:

CEORGIO BVCHANANO INTERPRETE.

Prologus.

APOLLO.



Tecta chara Regis Admeti, in quibus
Conuictor esse pertuli seruis, Deus.
Huc me coegit, filium Aesculapium
Flāmis trisulcis cùm peremit Iupiter.
Ego impotenti sæuus ira, fulminis
Fabros Cyclopas perimo: pœnas vt darem,
Mortalis esse me viri seruum pater
Voluit. Profectus igitur huc, pecus hospitis
Paui, domumq́; præstiti incolumem hactenus:
Vt sancta sancto quæ Pheretis filio
Pareret: ipsum liberaui è faucibus
Leti imminentis præoccupans Parcas dolo.
Nanq; annuerunt mihi Deæ, vt subducerem
Admetum ab Orco, & funus in præsentia
Aliud, loco eius, Manibus supponerem:
Cumq́; ambijsset ille amicos, omnium
Expertus animos, patris, ac matris senis
Quæ peperit ipsum, nemo præter coniugem

I nuentus vnam est, sponte quæ prior mori
V oluit, nec alma luce postea frui.
E a baiulatur nunc manus inter domi
F rigente sensim corpore: hæc etenim dies
D ecreta fato est, morte vitam vt exuat.
S ed funus hic ne polluat me, desero
C haros penates. Mortuorum sed prope
T hanatos sacerdos aduenit, sub tartara
R apturus illam. Tempori verò huc adest,
H unc præstitutum mortis obseruans diem.

ACTVS PRIMVS.

Thanatos Apollo
Chorus Ancilla.

Than. Ha, ha, ha, ha.
Quid tibi tandem hic Phœbe negotij?
Quid oberras hæc limina propter?
Iterum iniurius es Dijs Stygijs,
Quorum aboles ac tollis honores.
Non sat erat tibi, morti Admeti
Iniecisse moram arte dolosa
Circunuentis Parcis? Iterum
Arcitenentem cur modò dextram
Armatus ades Peliæ obseruans
Natam, quæ pro coniuge charo est
Pollicita mori?

Bono

B ono animo es, æquum, iusq́;, fasq́; poscimus. Apol.
Q uorsum igitur arcu, iusta si petis, est opus? Than.
H æc arma semper ferre consuetum est mihi. Apol.
O pemq́; ferre præter æquum his ædibus? Than.
H ominis amici mihi dolori est calamitas. Apol.
E tiam hoc secundo fraudor abs te funere? Than.
A tqui nec illud abstuli inuito tibi. Apol.
C ur viuit ergo, nec apud inferos agit? Than.
S ponsæ redemptus morte, quam tu nunc petis. Apol.
E t quam silentes mortuam ad Manes agam. Than.
P erge, aufer: etenim nescio an persuasero. Apol.
M i, munus ipsum cuius est occidere? Than.
M inimè, morantes morte sed tollere senes. Apol.
Q uò verba spectent, & voluntas tua, scio. Than.
A lcestidi ergo non licet senio frui. Apol.
N on licet. Honores, Phœbe, nos etiam iuuant. Than.
N il præter animam poteris vnam tollere. Apol.
E x morte iuuenum maius accedet decus. Than.
A t vetula moriens ditius tumulabitur. Apol.
L ex hæc rem habentes, Phœbe, solos respicit. Than.
Q uid? tu Sophistes inscijs nobis eras. Apol.
R es ampla quibus est, redimerent mortis moras. Than.
N on ergo visum est tibi facere gratum hic mihi? Apol.
M inimè. Ipse morum non meorum ignarus es. Than.
Q uos nec deorum, nec hominum vllus diligit. Apol.
H aud cuncta poteris præter æquum consequi. Than.
A t reprimetur ista sæua immanitas Apol.
Q uamlibet acerba. Talis accedet domum

Pheretis

P heretis hoſpes imperante Euryſtheo
T hrace ab niuoſa quadrijugos abducere:
A cceptus hoſpes ille in Admeti domum
V i tollet iſtam fœminam tibi, neq;
H anc à me inibis gratiam: & cum ingratijs
E adem peregeris, odio eſſe haud deſines.
Than. V t multa dicas, nil tamen profeceris.
H æc mulier Orci pallidam viſet domùm.
P roperoq́; ad ipſam, vt enſe delibem comam.
,, D amnatus ille Manibus deis erit,
,, C uicunq; ferrum hoc verticem libauerit.
Chor. Q uæ pro foribus taciturna quies?
C ur conticuit domus Admeti?
Sem. N ullus adeſt qui narret amicus:
A n lugenda eſt filia Peliæ
A lceſtis ceu mortua, an aura
F ruitur ſupera, quæ optima longè
M ihiq́;, & cunctis fœmina viſa eſt
I n coniugem fuiſſe?
Sem. A udit ne quiſquam lacrymarum, aut planctuum
S onum per ædes, flentium aut ſuſpiria?
Sem. M inimè: ſed neq; famulûm quiſquam
A d veſtibulum eſt. Vtinam ô Pæan,
A uxiliator in hac clade adſis,
A tq; ſalutifer aſpiciare.
Sem. N ec tacita domus defuncta eſſet
D omina: nec clàm condita tumulo eſt.
Sem. V nde? haud video quid te recreet.

Támne

Támne probam clam populo Admetus Sem.
Coniugem humaßet funere vili?
Nec ante portas conspicor Sem.
Fontanæ aquæ lauacra, ceu
Ad mortuorum ianuas
Assueuit: haud propter fores
Abscissa coma est, posita in luctu
Quæ funereo cæditur, vsquam
Neq; virginum perstrepit agmen.
Atqui hæc fuerat præscripta dies, Sem.
Qua tenebrosum viseret Orcum.
Quorsum hæc memoras? Sem.
Pupugisti cor, pupugisti animum. Sem.
Cùm bonos Parcæ rapiunt seueræ, Chor.
Qui bonus vixit teneris ab annis,
Iure eos luget. Neq; enim Chimeræ
Arua si remis adeas, vel æstu
Semper arentes Garamantum arenas,
Templáq; Ammonis, miseræ prece vmbras
Faucibus tetri rapies ab Orci.
Mors gradu tristis properat citato:
Nec focos iuxta video Deorum,
Quem sacerdotum precibus fatigem.
Si modò argutis oculis decorus
Filius Phœbi hac frueretur aura,
Illa desertis Stygijs tenebris,
Noctis & portis, Acheronte ab ipso
Viua rediret.

Nanq;

Nanq; defunctos reuocabat Orco,
Antequam telo trifido timendus
Iupiter sæuos iaculatus ignes,
Perculit illum.
Nulla spes vitæ reliqua est: peregit
Cuncta Rex: omnes pecudum cruentis
Stragibus Diuûm cumulantur aræ.
Nec mali est vsquam fuga certa certi.
Sed vda lacrymis quæpiam egreditur domo
Ancilla. Miserum me, quid affert noui?
Veniam meretur luctus hic, si quicquam heris
Accidit acerbum. Scire at illud gestio,
Vita fruatur mulier, an iam perierit.
Anc. Viuam vocare, & mortuam pariter licet.
Chor. Quî poterit idem viuus esse & mortuus?
Anc. Vix ducit ægra spiritum ad thalami fores.
Chor. Vxore quali qualis orbabere miser?
Anc. Iam coniuge orbus dominus istud sentiet.
Chor. Nec spes salutis vlla restat amplius?
Anc. Fati prementis instat illi terminus.
Chor. Ergo apparantur iusta ritè funeri?
Anc. Mundus paratus est, quem humo condat simul.
Chor. Præstante sese coniuge orbatum sciat,
Sub orbe cœli nulla qua melior fuit.
Anc. Quid ni? quis aliter sentiat? quî fœmina
Potuisset vlla facere gloriosius,
Suumq; amorem prodere manifestius
Erga maritum, quàm suam si impenderit

Vitam

V itam illi? at ista cuncta nouit ciuitas.
A t obstupesces, si modò audies, domi
Q uæ perpetrarit. Destinatum cùm diem
A desse sensit, lauta viuo flumine
C orpus decorum, cedrino ex armario
E ffert amictum: compta deinde splendidè
M undo superbo constitit domesticam
V estam ante, tales ora soluens in preces:
O` Dea, ego tristis abeo ad vmbrarum domos: "
T ibi aduoluta te precor nouißimùm "
O rbos tuere liberos: huic coniugem "
C haram, maritum filiæ da splendidum. "
N ec, velut acerbo rapta mater funere est, "
P ræcipitet illos Parca præcox: sed sua in "
P atria beati transigant, ac suauiter "
I ucunda vitæ spatia. Cunctas Regiæ "
A cceßit aras, supplicauit, singulas "
F esta corona myrteæ cinxit comæ:
N ec ora fletu madida, nec suspirio
I ndice doloris, vis nec instantis mali
V ultus decori pristinum carpsit decus.
A t coniugalem vt attigit thalamum, ac torum,
L acrymis profusis soluit ora talibus:
O` lecte, vbi mihi morte quem redimo mea
S oluit pudorem virginalem vir, vale.
N ec te quidem odi, me tametsi extinxeris.
N am dum recuso coniugem, & te prodere,
M orior. At alia te tenebit fœmina

Non

N on castior, fortasse fortunatior.
T um deuoluta exosculatur lectulum,
T otumq; inundat lacrymarum flumine.
V bi tandem abundè fletuum profuderat,
R euoluta strato ex ædibus se proripit.
A c sæpe thalamo egressa rediit denuò,
S upraq; lectum denuò incubuit. Peplos
F lebant tenentes liberi: illa amplexibus
M odò hunc, modò illam comprimebat, scilicet
M oritura iamiam: flebili tota domo
F amuli tumultu fata lugebant heræ.
A t illa dextram singulis dedit, neq;
Q uisquam inter omnes adeò contempus fuit,
Q uem affata non sit mutuis sermonibus.
A tq; ista turbant nunc domum Admeti mala,
Q uæ morte poterat fugere: mortem dum fugit,
N unc sempiternum sibi dolorem accersiit.

Chor. H is ingemiscit igitur Admetus malis,
Q uem fata nupta diuidunt ab optima.

Anc. L uget profectò, coniugem charam tenens
V lnis, rogansq; morte ne se deserat:
A bsurda poscens, quæq; fieri non queant.
T abescit illa, & languidum manus onus
P roiecta inertis, debilem etsi spiritum
V ix fessa ducat, intueri solem auet,
A lmæq; lucis vltimo aspectu frui,
V isura nunquam splendidum posthac iubar.
S ed abeo, teq; adesse nunciauero.

Nec

Nec semper omnes Regibus ciues fauent, "
Nec rebus adsunt turbidis alacriter. "
At tu vetustus amicus es meis heris.
O` Dij, quæ fuga superest cladis, Ch.
Quæ fuga sortis, quæ imminet aulæ?
Exit ne aliquis? lacerem'ne comam?
Pullo'ne tegam corpus amictu?
Certa res est, certa amici: Anc.
Sed precemur numina.
Nam potestas est Deorum,
Visq; longè maxima.
O` Apollo sancte, cladis
Exitum huius inueni.
Affer affer remedium nunc,
Vt prius commentus es.
Nunc ades salutifer:
Pelle fatum lugubre,
Ditis implacabilis
Pectus atrox mitiga.
Heu, heu. ve, ve. Cho.
O` nate, nate Pheretis Admete, ô miser,
Qua clade premeris orbus ista coniuge?
Pateris ferro rem fugiendam,
Et grauiori clade piandam,
Quam si laquei de trabe celsa
Tereti nectas vincula collo.
Non enim charam modò, at
Coniugem charißimam

O Hac

H ac morientem luce videbis.
S ed iam maritus ipſe progreditur domo.
P heræa tellus ingemiſce, illacryma.
O ptima longè fœmina morbo
C ontabeſcens Ditis ad vmbras
S ub caua rapitur viſcera terræ.
» N unquam thalamos plus lætitiæ,
» Q uàm triſtitiæ ferre fatebor.
P artim id veteris caſibus æui
D octus, partim hac clade recenti
R egis, quem longè optima coniux
M orte relinquens non ſinet vnquam
D ehinc vitalem viuere vitam.

ACTVS SECVNDVS.

Alceſtis Admetus
Eumelus Chorus.

Alc. O ' ſol, luxq; diurna,
Cœleſteſq; rotatæ
C eleri turbine nubes.
Ad. M e, teq; miſeros aſpicit duos tua
N il promerentes morte dignum cœlitus.
Alc. O ' tellus, ô atria, thalami
O ' geniales patriæ Iolci.
Ad. S uſtolle teipſam ô miſera, neu me deſeras,
S ed flecte precibus omnium dominos Deos.

Biſcal-

B iscalmam video, video ratem: Alc.
A tq; vmbrarum portitor hærens
C onto accersit me properè Charon.
A ge festina, quæ causa moræ?
P ræsto cætera cuncta: moraris
N os sola, gradu celeri propera.
H eu, nauigationem acerbam istam mihi Ad.
M emoras: malorum quanta nos moles premit.
E ripit, eripit quidam tibi me Alc.
(N on ne vides) ad tecta silentum.
F ronte subnigra lumina Pluto in-
tentat celer huc. Quid facis? aufer.
Q uod miserabilis iter insisto.
A cerbum amicis ac mihi, atq; liberis: Ad.
(Queis luctus hic est proprius) miserrimum.
I am dimittite, dimittite me. Alc.
G enua labant: iam deponite me.
O culos densæ condunt tenebræ,
P ueri, ô pueri, iam vestra parens
N ulla est, nulla est iam vestra parens.
V alete nati. & lumen almum cernite.
H ei mihi: tristis vox ferit aures, Ad.
A c morte mihi durior omni.
N e me desere, ne per superos
T olera: nam te lumine cassa
V iuere acerbum est, Pendet ab vna
T e mea mors, ac vita: ita nobis
T ui amor penitus fixus inhæret.

Alc. A dmete, cernis quo in loco res sint meæ.
Q uæ sentit animus, ante mortem proloqui
V olo. Salutem prætuli meæ tuam.
P er fata lucem cùm liceret cernere,
M orior, fuißet cùm integrum haud pro te mori:
S ed mihi maritum, quem luberet Thessalum
E ligere, sedes & beatas regio
I ncolere luxu: abs te auulsa viuere
R enui orphanis cum liberis: vitæ meæ
M inimè peperci, ætate quamuis integra.
C ùm, qui genuerat te pater, quæq; peperit
T e prodidisset mater, auras linquere,
Q uibus decorum iam per ætatem foret,
E t gloriosa morte vitam filio
S uo redimere, quippe quibus vnicus eras,
N ec spem relictam procreandi liberos
T e functo haberent. Viueremus tu, ac ego.
N ec tu dolores solitudinem tori
V idui, nec orbos educares liberos:
S ed hæc Deorum quando quispiam gradu
H oc ire voluit, sic eant. at gratiam
H anc tu referto, quam peto, haud meritis parem:
" (N am par rependi pretium animæ nullum potest.)
S ed quam ipse iustam dixeris, cùm diligas
A equè, atq; ego istos, si sapis, pueros, meæ
D omini fice isti sint domus: nec liberis
I nduc nouercam fœminam minus probam
P arente, natis quæ manum impingat meis,

Tuisq;

T *uisq;,liuor tristis vbi stimulos ciet.*
V *tiq; caue istud faxis oro.Prioribus*
I *nimica natis cùm nouerca inducitur,* ‟
N *ihilo cruenta vipera est clementior.* ‟
I *n patre magnum filius præsidium habet,*
S *ermone cum quo mutuo poßit frui.*
T *u nata verò quomodo educaberis*
I *n virginali ætate honestè? quam tuo*
N *uptam parenti sors dabit,quæ nec nota*
T *e fœdet vlla,nec tuas ipso in aditu*
F *lorentis æui nuptias contaminet?*
N *eq; elocabit mater vnquam te,neq; in*
D *olore partus aßidens solabitur:*
V *bi nil parentis charitate est suauius.* ‟
M *ori necesse est me: timori nec malum*
C *ras istud,aut in tertium est mensis diem.*
I *amiam inter vmbras luce cassas censeor.*
V *alete,læti viuite:at tu vir potes*
T *e gloriari coniugem nactum optimam,*
E *t vos,parentis optimæ vos filios.*
B *ono animo es: huius polliceri hoc nomine* Ch.
E *go nil verebor,mente ni prorsus caret.*
N *e metue,fient ista,fient.Nam mea* Ad.
V *iua vt fuisti sola,sola mortua*
D *icêre coniux: nec tuo vlla me loco*
S *uum vocabit sponsa Theßalis virum:*
Q *uamuis superbos generis enumeret auos,*
F *ormæ decore quamlibet præfulgeat.*

Sat liberorum est, liceat istis modò frui
Deos precamur, quando te frui haud licet.
Nec finietur luctus hic spatio annuo:
Sed omne in æuum, quod supererit dehinc mihi,
Lugebo. Matrem, quæ peperit, odio ac patrem
Habebo, amici quando verbo, non re erant.
Tibi ego salutem debeo, quæ pro mea
Anima dedisti, quod homini est charißimum.
Nón iure, tali quando priuor coniuge,
Dura inter æuum transigam suspiria?
Nec cœtus, aut æqualium conuiuia
Pòst me iuuabunt: nec coronæ floreæ,
Cantus'ue dulces: nostra nec citharam manus
Dehinc tanget vnquam, nec Libyssæ ad tibiæ
Sonos canoros animus oblectabitur.
Nam cuncta vitæ tu abstulisti gaudia.
Quin & periti dextera artificis tua
In lecto imago ficta collocabitur.
Amplectar illam manibus, illi procidens
Tuum vocabo nomen: vlnis coniugem
Charam tenere non tenens fingam tamen.
Est ea voluptas frigida: at molestiam
Animi leuabit: vmbra me per somnia
Vtinam reuersa oblectet. Etiam lurida
" Sub nocte amicos suaue vultus cernere,
" Quocunq; sese in tempore offerent. Mihi
Si lingua adesset Orphei, & blandum melos
Furuæ canendo pectus vt Proserpinæ,

Duri

Duri vel Orci flecterem, ac reducerem
Te, promptus irem: centiceps nec me canis,
Nec qui silentes portitor Manes vehit,
Prohiberet, almum viua per me denuò
Donec videres lumen. Illic mortua
Nunc præstolare, donec illuc mortuum
Me fata mittent, ac domum ambobus para,
Vnà vt habitemus. Nam sepulchro corpora
Vno imperabo collocari, & conseri
Lateri latus te propter extensum meum:
Nec ipsa mors me poterit abs te auellere,
Quæ sola nobis vsq; fida inuenta sis.
Mœrore digna est. itaq; luctus particeps Ch.
Huius ero, amicum velut amico conuenit.
Ipsi hæc loquentem filij audistis patrem. Alc.
Nullam deinceps spondet aliam coniugem
Sibi fore, nec me luce cassam negliget.
Nunc aßeuero id, atq; perfectum dabo. Ad.
Cape pignus horum de mea pueros manu. Alc.
Accipio charum pignus è chara manu. Ad.
His tu puellis mater esto meo loco. Alc.
Te morte rapta cogit id neceßitas. Ad.
Interea, nati, par fuit cum viuere. Alc.
Quænam futura est vita mihi superstiti? Ad.
Te mitigabit temporis longinquitas. Alc.
Qui perijt autem, in posterum iam fit nihil.
Duc, duc me ad Orcum per Deos tecum simul. Ad.
In morte nostra sat superq; cladis est. Alc.

Ad. S ors sæua, quali viduor abs te coniuge?
Alc. A t at tenebræ iamiam oboriuntur oculis.
Ad. P erij profectò, si modò abs te deseror.
Alc. N il me putaris iam, velut nusquam forem.
Ad. A ttolle vultus, liberos neu deseras.
Alc. N on sponte certè, sed valete, liberi.
Ad. O culos ad illos tolle, tolle, & aspice.
Alc. S um nulla posthac. Ad. Quid agis? ita me deseris?
Alc. V aleto. Ad. Miseris heu pereo miser modis.
Cho. P erijt, nec vsquam est vxor Admeti amplius.
Eum. H ei mihi misero, perijt mater.
O` pater, adijt manes: neq; iam
D ulci fruitur lumine solis.
M e deseruit, me orbum infelix.
L anguidulos cerne oculos, rigidas
C erne manus. ô genitrix audi,
A udi genitrix, ego te appello:
T ua procliuis ad oscula pullus.
Ad. N il audientem, nil videntem affare. ego,
V osq; ambo, sæua clade perculsi sumus.
Eum. P uer, ô genitor, matre orbatus,
S olus deseror. ô me miseris
P ressum ærumnis, teq; sororem,
Q uam premit eadem sors. ô genitor,
I nfrugiferos, infrugiferos
T halamos nactus es: haud tetigisti
H ac cum coniuge claustra senectæ.
P rius erepta est. te pereunte

Geni-

G enitrix, pariter domus euersa est.
A dmete, clades has necesse est perpeti: Chor.
N ec primus es, nec vltimus mortalium
V xore viduatus proba. Atq; id cogita
N os vniuersos esse morti obnoxios.
S cio, nec ista me repentè perculit Ad.
A erumna: pridem præscius malo premor.
S ed efferendæ funus huic parabitur.
A deste, & alternante planctu lugubri
D ate iusta. Diti dicite implacabili
P æana. Sceptris Thessalum quisquis meis
P aret, mulieris huius ergo publicè
L ugere iubeo rasili tonsos coma,
P ulloq́; amictu. Quadrijugosq́; iungite
C urrus: superbam sonipedum è collo iubam
T undete ferro: tibiæ nusquam sonus
S trepat per vrbem, vel suauiloquæ lyræ
B is luna senos donec orbes impleat.
N am neq; cadauer hoc sepeliam charius
V llum, nec in me paribus officijs, neq;
H onoribus eam prosequi dignis queam,
Q uæ me redemit sola morte vicaria.
O Peliæ mihi nata, vale, Chor.
Q uæ Orci habitas sine sole domos.
A t sciat arbiter hoc Stygius
N igricomans Deus, atq; senex
P ortitor exanimem populum
Q ui vehit, & subigit residens

P uppe ratem celerem, mulier
O ptima longè Acherontis aquas,
O ptima fœmina transuehitur
R ate biscalma
P ieridum tu carmen alumnis
D ecantabere diu: montigena
T e testudine septem neruis
R esonante canent, ac sine cithara
M emores repetent carmine laudes,
C um redeuntis circulus anni
M ensem Spartæ Carneium iterat,
L unaq́; pernox verè benigno
P leno pernitet orbe decora.
I nq́; beatis diuitis agri
D ecantabere semper Athenis.
T ales mors tua sufficit hymnos
V atibus. ô reuocare liceret
S i te superas rursus ad auras
E tenebrosis sedibus Orci,
E Cocyti fluctibus, alno
E fluminea, quæ vehit vmbras.
T u fœminei gloria sexus
S ola reperta es, coniugis Orco
Q uæ mutata anima animam eriperes.
T erra leuis tibi sit super ossa.
Q uòd si tedis vir tuus alijs
C aptus erit, mihi iure inuisus,
N atisq́; tuis deget, quando

Nec

Nec tua mater, nec qui genuit
Te senior pater, abdere vellent
Pro nato sua corpora terra,
Nec seruarint, etsi seris
Candida sparsi tempora canis.
At tu primo in flore iuuentæ
Iuuenis redimens fata mariti
Deseris auras. ô mihi talem
Vitæ sociam Dij date sponsam,
Quæ iucundum transigat æuum
Mecum: at vitæ cognita paucis
Est mortalibus ista voluptas.
Ciues Pheræam qui colitis vrbem, an domi est Her.
Admetus? Chor. Intus est Pheretis filius.
At quæ te ad vrbem causa adegit Thessalam,
Hospes Pheræas aduenires vt domos?
Obeo laborem Eurystheo Tirynthio. Her.
Quò tendis? error quis vagabundum trahit? Chor.
Diomedis vt Thracis quadrigas huc agam. Her.
Qui poteris? hospes an vetus forsan tibi est? Chor.
Minimè, nec vnquam Bistonum attigi solum. Her.
Potiare vt illis, ferro oportet cernere. Chor.
Sed nec labores refugere, vt velim, licet. Her.
Cæso redibis Rege vel cæsus cades. Chor.
Discrimen istud non adeo nunc primitus. Her.
Quid promouebis, dominum vbi deuiceris? Chor.
Captos tyranno tradam equos Tirynthio. Her.
Frænare captos alter haud facilis labor. Chor.

An

Her. An fortè flammas euomunt è naribus?
Chor. Auidis virorum membra laniant dentibus.
Her. Memoras ferarum, non equorum pabulum.
Chor. Præsepe tabo sordidum intuebere.
Her. Quo patre iactat educator se editum?
Chòr. Marte, & opulentam frænat armis Thraciam.
Her. Fatis laborem debitum agnosco meis,
Per aspra semper quæ petunt sublimia.
Cum Marte natis optimum fuerat manum
Non contulisse, primitus Lycaone,
Ac deinde Cygno. Tertius porrò hic mihi
Cum domino, equisq; exhauriendus est labor.
Mortalium sed nullus intuebitur
Hostis pauentem dexteram Alcmena satum.
Chor. Atqui ipse dominus huius Admetus soli
Huc tecta liquens dirigit rectà gradum.
Ad. Ioue nate salue, Persei clarum genus.
Her. Admete salue, rector inclyte Thessalûm.
Ad. Vtinam. Beneuolum te mihi certò scio.
Her. Tonsura verò quid sibi hæc vult lugubris?
Ad. Hodie cadauer efferendum est hinc mihi.
Her. Auertat istud sors malum à natis tuis.
Ad. Viuunt creati liberi de me domi.
Her. Maturus annis fortè genitor occidit?
Ad. Et ille superat, atq; mater, Hercules.
Her. An igitur vxor perijt Alcestis tua?
Ad. De vxore nobis sermo sese offert duplex.
Her. Fatóne functam dicis? an superat adhuc?

Obijt,

O bijt,nec obijt:meq; luctu conficit. Ad.
P erplexus es iuxta atq; pridem intelligo. Her.
F ati ne nosti quæ premat necesitas? Ad.
P ollicita mortem nempe pro te occumbere. Her.
S i pepigit istud,quomodo hanc viuam putas? Ad.
L ugendo clades interim ne præueni. Herc.
C ui mors propinqua est,iam perisse illum puto. Ad.
Q ui perijt autem,iure nusquam dixeris.
N on esse,& esse discrepant longißimè. Her.
S ic tibi videtur,Hercules:aliter mihi. Ad.
Q uid ergo luges?quis nam amicorum óccidit? Her.
M ulier.Mulieris mentio facta est modò. Ad.
A liena vobis,an propinqua sanguine? Her.
A liena quanuis iuncta necesitudine. Ad.
Q uinam ergo vitam finijt domi tuæ? Her.
H ic educata est orba patre mortuo. Ad.
V tinam dolore comperissem liberum. Her.
E xpecto quorsum tendat ista oratio. Ad.
A lterius hospes hospitis domum petam. Her.
B ona verba.facinus istud auertat Deus. Ad.
I ngrata lugenti hospitis præsentia est. Her.
I ngredere tu ædes,mortui sint mortui. Ad.
H ospiti epulari turpe funesta in domo. Her.
D ucam seorsum te hospitum ad cœnacula. Ad.
S ine abire,inibis gratiam à me maximam. Her.
M inimè.Nec alios hospes accedes lares. Ad.
H eus tu,præito,reclude posticum ædium.
I ube atrienses apparare largiter

Hospi-

H ospitibus epulas. Limen autem claudite,
Q uod medium ab aula separat cœnacula.
N on est decorum, luctus vt conuiuio
O bstrepat, & aures hospitum offendat dolor.
Chor. A dmete, quid agis? tanta cùm te calamitas
P remat, recipies hospites? ita desipis?
Ad. A tqui domo illum si expulissem, & mœnibus
H ospitij egentem, an id probares? neutiquam.
M inus hospitalis, non minus miser forem.
A d calamitates illud etiam accederet,
V t hospitum hostis mea vocaretur domus.
N unc hospitem illum habebo rursus optimum,
S iticulosum quando ad Argos venero.
Chor. C ur ergo, amicus siquidem is est, vti tu ais,
H unc esse passus nescium ærumnæ es tuæ?
Ad. S iquidem ille nostrum scisset infortunium,
N unquam subißet atrium domus meæ.
A t facere stultè me ille forsan rebitur,
N ec hæc probabit. Mea sed aula haud hospites
H uc ventitantes scit repellere turpiter.
Chor. O` viri hospita liberi
S emper atria, quæ incola
S e dignatus Apollo
E st Phœbus citharæ sciens.
N ec Deum puduit domus
H uius lanigeros greges
C uruis pascere vallibus:
E t per prata virentia

Pasto-

P astoralia carmina
B landa pangere fistula.
Q uin & versiculorum
L yncum turba suauibus
E mollita modis, gregi
I unxit intrepido latus.
A rmentumq; leonum
V enit fului comantum
E x Othry nemoroso.
A d tuæ strepitum lyræ
A pplausit maculosus
P ictorum hinnuleum chorus,
P ernici pede deserens
A bietum alticomum nemus,
D octo carmine concitus.
E rgo tu pecoris domum
F ertilissimam colis
L impidum propter lacum
B æbiæ, arui & iugera:
E t patentibus soli
T erminos conuallibus,
Q ua iubar solis cadens
N ube currus induit,
A d molossos pertinet:
E t freta Aegei maris,
A estuosa & littora
C elsum ad vsq; Pelion.
N unc apertis ædibus

Humidis

H umidis fletu genis
H oſpitem recipit tamen,
C oniugis modò mortuæ
F lens adhuc funus recens.
N am pudori pronus eſt
C andor ingenuus, neq;
V lla pars ſapientiæ
A beſt, cùm probitas adeſt.
E t mentem bona ſpes habet,
S ucceſſura homini pio
O mnia rectè.

Ad. C iues Pheræi qui hìc adeſtis ſedulò,
F amuli cadauer ritè compoſitum ad rogum
S ublimè portant, ac ſepulchri ad aggerem.
A t vos ſupremam prodeuntem iam viam
D e more defunctam vltimùm alloquamini.

Chor. A tqui ſenili cerno genitorem gradu
H uc ſe ferentem, coniugi & mundum tuæ
P ortare famulos Manibus donaria.

Her. M œroris adſum particeps, fili, tui.
P roba & pudica ſanè es orbus coniuge.
S ed iſta quamuis dura perpeßu, tamen
F eras neceße eſt. Accipe hunc mundum, ac humi
V nà reconde. Honore corpus proſequi
I llius æquum eſt, quæ prior pro te mori
S uſtinuit: ac ne ſobolis orbus degerem
T riſtem ſenectam, & luctuoſam te ſine
P erfecit vna: cæteriſq; fœminis

T am illustre facinus ausa peperit gloriam.
O' sospitatrix filij, quæ mortuos
N os suscitasti, iam vale. Ac Manes tibi
P lacidos, bonosq; sub Acheronte imo precor.
T ales hominibus vtiles tedas reor,
A ut vincla nunquam nosse coniugalia.
N ec has rogatu nostro ad inferias ades. Ad.
P ræsens amicûm nec mihi in numero es, neq;
H unc inductur illa mundum, aut indiga
R crum tuarum sepelietur. Tum æquius
D olore fuerat, fata cum me tollerent.
A n qui stetisti tum eminus, quiq́; alteram
S enex puellam siueris pro te mori,
I llacrymabis funeri huic? Nec mihi pater
V erus fuisti, nec peperit ea me parens,
F alsò parentem quæ meam se dictitat:
S ed stirpe seruili editum in lucem tua
M e admouit vxor vberi furtim suo.
E t tu quis esses prodidit periculum.
N am nec patrem te existimo verè meum:
A ut si es, pauore nemo te mortalium
S uperat merti, qui supremo in limine
V itæ, senecta languidus, nec volueris,
N ec fueris ausus emori pro filio.
S ed has mulierem hanc exteram in se sumere
P artes tulistis: quam genitricem, & patrem
S olam vocare iure possum æquissimo.
A t te facinoris tam decori gloria

I ngens manebat, filium superstitem
S i morte genitor liberauisses tua:
C ùm posset æui reliquus haud longus tibi
R estare cursus. Quod supererat temporis,
M ecum ista viuo viua consenesceret,
T edis nec orbus macerarer luctibus.
A t tu beata vita quicquid parturit
F ructus, tulisti: sceptra qui florentibus
T enueris annis: meq́; regni filium
H æredem habueris, orbus vt ne liberis
V acuam alienis dißipandam linqueres
D omum. Nec illud dixeris, te à filio
P rodi, senectam quòd tuam contempserit,
V t qui reueritus semper vnus maximè
T e sim. Rependis gratiam hanc contrà mihi
C um matre genitor. sed nec alios liberos
D e hinc gignere potes, qui senectutem tuam
A lant, & ornent. Neq; enim humabere hac manu.
E tenim quod ad te pertinet, sum mortuus
I amdudum. At alium si salutis vindicem
S um nactus, atq; intueor eius munere
H oc lumen almum, me illius natum puto,
V icesq́; senij huic educandi debeo.
V anè profectò postulant senes mori,
E t de senecta longiore expostulant.
S i mors propinquet, nemo iam cupit mori,
N emo senectam queritur amplius grauem.
Chor. A bsq; his malorum iam sat est. Quiescite.

Nec

Nec tu paternam nate bilem exaspera.
O nate, probris quem lacessis arrogans? Pher.
Venalium'ne de grege, aut Lydum, aut Phryga,
An Thessalum me Thessalo nescis patre,
Planeq; stirpe generis ingenui satum?
Nimis insolenter contumeliosus es:
Et verba iuuenis in patrem petulantia
Iactas. At isthic haud procax gratis eris.
Dominus familiæ te edidi vt fores meæ:
Deinde educaui, non prior vt extinguerer.
Nec hanc habemus traditam à maioribus
Legem, vt parentes morte seruent liberos.
Nec Graius hic mos. Siue felix, seu miser,
Tibi natus vni es. Cuncta ego officia patris
Tibi cumulatè præstiti: latè imperas
Populis, & agri fusa latè iugera,
Quæ mihi reliquit genitor, hæc linquam tibi.
Qua fraudo te in re? quámue facio iniuriam?
Ne morere pro alio, nec ego pro te. Cernere
Tibi dulce lucem est, dulce patri itidem puta.
Nam reputo mecum, quot manendum secula
Sit inter vmbras, quàm breuibus angustijs
Sint clausa vitæ spatia, sed blandula tamen.
At tu recusas impudenter emori,
Vltraq; fato destinatum terminum
Vxore cæsa viuis: ac redarguis
Dein me pauoris, fœmina, timidissime,
Inferior ipse, quæ tuam iuuenis vicem

F ormose functa perijt. Atenim callidè
R ationem inisti, qua perennè viueres,
S i vt quamq; nactus coniugem sis, ne mori
P ro te recuset, persuadere poteris.
D einde ipse timidus impetis conuitijs,
Q ui facere renuant hæc, amicos. heus tace:
T ecumq; reputa, vita ceu dulcis tibi est,
D ulcem esse cunctis. Si ingeras opprobria
H aud falsa rursum, & plura forsan audies.
Ch. I am fit malorum superiorum accessio.
S enex, omitte exasperare filium.
Ad. C eu me locuto cuncta prome. veritas
S i audita te vrit, abstinendum iniuria.
Pher. P ro te fuisset grauius erratum mori.
Ad. N il ergo refert iuuenis obeat, an senex?
Phe. V na anima oportet, non duabus viuere.
Ad. Q uin viue, secla donec anteas Iouis.
Phe. Sic immerentes hem parentes deuoues.
Ad. T e nempe vitæ longioris amor tenet.
Phe. A t pro te opinor hoc cadauer efferunt.
Ad. Q uod te pauoris arguit timidissime.
Phe. P ro me perisse hanc haud opinor dixeris.
Ad. V tinam aliquando tibi opus opera sit mea.
Phe. S æpè esto coniux, efferas vt plurimas.
Ad. T ibi hoc pudendum, qui recusaris mori.
Phe. S uaue lumen hoc, suaue cernere.
Ad. I gnauus animi es, nec viri quicquam tenes.
Phe. N on funus effers lætus, ac ridens senis.

Vtcun-

V tcunq; moriere, moriere inglorius. Ad.
A udire malè post fata non curæ est mihi. Phe.
O` he, senectus plena vt impudentiæ est. Ad.
H aud impudens hæc, illa sed stolida fuit. Phe.
A bi, atq; humare me cadauer hoc sine. Ad.
A beo. ipse humabis, quippe qui ipse occideris. Phe.
A t tu propinquis coniugis pœnas dabis.
P osthac Acastum nemo censebit virum,
G ermanæ inultam si ferat tacitus necem.
N unc apage tuq́;, & vxor orbi liberum Ad.
V iuente nato: digni vt estis, carpite
M iseram senectam, nec eadem mecum domus
V os capiet. Ite. Patrium præconio
S iquidem liceret tibi larem interdicere,
N ihil moratus hunc tibi interdicerem.
A t nos, ferendum quippe præsens est malum,
E amus ignem mortuæ supponere.
F ortibus ô miserabilis ausis, Cho.
O` generosa, atq; optima longè
S alue. Sit tibi bonus, ac placidus
A thlantiades, Plutoq́; facilis
T e suscipiat. Si qua bonorum
I llinc præmia, cum Persephone
V itæ fructus carpe bene actæ.
P lerosq; memini plurimarum gentium, Ser.
D omoq́;, & epulis hic ab Admeto hospites
O lim receptos: hospite isto at nequior
S e in hos penates nullus vnquam contulit.

 Funesta

F unesta primùm tecta non exhorruit
I ntrare, luctu squalidum cernens herum.
D ein fortuitos apparatus insolens
N on consulebat clade perspecta boni.
S i quid deesset immodestè clamitans
I d flagitabat. Cymbium & manibus capax
T ollens meraco ingurgitat se sanguine
N igræ parentis, vsq; dum affusa vndiq;
C alfecit artus flamma vino exæstuans.
D einde impeditus fronde myrthea comam
A greste latrat: dissonos licet sonos
A udire pariter. Ille securus animi
I n clade nostra cantitat. Nos autem heram
L acrymis profusis flemus optimam. haud tamen
S pectante, fletu commadescimus hospite,
Q uando ita voluntas fert herilis. interim
E go peregrinum hunc excipio dapibus domi
F urem scelestum, & impium sicarium.
E ffertur illa, funeri nec prodij
C omes, manúue nuda planxi pectora,
D ominámue luxu. quæ parens fuerat mihi,
S eruisq; cunctis, quæ mariti mollibus
F rangebat iras vocibus, mille & malis
N os eruebat. Itaq; iure hunc odero,
Q ui tecta subijt in calamitate hospitem.
Her. H' eus tu, seuerum cur tuere, ac tetricum?
H aud esse toruo erga hospites vultu decet
S eruum, sed animo excipere læto comiter.

T u domino amicum suscipis supercili
S eueritate tristi, & ore turbido,
I ntentus animum cladis in luctum exteræ.
A ccede propius huc, vti sapientior
R eddare. Nosti lege qua mortalia
N atura genuit? haud opinor. vnde enim
I d nosse posses seruus? at de me accipe.
M ori necesse est omnibus mortalibus.
N ec vllus hominum nouit, an sit crastinæ
V isurus ortum lucis. etenim lubrica
F ortuna cæcas temperat rerum vices,
Q uæ nec doceri, aut arte comprendi queant.
H æc doctus ex me, genium age exhilara. Bibe.
Q uodcunq; vitæ singuli afferunt dies,
I d crede nostrum, sortis esse cætera.
P ræterea hominibus cælitum suauißimam
L ongè Dionem cole: benigna etenim dea est.
H æc alia omitte, & mihi monenti obtempera:
S iquidem videntur vera, quæ tibi consulo.
A tq; adeò opinor, exolutus his malis,
C omamq; vinctus flore nobiscum bibes
I stius inanis liber ægritudinis.
N ec dubito, quin si proluat semel cyphus
I nuersus hic te, ex vultuoso & tetrico
E ffinget alium. Quando mortales sumus,
E x vsu opinor sapere nos mortalia.
N am tetricorum & tristium ærumna potius
Q uàm vita, vita me putanda est iudice.

Ser. Haec ſcimus. Atqui familiæ præſens ſtatus
Nihil habet aptum riſui, & conuiuijs.
Her. Mulieris obitum ne exteræ ſupra modum
Defle, familiæ quando ſalui ſunt heri.
Ser. Salui? fugit te quanta clades nos premit.
Her. Niſi fortè dominus me fefellerit tuus.
Ser. Nimis ille, nimis eſt hoſpitalis omnibus.
Her. Minimè: nec ad eum funus externum attinet.
Ser. Nimis hoc profectò familiare funus eſt.
Her. Fors me malorum quippiam celauerit.
Ser. Perge eſſe lætus, nos heri tangant mala.
Her. Hic ſermo luctus exteræ haud exordium eſt.
Ser. Nec tibi epulanti mœſtitudinem afferam.
Her. Iniuriam tuli haud ferendam ab hoſpite.
Ser. Alieno adiſti hanc hoſpes aulam in tempore.
Nam luctuoſa cuncta cernis, raſile
Caput, & amictum lugubrem. Herc. Nũ liberûm
Deceſſit aliquis, an grauis ſenio pater?
Ser. Extincta coniux hoſpes Admeti occidit.
Her. Quid ais? deinde me recepit hoſpitem?
Ser. Suis pudebat te repellere ab ædibus.
Her. O' quali es orbus, ô miſerrime, coniuge.
Ser. Quæ clade eadem pariter omnes perdidit.
Her. Quin ſentiebam id vda cernens lumina,
Triſtemq; vultum, raſilemq; verticem.
Tamen exterum illi funus eſſe credidi:
Ac vi coactus hanc ſubiui ianuam:
Atq; in ſtatu iſto turbido rerum bibi,

Et

E t hoſpitalis hominis aſſedi in domo
C onuiua demens flore vinctus tempora.
S ed culpa, qui non indicaueris, tua eſt,
A erumna tanta cùm familiæ incumberet:
S ed vbi nam humatur? qua profectus reperiam?
L ariſſæ ad alta nobilis qua mœnia Ser.
R ectà itur, vrbis ante portam protinus
T umulum videbis artifice factum manu.
O anime, corq́; exercitum moleſtijs, Her.
O ſtende qualem Electryonis filia
A lcmena ſobolem procrearit te Ioui.
S ubtrahere fato fœminam extinctam eſt opus,
S uosq́; rurſus ad penates ducere
A lceſtin, Admeto vt rependam gratiam.
I bo, & nigrantis ſqualido ferrugine
S tolæ tyranno Manium inſidias dabo.
A tq; illum opinor deprehendam ad aggerem
T umuli bibentem victimarum ſanguinem.
Q uòd ſi è latebris clanculum irruens cum
P rendam, & lacertis ſtrinxero circundatis,
V tcunq; latera verſet, eripiet mihi
H unc nemo, donec coniugem Admeti auferam.
S in aucupantem hæc præda me fefellerit,
N ec ad cruoris adſit hauſtus, inferum
R eges adibo, & regna ſolis neſcia,
P oſcamq́;, necnon impetraturum reor,
A lceſtin, vt eam coniugi tradam in manum,
Q ui me recepit hoſpitem, nec reppulit

Quanuis acerbo ſauciatus vulnere,
Animo ſed alto id me reueritus abdidit.
Quis Theßalûm eſt in hoſpites benignior,
Graium'ue? certè ſordido non dixerit,
Generoſus animi cum ſit, beneficium datum.

Ad. Heu mœſtum aditum, triſtem aſpectum
Vidui tecti. Quò feror? vbi ſum?
Quid loquar? aut quid taceam?
Qui peream? ô me miſero fato
Genitum. functos morte beatos
Duco. his gratulor. hos amo. cum illis
Degere dehinc libet. haud libet auras
Cernere ſuperas. haud iuuat almæ
Dehinc veſtigia figere terræ.
Obſide tali deſpoliatum
Mors me ſæuo pignerat Orco.

Ch. Subi, ſubi tenebras
Tecti: ſubi. tuliſti
Digna lacrymis: tuliſti
Calamitatem lugubrem.
Conditos nil lacrymæ
Coniugis manes iuuant.

Ad. Hoc, hoc verbo vulnera renouas.
Quæ magis homini eſt aſpra calamitas,
Quàm ſpoliari coniuge fida?
Vtinam tedæ, thalamiq; exors
Socia haud vlli tecta habitaſſem
Lectos vacuos coniuge, & orbam

Sobolis

Sobolis vitam duco beatam.
Vnam in vitam impendere curas
Est moderati ſarcina luctus:
Affligentia pignora morbo, &
Deformati funere thalami
Intolerandi eſt cumulus luctus:
Præſertim, cùm coniugis orbam &
Sobolis liceat ducere vitam.
Sors, ſors ineluctabilis Ch.
Premit, nec vllus lacrymis
Modus eſt. Acerba fers, tamen
Perfer. etenim nec coniuge
Tu primus orbus es. alios
Mortalium alia calamitas
Dolore ſæuo conficit.
Longi ô luctus, ô amicorum Ad.
Deſideria luce carentum.
Cur vetuiſti me præcipitem
Triſte ſepulchri mittere in antrum,
Et cum coniuge fida pariter
Tumuli vnius mole recondi?
Accepiſſet geminas pro vna
Animas Pluto, transq́; fretaſſent
Duo fidiſsima pectora pariter
Stygias vndas.
Mihi vir quidam ſanguine iunctus Ch.
Puerum amiſit lacrymis dignum,
Solam generis ſpem, moderatè

Tamen

T amem ærumnam hanc pertulit, etsi
O rbus sobolis vertice cano,
E t præcipiti languidus æuo.
Ad. O mutati facies tecti.
Q uînam ingrediar, quînam habitabo
V ersis fatis? hei mihi quantum
D istat ab illa domus hæc, olim
Q uam Peliacæ lumine tedæ,
E t festis vlulatam hymenæis
I ngrediebar dexteræ inhærens
C haræ coniugis, ac multisono
C onuiuarum strepitu à tergo,
Q ui beatos dicerent
M eq́; & illam mortuam.
Q uippe vtrosq; nobiles,
E t vtrinq; ex optimis
E ditos maioribus
C oniugali vinculo
C opulatos. At modò
N uptialis carminis
L uctus occupat locum:
P roq́; candidis peplis
P ulla vestis ad toros
M e reducit cœlibes.
Ch. M ali inexperto tibi fortunæ
D olor hic cursum rupit amicæ:
A t seruasti vitam animamq́;:
M ortua coniux liquit amantem:

Quæ

Q uæ noua mentem turbat imago?
M ultos coniuge mors orbauit,
S oluens socij fœdera lecti.
E tsi aliter alijs visum, amici, coniugis Ad.
F eliciorem duco, quàm sortem meam:
E repta nanq; plurimis molestijs,
C um laude summa triste nil dehinc sentiet.
A t ego, perisse quem fuerat æquum, meo
F ato superstes vitam agam illætabilem:
Q uod adeò iam nunc sentio. Nam quî domum
S ubire potero hanc? quem alloquar? cuius fruar
S ermone? mentem quo domi oblectem? gradum
Q uò vertam? vbiq; solitudo in ædibus
M œrore mentem conficit, cùm coniugis
V acuum cubile cerno, cùm vacuam throni
S edem relictam, & squalidum situ solum.
C ircaq; genua procidentes liberi
D eflent parentem lacrymantes. serui hera
S ese queruntur destitutes optima.
A tq; is domi rerum est status mihi. At foris
M e Thessalorum nuptiæ, me fœminis
C œtus frequentes enecabunt, different
D olore miserum vxoris æquales meæ:
Q uas quo intuebor ore? Tum si quis malè
A nimatus in me est, soluet ora talibus:
E n quem cupido fœda vitæ detinet,
M etusq; mortis, qui redemit coniugis
S e morte ab Orco ignauus: ac vir postea

Sibi

S ibi videtur. Tum parentes proprios
I nfensus odit, ipse non ausus mori.
H ic rumor inter improbos me differet.
E cquem ergo vita mihi voluptatem feret,
Q uem fama lacerat, & calamitas obruit?
Ch. E go ignota profano
P er compendia vulgo
M usarum comes iui:
E t sermonibus aurem
D octis applicui meam
N on rarò. At remedij genus
N ondum vllum reperi, cui
C edat dura necessitas.
H anc contra medicamina
D octi nec dedit Orphei
T hressis in tabulis manus:
N ec cum Asclepiadis pater
P hœbus pharmaca proderet,
V t mortalibus ægris
M orbo membra leuarent,
H anc aduersus opem tulit.
S olas huius ad aras
N on est ire Deæ, neq;
A d simulacra, nec vlla
E st placabilis hostia.
O' diua, ô, violentior
A d me ne solito veni.
N am tu cōsilijs comes

Quic-

Q uicquid Iuppiter annuit,
C ertum ducis ad exitum:
T u dextra facili domas
D uri robora ferri.
N ec fastum tibi mentis
I nfrænem cohibet pudor.
E t dextræ infragili suæ
V inclo te implicuit Dea.
P erfer. Nam neq; fato
F unctos æthereas trahes
F lendo rursus ad auras.
M ors etiam notha pignora
D iuum falce metit sua,
D um nobiscum erat omnibus
C hara, & mortua chara erit.
T u lecti tibi comparem
S upra omnes generosam es
S ortitus. Neq; coniugis
B ustum vllus numeret tuæ
I nter funereas specus,
A ggere quæ tumuli premunt
V ita functa cadauera.
D iuinis sed honoribus
A equet religio hospitum
M anes. Atq; aliquis via
F lectens dixerit olim:
H æc moriendo viri sui
V itam sponte redemit.

Nunc

N unc auget numerum Deûm.
S alue, ô sancta. ope sospita
N os præsens. Ita votis
I llam, atq; omnibus bonis
L ongum posteritas colet.
S ed visa fallunt me, nisi Alcmena satus
A dmete ad ædes dirigit greßum tuas.
Her. A dmete amicos liberè eloqui decet,
N ec in recessu pectoris silentio
A bdere, quod ægre est. amici haberes me vt loco,
D ignus videbar, clade cùm in tua afforem:
A t tu propinquo coniugis iam funere
N on indicato me recepisti hospitem,
C eu cura premeret te doloris exteri.
A t ego coronis tempora euinctus deis
L ibaui apud te in lugubri lætus domo.
I rascor equidem, irascor hac iniuria
A ffectus abs te, sed tuis iam luctibus
A cerbitatis nolo quicquam apponere.
C ausamq;, cur huc sum reuersus, denuò
N arrabo. mulierem interim hanc serua mihi,
D um Rege cæso Bistonum huc redux agam
T hraces quadrijugos. Sin quod absit accidat,
(N am me vt reducant sospitem precor Deos)
H anc dono, dicoq; familiæ ancillam tuæ,
Q uæ parta nobis est labore maximo.
P roposita nanq; publico in certamine
S udore digna deprehendi præmia,

Vnde

V nde hanc reporto victor. è certamine
L euiore munus erant equi victoribus.
M aiora sed qui vicerant, vt cæstibus,
L ucta'ue fortes dona referebant boum
A rmenta. post hæc vltimo fœmina loco.
C umq; incidissem fortè, turpe sum ratus
C um laude pariter præmium contemnere.
S ed vt antè dixi, fœminam curæ tuæ
C ommendo, quam non prædo per vim sustuli,
S ed comparatam maximis laboribus
A dduco. Fors factum ipse pòst laudaueris.
Q uòd clam te habuerim calamitatem coniugis, Ad
N e interpretere contumeliæ, Hercules,
I d ergo factum, aut quòd sinistrè sentiam
D e te. Dolori sed dolorem adieceras,
A lterius ædes si subisses hospitis.
N am flere clades sat mihi fuerat meas.
S ed hanc puellam, si pote, obsecro iube
A sseruet alius Thessalûm, quem non pari
S ors calamitate perculit. Multi hospites
T ibi sunt Pheræi. Memoriam cladis meæ
R enouare omitte. non potero siccis domi
O culis tueri hanc. vulneri vulnus nouum
N e appone: satis est cladium, quod nunc premit.
Q ua parte poterit ædium seruarier
C astè puella? vestis adolescentulam,
C ultusq; loquitur. an virum in commercio?
Q ui poterit inter assiduo iuuenes agens

Q Castam

C *astam tueri se? nec in promptu* Hercules
R *egere iuuentam est: ac mihi cura est tui.*
F *unctæ'ne fato coniugis thalamo hanc alam?*
E *t quî in cubili collocabo hanc illius?*
O *ffensionem hic metuo duplicem, & ciuium*
N *e criminetur quispiam me, & optimè*
D *e me merentis proditorem coniugis*
D *icat puellæ alterius amplexu frui.*
S *ponsamq́; vereor mortuam, cuius mihi*
E *sse sacrosanctam memoriam meritò decet.*
M *e multa circunspicere par.* O` *fœmina*
Q *uæcunq; tandem es, es profectò* Alcestidi
M *odo, & statura corporis simillima.*
M *e miserum. ab oculis per* Deos *procul meis*
A *page mulierem hanc, ne'ue perdas perditum.*
N *anq; intueri coniugem videor meam,*
C *um intueor istam. pectus horror obsidet,*
F *ontes ab oculis lacrymarum profluunt.*
N *unc calamitatis huius, heu miser, miser,*
A *cerbitatem luctuosam sentio.*
Ch. L *audare sortem non equidem possum tuam.*
T *amen ferendum, quisquis es, quod dant* Dei.
Her. S *i mihi potestas esset hæc diuinitus*
C *oncessa, ab vmbris coniugem vt reducerem,*
E *amq́; possem tibi referre gratiam.*
Ad. S *cio referres promptus. at cuinam hoc datum?*
N *ec luce cassis luce pòst frui licet.*
Her. P *erfer modestè, ne'ue te afflictes nimis.*

Lenire

L enire verbis facile, quod durum est pati. Ad.
Q uid promouebis, perpetim si lugeas? Her.
S cio. dolendi sed voluptas me huc rapit. Ad.
E xtinctam amare lacrymandi occasio est. Her.
E tiam miserius quàm loquor me perdidit. Ad.
V xore es orbus optima. quis id neget? Her.
N ullo vt fruatur pectus hoc pòst gaudio. Ad.
T empus leuabit, quod recens nunc est malum. Her.
T empus profectò, si mori tempus vocas. Ad.
T e mitigabit vxor, ac tedæ nouæ. Her.
A u, quid ais? ex te haud istud expectaueram. Ad.
E xpers iugalis exiges vitam tori? Her.
N ulla accubabit mulier vnquam huic pectori. Ad.
P rodesse reris posse te sic mortuæ? Her.
V bi, vbi sit, illam honore semper prosequar. Ad.
H æc laudo sanè, laudo. sed stultè facis. Her.
S ponsum nec vlla me vocabit fœmina. Ad.
Q uin coniugem erga laudo nimirum fidem. Her.
S i negligam etiam mortuam, peream malè. Ad.
N unc recipe tecto hanc stirpe nobili satam. Her.
P er qui creauit te Iouem istud deprecor. Ad.
H oc si recusas, perperam tibi consulis. Her.
H oc ni recuso, macerabor luctibus. Ad.
O bsequere, & huius non pigebit gratiæ. Her.
V tinam haud tulisses præmium hoc certaminis. Ad.
E t mecum es huius particeps victoriæ. Her.
P robè es locutus, sed recedat fœmina. Ad.
S iquidem est necesse: at num necesse sit, vide. Her.

Ad. N *ecesse: nisi ob id fortè tu succenseas.*
Her. N *on temerè id à te tantoperè contenderem.*
Ad. A *ge, vince: quanuis grata minimè postules.*
Her. *Factum probabis postea: pare modò.*
Ad. S *iquidem hanc subire tecta oportet, ducite.*
Herc. S *eruis mulierem hanc neutiquam commisero.*
Ad. Q *uin ipse in ædes ducito illam si lubet.*
Her. T *ibi profectò mulierem tradam in manum.*
Ad. E *go haud tetigero. tecta subeunti patent.*
Her. T *uæ stat vni dexteræ hanc concredere.*
Ad. C *oactus istud, atq; nolens perpetro.*
Her. P *rotende promptus dexteram, tange hospitam.*
Ad. P *rotendo, veluti Gorgonis sectum ad caput.*
Her. T *enes'ne?* Ad. *sanè teneo.* Her. *serua iam,* & Ioue
N *atum fatebere generosum olim hospitem.*
I *psam intuere, similis vxori an tuæ*
S *it, ac beatus luctum iam desine.*
Ad. O' *Dij boni. ô miraculum inopinum, ac nouum,*
O *culis profectò coniugem intueor meam:*
A *ut me deorum quispiam ludibrio*
R *ecreat, inani corda lactans gaudio.*
Her. N *on ita: sed ipsam coniugem cernis tuam.*
Ad. N *e larua ab vmbris missa sit, circunspice.*
Her. C *aue esse credas hospitem tuum Magum.*
Ad. S *ed quam sepelij, coniugem intueor meam?*
Her. S *ic. At fidem tu,* & *iure sorti non habes.*
Ad. T *ango, alloquorq; coniugem vt viuam meam?*
Her. A *lloquere. votis quicquid optabas habes.*

O' cor-

Ò corpus, ocule ô coniugis charißimæ, Ad.
Spem præter habeo te, videre postea
Quã non putarã posse me? Her. *Ne dubita: habes.*
Modò ne Deorum quispiam inuideat tibi.
Ò clara soboles maximi Iouis, vtinam Ad.
Beatus æuum transigas, ac sospitem
Te seruet idem, qui creauit, Iuppiter.
Nam me iacentem solus erexti. è Styge
Quó nam reduxti ad lumen hanc rursus modò?
Depræliatus cum tyranno Manium. Her.
Vbi nactus illum prælio congreßus es? Ad.
Propter sepulcri dexteram inieci aggerem. Her.
Quid muta tandem perseuerat fœmina? Ad.
Nondum tibi fas eius alloquio frui, Her.
Dijs antequàm sese expiarit Manibus,
Terrisq; lucem tertia ostendet dies.
Duc coniugem intrò iam tuam, ac in posterum
Admete, iusti cultor, atq; in hospites
Pius esse persta. Vale. Ego Stheneli filio
Abeo imperatum mihi laborem vt exequar.
Mane, ac penates, & dapes adi sacras. Ad.
Id fiet aliàs. nunc celeritate est opus. Her.
Dij rem secundent, teq; reddant sospitem. Ad.
Edico cunctis ciuibus regni mei,
Ob res secundas vt choris indulgeant.
Et victimarum sanguine aras imbuant.
Mutata vitæ in melius est facies modò.
Felicitatem nec tego ingratus meam.


Chor. *F ortuna vices lubrica versat*
V arias docilis sumere formas.
I nopina Dei plurima peragunt.
N on succedunt quæ fore speras:
Q uæ fore nemo posse putaret,
S æpe expediunt numina. Qualem
H æc sortita est fabula finem.

FINIS.

IEPHTHES SIVE VOTVM TRAGOEDIA,

AVTHORE GEORgio Buchanano Scoto.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM CAROLVM COSSæum Franciæ Marescalum, ac apud Taurinos Regis Francorum præfectum, in Iephthen Tragœdiam Præfatio.



Bſurdum fortaſſe rem facere quibuſdam videbor, qui ad te hominem ab ineunte ætate militaribus imbutum ſtudijs, & inter arma tubasquè ſemper verſatum, munuſculum hoc literarium mittam. Sed hi ferè hoc abſurdum exiſtimaturi ſunt, qui haud harum rerum inter ſe cõſenſionẽ non ſatis animaduertunt, aut tuum ingenium parum habent perſpectum. Neque enim inter rei militaris, & literarum ſtudium ea eſt, quam plerique falsò putant, diſcordia: ſed ſumma potius concordia, & occulta quædam naturæ cõſpiratio. Quanquam enim ſuperioribus aliquot ſeculis ſiue homi-

hominũ inertia, siue falsa quadam persuasione diuisæ fuerunt hæ professiones, nunquam tamen peruersa imperitorum opinio tãtum potuit, vt ipsæ inter se veterem illam, & naturalem, vt ita loquar, cognationem obliuiscerentur. Omnes enim omnium ætatum Imperatores, qui res præclaras gesserunt, aut ipsi doctissimi fuerũt, aut viros doctrina illustres summo amore prosecuti sunt. Neque profectò fieri potest, vt magnus & excelsus animus, qui neglectis rebus caducis, æternitatis memoriam ante oculos habet propositã, non etiam memoriæ & antiquitatis custodes literas amet. Neque alij ferè sunt, qui literas oderũt, & contẽnunt, quàm qui vita per ignauiam & flagitia turpiter acta, cõscientiam posteritatis reformidant: vt non minus verè quàm eleganter mihi cecinisse videatur Claudianus,

Gaudet enim Virtus testes sibi iungere Musas.
Carmen amat, quisquis carmine digna gerit.

Contrà verò qui omne suum studiũ in

eo posuerũt, vt perfectę virtutis imaginẽ sibi ad imitationẽ proponerent.

—& quæ natura negauit

Visibus humanis, oculis ea pectoris haurirent, quanta eos lætitia affectum iri putemus, si eius, quam tantoperè animo persequuntur, viuum & spirans simulachrum (vt ita dicam) nacti fuerint? Sed & præter hanc mutuam virtutis admirationem, & naturæ quam dixi consensionem, accedit vtilitatis etiam mutuæ quædam species. Nam vt illustrium facinorum author non immeritò eum suspicit, quem virtutis tradendæ magistrum & illustrandæ artificem esse videt, & velut parentem colit, non eum, à quo huius, qua fruimur, lucis breuem vsuram acceperit, sed alteram illam lõgè diuturniorem vitam in posteritatis memoria collocatã speret: ita ille alter libenter amplectitur segetem, & materiam suæ gloriæ sibi oblatam:

—qua se quoq; poßit
Tollere humo, victorq; virûm volitare per ora.

Vterq;

Vterq; enim etsi opinione hominum imparem, pari tamen studio ex eodem fundo gloriæ fructum petit. Sed hæc ad omnes communiter pertinent, qui, vt ait Salustius, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærunt. Illa verò tua sunt propria, quòd à primis vsq; adolescentiæ spatijs ea fuisti in patriam charitate, in bello fortitudine, in pace temperantia & æquitate, vt omnibus qui literas colunt, tuarũ virtutũ exemplar edideris, quod posteritati ad imitationem proponere, & possint, & debeant: quod literas Philippi Cossęi fratris tui Episcopi Constantiensis patrocinio orbatas, in diuerso vitæ instituto tamen fouendas, ac tuendas susceperis quòd doctissimos homines semper tecum habeas, quibuscum etiã in medio sæuissimi belli ardore Musisq; Mineruam temperes, & Geticum moderetis Apolline Martem: quòd filium ita literis instituendum in pueritia cures, vt hnac tam amplam laudis & gloriæ hæreditatem à parente acceptam

ptam non ſolùm tueri, ſed etiam augere poſſet. Me autem abſentem, nec vlla alia re, quàm literarum commendatione tibi cognitum ita complexus es omnibus humanitatis & liberalitatis officijs, vt ſi quis ingenij mei ſit fructus, ſi qua vigiliarum velut fœtura, ea meritò ad te redire debeat. Quod quidem adeò auidè facit meus hic Iephthes, vt qui antea publicam lucem, & cœtus hominum reformidabat, te patrono fretus prodeat, & in ſpē nō nullā etiam publici fauoris ſeſe erigat. Quid enim nō illis ſibi ſperet auſpicijs, quib. diſciplinam militarē ad antiquę ſeueritatis exemplum videt emēdatam, & vetuſtam belli gloriam Galliæ reſtitutā, cùm bellica fortitudine legum & iuſticiæ cultum, cum ſumma omnium rerū licentia ſummam omnium rerum non modò tuam, ſed etiam tuorum omniū continentiam videt coniunctam. His ego cauſis impulſus, hanc meam lucubratiunculam ſub tuo potiſſimum nomine in manus hominum exire volui.

Tu

Tu verò, vt spero, hoc meũ siue tuorũ in me officiorũ testimonium, siue meæ erga te beneuolentię significationem, quæ tua est humanitas & in literas amor, boni consules. Vale. Lutetiæ Parisiorum, quinto Cal. Aug. M. D. LIIII.

ARGVMENTVM EX *Libro Iudicum sumptum.*


IEphthes Galaddi filius patre defuncto à fratribus domo pulsus est, quòd negarẽt æquum esse, vt nothus cum legitimis filijs in hæreditate paterna diuidenda æquaretur. Is cùm ob inopiam collecta manu latrocinio viueret, ac fortitudinis magnũ specimen dedisset, primùm à cognatis, deinde à reliquis Hebræis dux factus est aduersus Ammonitas, qui viginti propè annorum grauissima seruitute eos presserant. Profecturus igitur in expeditionem, vouit, se, si victor reuerteretur, qui primus domo sua egrederetur, eum Deo sacrificaturum. Prima reuertenti occurrit vnica filia: eam Deo immolat.

PERSONAE.

Angelus prologus.
Storge mater. Iphis filia.
Chorus indigenarum puellarum.
Iephthes Imperator.
Symmachus amicus.
Sacerdos. Nuncius.

IEPHTHES SIVE VOTVM, TRAGOEDIA.

ANGELVS PROLOGVS.


Agni tonantis huc minister aliger,
C *ælo relicto, mittor Isaci ad lares,*
S *olumq; promissum Isaci nepotibus,*
S *olum regendis destinatum gentibus,*
S *i pacta sacri intaminata fœderis*
S *eruasset: arma sed modò quod Ammonia*
E *xpauit arcto seruitutis sub iugo,*
T *ulitq; quicquid triste, crudele, asperum,*
I *ratus audet victor, aut victus timet.*
V *ix docta tandem calamitatibus, Deum*
A *gnoscere patrum cœpit & nefarios*
M *entita cultus numinis ludibria*
I *nspecta nosse, nota floccipendere.*
E *t serò quamuis, ad patrem rediit suum.*
H *umana sed mens nescia modum ponere*
R *ebus, secundis intumet successibus.*
Q *uo plura hominibus contulit bonitas Dei,*
O *ccæcat animos altior securitas,*
V *anoq; fastu turgidos superbia*
S *timulat inanis. Qualis in dominum furit*
E *qui ferocis contumax proteruitas,*
I *mperia paulum si remissa sentiat:*
A *c vix lupatis domitus, & calcaribus*

D uris cruentus,redit ad officium,& suo
O btemperat hero:sic populus hic peruicax,
C eruice dura,pronus in peius,flagrum
S i conquieuit paululum, nouos Deos
A sciscit,& se dédit alijs ritibus,
I gnota sacra sequitur. Atq; adeò parens
B enignus animos turgidos licentia,
B ello,faméue,pestilentiáue aëre
F rangit,rebellem comprimens ferociam.
A t rursus,animi ne cadat fiducia
S erie malorum continenter obruta,
M ittit prophetas,bellicos mittit duces,
Q ui seruitutis liberatos asperæ
V inclis reducant,pristinisq; ritibus
S eruire cogant:arma nunc Ammonia
V t excitauit in rebelles, ac Dei
I ussus relictis,impijs erroribus
S e mancipantes. Sed modum statuens suæ
I ræ,propitius liberatorem dedit:
N on è potentum quempiam numero,grauem
T urba clientum,liberisúe turgidum:
S ed è paternis exulantem sedibus
I ephthen,suisq; fratribus spretum,satum
G enitrice vili:ne superba gens suis
A ssignet armis,quod manu gestum est Dei:
V t sciat & Ammon hactenus se viribus
N on floruisse proprijs,sed vindicem
C ælestis iræ. Porrò,ne Iephthes quoq;

Se me

S e metiatur exitu huius prælij,
E t intumescat insolens rebus bonis,
D amno obruetur protinus domestico:
C edentq́; fracti contumaces spiritus.
E tenim arma in hostes perfidos cum sumeret,
B elli secundus si daretur exitus,
Q uodcunq; primum se obuiam ferret sibi,
P romisit aris se daturum victimam.
H eu quanta moles imminet tibi mali
M iserande! quantis obruere luctibus!
V t te propinqui credulum spes gaudij
F allit! Propago sola, quæ patriam domum
T ibi nata seruat, prima patri se offeret,
V t gratuletur prosperum armorum exitum:
M agnoq́; soluet fœnore, ac iugulo luet
F elicitatis misera præcox gaudium.
A tq; ecce mater tristis egreditur domo,
Q uam somniorum nocte tota terruit
T remendus horror: nataq́; parenti comes,
P ræ se ferentes mentis ægrimoniam
M œrore vultus, gestibus, silentio.

STORGE, mater. IPHIS, filia.

E Heu recenti corda palpitant metu,
Mens horret, hæret vox in ipsis faucibus,
N ec ora verbis peruium præbent iter:
N octurna sic me visa miseram territant,

Et

E t dira turbant inquietam insomnia,
G rauibusq; curis pectus vrunt anxium.
A t tu nitentis summe dominator poli,
A uerte in hostes luctuosum & funebre
O men, mihiq; placidus, & gnatæ meæ,
Q uæ sola spes & familiæ solatium
S uperest, senectæ columen vnicum meæ.
Q uin ominare chara mater lætius, Iph.
V anæq; causas abijce ægritudinis:
E t ista mentis turbidæ ludibria
S ecura sperne, spretaq; obliuiscere.
V tinam liceret. sed metus veluti recens, Stor.
Q uoties recordor, concutit formidine
M entem, atq; imago somnij tristissimi
O berrat animo: pectus horrificat timor.
I am cuncta passim blanda strauerat quies,
M utumq; nox induxerat silentium:
V idi luporum concito cursu gregem
R ictu cruento, spumeo, rabido, vnguibus
S æuum recuruis præcipite ferri impetu
I mbellia, in pecora vidua pastoribus.
T um pauidi ouilis fida custodia canis
L upos abegit: atq; ad infirmum pecus
T repidi timoris exanime adhuc memoria
D enuo reuersus, è sinu timidam meo
A gnam reuulsam dente laniauit truci.
O sol, o vaga lumina lunæ,
P ictaq; tacito sidera mundo

E t tu nox mihi conscia curæ
N igris referens somnia pennis,
S i quid natæ miseræ impendet,
S i quem casum fata minantur,
C aput hoc prius in tartara miserum
D etrudite, dum spes ambiguæ
A lternantibus angunt curis
I ncerta suæ pectora cladis.
Iph. C ur miserè animum crucias mater,
L uctuq; tuo cumulas luctum
P ublicum, & acres renouas curas?
O mine læto reducem potius
P ositis questibus excipe patrem.
Q ui nisi vano mens augurio
C redula nimium pectora fallit,
S poliis aderit clarus opimis,
R emq;, & laudem, & decus æternum
G enti referens, patriæq; suæ.
Stor. N on hunc tenorem parca mihi vitæ dedit.
Q uod tempus vnquam lacrymis caruit mihi,
E x quo parentis primùm ab aluo prodij?
P rimùm iuuenta seruitutem patriæ,
T ristesq; vidit hostici agminis minas,
P ecorumq; raptus, sterile sine cultu solum,
C ædes, cruores, vastitatem, incendia,
P rofana sacra mista. Non vnquam mihi
S ecura vitæ fluxit vlla portio
V t trudit vndas vnda, fluctus fluctui

Cedit

Cedit sequenti, pellitur dies die,
Semper premuntur præterita nouis malis:
Dolor dolori, luctui est luctus comes:
Fratrem, patremq́; perculit belli furor:
Confecta curis mater inter funera
Cognata senuit, perduelles perfidos
Armis maritus vrget. His maius nefas
Tamen veretur animus. Iph. *Immodicus timor*
Facile sinistris adhibet augurijs fidem.
Vtinam secundis audiam rumoribus Stor.
Virum reuersum, sospitemq́; exercitum
Salua familia. Iph. *Veniet haud dubiè parens*
Incolumis. Idem bella qui suasit Deus
Saluum reducet laude cumulatum noua.

CHORVS.

Iordanis vitreo gurgite qui rigas
Conualles virides, pascua diuidens
Fœcunda Isacidûm flumine languido,
Et nunquam posita frigoribus coma
Formosum Solymæ *palmiferæ nemus,*
En vnquam miseræ candidus afferet
Curarum vacuæ lucifer hunc diem,
Cùm cernam patriam libera liberam,
Quæ nunc seruitij vincula Barbari
Infelix patitur. Nobilis Isaci
Sanguis degeneris fert domini iugum:
Et quos nec Phariæ *rex tumidus plagæ*

V rgens falciferis terruit axibus,
N ec trux purpurei ſæuities freti
V ndarum refluis obruit æſtibus,
N ec deſerta Arabum vomeris inſcia,
N ec portenta hominum mole cyclopia
F regerunt, timidi mancipium ſumus
A mmonis. Grauius flagitium eſt malo,
S ub turpi domino ſegne iugum pati.
A t tu ſumme parens, qui mare turbidum
C omponis, placidi qui maris æquora
C auri nubiferis flatibus excitas,
E t terræ ſtabilis dura tremoribus
F undamenta quatis, mobilis & poli
S iſtis præcipitem cum libuit fugam,
C ladibus tandem ſatiate noſtris:
D eſine irarum, propiusq́; feſſis
G entis afflictæ facilis bonusq́;
C onſule rebus.
N oſtra ſi pœnas meruit ſeueras
C ulpa, ſi quondam tibi ſeparatam
A bijcis ſortem, vitijs iniquus
S i pater noſtris, minus obſequentes
D eſeris natos, & inexpiata
A nte dilecti populi querelas
D eſpicis ira:
N ec tibi Syrus, neq; dirus Ammon,
N ec Phari rector tumidus minacis
E xpetat pœnas, neq; ſit prophano

In

I n tuis castris gladio potestas.
I gnis armatus potius trisulci
T u pater dextram iaculis tremendis
V indicis flammæ face contumaces
O bruas vrbes, chaos aut patentis
D euoret terræ miseros colonos,
A ut superfusis adoperta tellus
H auriat vndis.
N e feros hostis tumeat secundis
I nsolens rebus, populusq; muti
S tipitis cultor, tua qui nefando
P olluit ritu sacra, ne quod ira
S æuijt in nos tua, vertat Ammon
I n suas laudes, carie peresi
T hure dum placat simulachra trunci,
T eq; vesano neget ore gentem
S emper addictam tibi se premente
P osse tueri.
A h miser, quantos tibi risus iste
M ox dabit fletus? Breue diluendum est
G audium longis lacrymis. citato
A duolat cursu leuis hora. tempus,
V ana ni vatem species inani
S pe fouet, tempus properat, vicissim
C um grauis victor mala seruitutis
S entiet duræ. Neq; enim cruorem
V sq; sanctorum patiere inultum,
N ec tuas aras dabis execrandis

Pollui sacris. Vtinam supremæ
Terminus vitæ mihi in hoc supersit,
Patrio donec tibi sacra ritu,
Dum tibi gratum memori canamus
Pectore carmen.
Sed ecce celeri nuncius properat gradu.
Ni fallit animus, venit ab exercitu.
Agnosco. sic est. scire quid ferat, iuuat.

NVNCIVS, CHORVS.

Saluete veteris Abrahami filiæ,
Veræq; sancti sancta progenies patris.
Isthæc ne Iephthæ est Imperatoris domus?
An me fefellit error ambiguum viæ?
Chor. Et ista Iephthæ domus, & hæc est filia.
Sed quam reportas spem, refer, si quid vacat.
Nun. Nempe istud ipsum missus huc sum, vt nunciem.
Fusis, fugatis hostibus, victoria,
Re, laude parta saluus est exercitus.
Hæc summa. Chor. Paucis plurima vt cõplexus es:
Audita primùm, an visa fers, edissere.
Nun. Visa, acta, vera, certa, non rumoribus
Collecta vanis assero: vt qui prælij
Pars ipse fuerim. Chor. Vt gesta res est, expedi.
Nun. Vobis lubenter gaudium hoc impartior.
Aurora primum luce cum rosea polum
Perfudit, Ammon segnis impatiens moræ,
Equis, virisq;, bellicorum & curruum.

Stre-

S *trepitu tremendo latè inundarat solum.*
I *amq; explicata legio peditum per suas*
S *tabat cohortes, ferro & ære splendida:*
T *urmæ curules antè curuis falcibus*
I *bant minaces: fuderant se in cornua*
E *quites vtrinq; noster autem exercitus*
C *ampi patentis vltimos colles tenens,*
N *on asper armis, nec paratu bellico,*
S *ed corda fœtus numinis fiducia,*
I *ræq; iustæ vindices animos gerens.*
I *bi noster inter Imperator agmina*
P *ræcone misso tentat absq; sanguine*
F *inire bellum iure & æquis legibus,*
V *terq; populus vt vetustis finibus*
C *ontentus agri, ab alteris iniuriam*
V *imq; abstineret, rapta dominis redderet,*
P *acemq; bello, & certa dubijs præferat.*
C *ontrà superbus militum hostis copijs,*
A *rmisq; fretus, increpat ferociter*
P *ræconem, acerbis & minis calumniam*
A *ddit: duello se petere puro, & pio*
A *gros vetustos, vnde quondam Ammonidas*
E *xpulerat armis, viq; proles Isaci*
E *gressa terræ finibus Niloticæ.*
Q *uos si tenere perstet, atq; iniuriam*
B *ello tueri præferat, quàm reddere*
E *repta per vim, vindices sibi Deos*
N *on defuturos æqua postulantibus*

S in parta per vim iure malit linquere
Solymæa gens, & sponte cedat finibus,
Quos limes Arnon & Iebocus terminant,
Qua solitudo cogit agros vltima
Iordanis vsq; ad lentè euntis flumina,
Aequis paratos facere pacem legibus,
Factamq́; gentis vtriusq; commodo
Sanctè tueri. Hæc præco postquam rettulit,
Renunciare protinus Iephthes iubet,
Nec se, parentes nec suos Ammonio
Populo dedisse fraude vel vi damna, nec
Quos repetat agros nunc, fuisse finium
Ammonis vnquam. sæculis quos iam tribus
Propago Iacobi absq; controuersia
Tenuit: nec vlla facta mentio interim est
De iure dubio vel ioco, vel serio.
Nisi fortè Chamos quæ Deus tenuit tuus
Tibi iure cedent: noster autem quos Deus
Possedit agros, deseret. Non deseret:
Sed vt antè bello victor agros hostibus
Ademit, idem iustus arbiter modò
Huius secundos exitus pugnæ dabit,
Etiam secundum ius, & æquum. Vt rettulit
Hæc præco, rauci clangor æris æthera
Pulsat, virorum clamor, armorum fragor,
Fremitus equorum, curruum stridor boat:
Cælum remugit: fracta tellus axibus
Gemit: recussum duplicant montes sonum.

Virtute

V irtute & astu quisq; pro se nititur.
F erit, feritur: pellitur, pellit: cruor
P ermutat amnes. nocte sub densa polum
P uluerea nubes occulit. numero ferox
I nstabat Ammon, numinis fiducia
E t causa nostris æquat animos iustior.
D um neutra cedit, vrget acies vtraq;,
E cce inter vmbras pulueris, cadentium
L amenta gemitusq; inter, atq; hortantium
V oces refulsit nube diducta dies,
E t vtrasq; turmas redditus cœlo fragor
I mpleuit. humilis omnium mentes pauor
C onsternat. ense languido torpent manus,
G elidumq; lentos frigus artus alligat.
I bi imperator voce noster maxima,
A lacriq; vultu, Te parens rerum ducem,
T uumq; sequimur angelum. Deus, Deus
I nimica flammis sternit illis agmina:
T otusq; turmis fulget æther igneis.
H æc vox vtrunq; postquam exercitum
P eruasit, amens alter in fugam ruit,
P auido nouatis instat alter viribus:
N ec his sequendi finis, aut illis fugæ
F uit, tenebris donec atra nubilis
N obis quietem, illis latebras nox dedit.
C ur victor ergo non reducit copias? Ch.
M anc, vniuersi nondum habes belli exitum. Nunc.
F orsan refectis hostis instat viribus. Cho.

Nunc. S iquidem resument mortui vires nouas.
N anq; omne robur perfidæ gentis Deus
V no coegit demetendum prælio.
E rgo aut perempti corporum cumulis locum,
I n quo steterunt, obtinent, aut lurida
F usi per agros strage pascunt vultures.
E t ne resurgat denuo bellum nouum,
M ultos in annos dux futuri prouidus
P rospexit. Etiam peperit & nepotibus
S eris quietem. Victor arma Ammonium
P er omne nomen celeriter circunferens,
B is dena muris vertit oppida dirutis.
T ectis perustis puberes dedit neci:
V astauit agros. debiles tantùm senes,
P ueri tenelli, & fœminæ imbelles solum
V acuum pererrant, patriæ & casum gemunt.

CHORVS.

O aurei dux luminis
S ol, qui recursu præpete
V ices diurnas temperas,
E t igne flammifer vago
P artiris orbi tempora,
P ost lustra tandem quattuor
I ubar beatum in liberos
F undis nepotes Isaci.
I nauspicatos impetus
H ostis superbi dextera

Ieph-

I ephthæa fregit. spiritus
A mmonis acres contudit,
E t prædo præda factus est.
N ec tela Scythico profuit
P ennata neruos spargere,
R apax nec axis impetus
M inax recuruis falcibus,
N ec vis equorum, aut fortium
D ense phalanges militum
P remente texerunt Deo.
I amiam discite perfidi,
I amiam agnoscite. Non lapis,
N on lignum Deus est: neq;
Q uod vel sculpserit artifex
C ælo dextera ferreo,
V el plastes facili manu
F inxit, vultum hominis luto
M entitus madido: Deus
N oster arduus ætheris
A rces incolit igneas,
E t rerum sator, & salus,
M aiestate sua potens,
N ec cerni facilis, neq;
M ortali docilis manu
C ertam ducere imaginem.
V ecordem ille superbiam
R egum frænat, & impia
V ota, & spes nimias malum

Iustus

I ustus ducit ad exitum.
I lle innoxia pectora
S æuis pressa doloribus
P ræsenti auxilio leuat:
E t de puluere pauperem,
E t custodem olidi gregis
S ceptra attollit ad aurea,
P astorum diademate
O rnans tempora regio.
H unc vnum dominum, & Deum
T erræ dædala machina,
S ub quocunq; iacet die
A gnoscat, colat, atque amet.
E t quam sol oriens nouis
S ubiectam radijs ferit,
E t quam sub medio die
I ncendit propioribus
F lammis, quiq; bibit Tagum
F uluo gurgite nobilem,
E t qui perpetua niue
D amnatas habitant plagas.
E ia Hebraïdes aureis
C omptæ colla monilibus,
P erfusa ambrosiæ coma
S uaue fragret odoribus.
E ia Hebraïdes Indicis
C omptæ tempora gemmulis,
T erram multicoloribus

Latè

L atè ſpargite floribus
C eſſant tinnula cymbala,
C eſſant nablia, cum lyra
V ictori domino nouum
C armen dicere? tibiæ
C eßat multiforæ ſonus?
Q uis terram pede libero
P laudit? mollibus & choris,
F eſto lætus & ocio
C uras diluit aſperas?
F eſtis victima dux gregis
A ras imbuat: Arrabis
S uaucolentia nubila
I gnis halet odoribus:
E t tu progenies ducis,
M agni ſpes generis cape
C ultus filia ſplendidos,
E t patrem reducem pijs
L æta amplectere brachijs.
I amiam purpureos ſinus.
I phi aßume, retortulum
I am cirrum cohibe. ferit
A ures en fremitus virûm.
I pſe eſt, ipſe parens adeſt.

IEPHTHES.

Regnator orbis vnus, & verus Deus,
S olumq́; numen propitium, pollens, potens,
I dem ſeuerus vltor, & clemens pater,

T uis tremendus, & seuerus hostibus,
T uis amicis lenis, & salutifer,
I ræ timendæ, sed tamen placabilis,
A more feruens idem, & irritabilis:
N os seruitutis iusta presserunt mala,
M eritasq; pœnas dedimus impij impijs,
Q ui te relicto rege, patrono, Deo,
R erum parente, fonteq; perennis boni,
A d saxa stultas muta fudimus preces,
E t vana surdis vota lignis fecimus,
P udet fateri mentis æternæ capax
H omo, rationis particeps, mentis inopes
T runcos adorat, thura viuus mortuo
P ræbet, suumq; metuit artifex opus.
E rgo relicti, qui reliquimus, sumus.
P œnas subacti dedimus & fracti malis:
C um nunc Idume, nunc Palæstinæ manus,
N unc dirus Ammon, nunc Syrus contaminat
H æreditatem gentis, & sortem tuæ,
M alo eruditi, & hostium ludibrio
T andem coacti, vix reuersi ad te sumus.
A t tu benignus, atq; misericors Deus,
I usti furoris fræna compescis tui.
I ram remittis, & odij obliuisceris:
E t abdicatos filios culpa sua
R estituis iterum misericordia tua.
D efectionis ceu scelestæ sit parum
V eniam dedisse sontibus, cumulas nouis

Etiam

E tiam triumphis, laudibus, victoria.
E xutus armis hostis arcu languidus
A bijt remisso: bellici currus fugam
T otis morantur sparsa campis funera:
V olucresq; pascit, qui superbus vincula
S olymis parabat: contegit strages agros,
C ruorq; tumidas auget vndas barbarus.
E rgo Creator orbis, & magne arbiter,
M emores libenter mente grata gratias
A gimus, habemus: supplicesq; victimis
T uas ad aras patrio litabimus
R itu, canentes te Deum, ac patrum patrem,
Q ui per rubentis gurgites tumidos freti
N ostris dedisti tutum iter maioribus,
C ùm te iubente pigra moles æquoris
P osuit procellas, mobilis stupuit liquor
C ursu coacto, & vitreus crystallino
M uro pependit pontus hinc & hinc, viam
P ræbere iussus. fœderis memor tui,
P lacidus, propitiusq; accipe hæc serui tui,
E xigua quamuis vota, grato pectore
T amen profecta, debitaq; nuper tibi.
Q uod primum ad ædes sospiti occurret meas,
T uas id aras imbuet grata hostia
S uo cruore, tuis beneficijs licet
P ar nulla posit comparari victima,
A t tu benignè memoris animi munera
I nterpretaris, vt fideliter tua.

Promissa

P romissa soluis, vota sic reddi tibi
F ideliter gaudes, potentiam exerens
E rga rebelles, exerens clementiam
E rga timentes. Vis nec vlla est altera,
C ui terra, cælum pareant, & tartara.

IPHIS, IEPHTHES, SYMMACHVS, CHORVS.

Prodeo parentis reducis vt læta, ac lubens
C onspicio vultus. O mihi secundum Deum.
G enitor verende, sine frui amplexu tuo.
C ur genitor à me torua vertis lumina?
Ieph. M e miserum. Iph. In hostes omen hoc vertat Deus.
Ieph. V tinam, sed in nos recidit. Iph. Heu quid audio?
Ieph. M iseræ parentem filiæ miserrimum.
Iph. H ei mihi tremisco: saluus est exercitus?
Ieph. E st saluus. Ip. Et tu victor? Iep. Ita se res habet.
Iph. N ulloq; corpus suciatus vulnere?
Ieph. S ic est. Iph, Quid ergo de profundo pectore
S ecreta ducis ingemens suspiria?
Ieph. I d scire non est tibi opus in præsentia.
Iph. H ei mihi, quid in te misera peccaui pater?
Ieph. N ihil, sed in te misera peccauit pater.
Iph. I n me profectò quod sciam, erratum est nihil:
N ec si fuisset, id tibi molestiam
A fferre debet. Nam parentum iniurias
A equo necesse est liberi vt animo ferant.
Ieph. S apienter, ac vt te decet, nata, loqueris.
Q uantoq; tu sapientius loqueris, meam

P ectus recludis altiore vulnere.
Q uodcunq; mentem genitor exercet tuam, Iph.
O mitte. cunctis parta per te ciuibus
T uo dolore gaudia haud contamines:
T uaq; amicos sine frui præsentia.
N obis pariet absentiam hæc præsentia. Ieph.
B elli pericla fortè rursum te vocant. Iph.
D iscrimen armis grauius imminet domi. Ieph.
B ello periclum grauius esse domi potest? Iph.
B ello salutem reperi, perij domi. Ieph.
I mò & familia salua per te, & patria est. Iph.
E st. gratiamq; debeo hoc nomine Deo. Ieph.
A c nomine isto semper vtinam debeas. Iph.
S ed vereor ista vt salua persistant diu. Ieph.
Q uare secundæ nunc pater cùm maximè Iph.
R es sunt, precari votaq; decet soluere:
N on cum reflauit sortis aura mobilis,
P alpare numen precibus, in re prospera
O bliuiosa sacra negligentia
D eserere. Facilem quisquis incolumis Deum
S ibi demereri studuit, vbi res ingruit
A duersa, nixus conscientiæ bonæ
F ructu rogare numen audet propitium,
I am sponte, vota nuncupat securius,
E t certiore spe futura concipit.
I amdudum idipsum facere mecum cogito. Ieph.
Q uid te moratur? Ieph. Hæc relinque filia Iph.
C uranda nobis. quod puellares decet

S Ani-

A nimos & annos, id tuæ curæ puta.
Iph. N on mihi alienum est, quicquid ad patrem attinet.
Ieph. F ateor. sed interim vt domi rectè omnia
S int, prouide, & morem patri tuo gere.
H uc rursus ad nos pòst breui reuertere.
A desse oportet te sacrificio statim.
Iph. F iet, reuertor. Heu misera, quidnam patri
M utauit animum pristinum erga liberos?
H oc nemo nuper fuerat indulgentior,
N ec liberorum quisquam amantior parens:
Q ui nunc seuerus, tetricus, tristis, ferox
V ultu minaci bellicum præ se ferens
A dhuc tumultum. quicquid est, metuo nimis.
I d assequi vnum nequeo, quod propter me ait
S ese dolere, nullius quæ conscia
C ulpæ mihi sim, qua parentem offenderim.
O` fœminarum sorte vulgus aspera
P roductum in auras, quas, licet culpa vacent,
R umor malignus dente rodit inuido:
P ro facto habetur quicquid ira finxerit
S erui loquacis, quod maritus suspicax
C ommentus ipse est, maleuola aut vicinia.
Q uid suspicetur genitor, in mea manu
N on est. Remedium id arbitror tutissimum
I ntaminata conscientia frui.
Sym. P robè loquuta es digna patre filia
V ictore, casta digna matre, & patria.
H umana quamuis finxerit malignitas

Crimen

C rimen, repoſtos perſpicit ſenſus Deus,
I lloq́; vincit purus animus iudice.
S peranda ab illo, & expetenda præmia
V itæ peractæ. patris autem iniuria
A equi ac iniqui perferenda eſt liberis.
P roinde patri morigera domum interim
R euiſe. Si quid fama diuulgauerit,
H ic aucupabor, perſequens veſtigia
T ui parentis: mox tibi indicauero.
Q uin hoc amice pergis agere Symmache? Chor.
I d diligenter fiet. Chor. At quantum potes, Sym.
I ſto puellam libera trepidam metu:
H oc poſcit abs te ius amicitiæ vetus,
Q uæ culta primis vſq; ab incunabilis
F idei tenore ſemper vno perſtitit:
H oc poſcit ipſa patria, quæ Iephthæ ſuam
D ebet ſalutem. Sym. Quin tace, ac fidei meæ
P ermitte. Chor. At illud callidè vt fiat, vide,
A nimiq; cæcos penitus excutias ſinus.
N e metue. nec me poterit ille, nec volet Sym.
C ælare ſenſus: apta noui tempora.

CHORVS.

I felix, pede fauſto,
E t qui pectoris imo
C ernit clauſa receſſu
I dem teſtis, & æquus
I udex cœpta ſecundet.
A t te peßime liuor

A udax nectere fraudes,
E t committere ficto
D ulces crimine amicos,
E t rumore maligno
S anctæ fœdera tedæ
P ræceps soluere, charos
Q ui gaudes sua patres
C ontra pignora cæco
L inguæ armare veneno
I dem testis, & idem
S ecreti arbiter æquus
T e clausam tenebrosi
A ntris abdat auerni,
V nde has nec vaga sedes,
V nquam fama reuisat.
O quantum ille laborum
T ecum detrahet vnà.
Q uàm mortalia diris
C uris pectora soluet.

SYMMACHVS, IEPHTHES.

Q uidnam repentè ductor armis inclite
M utauit oris pristinum statum tui?
Q uæ mœstitudo læta turbat gaudia?
M etus recessit, perduelles perfidi
P œnas luerunt, parta patriæ quies.
C ùm gratuletur ciuitas victoriam
T ibi, tuumq; patria nomen laudibus
I n astra tollat, cantibus festis fremens,

Qui

Qui publici author gaudij es,non publicæ
Felicitatis esse debes particeps?
O' grata sortis infimæ securitas. Ieph.
Felice natum sidere illum existimo,
Procul tumultu qui remotus exigit
Ignotus æuum tuta per silentia.
At ego beatum potius illum duxero, Sym.
Cui vera virtus peperit æternum decus:
Quem de tenebris erutum popularibus
Splendore,vulgo & separatum à deside
Gloria futuris merita seclis consecrat.
At qui sopori deditus,& ignauiæ est,
Et vitam inertem pecudis instar transigit,
Nil interesse opinor,an sit mortuus,
An morte vitam obscuriorem duxerit,
Cùm par vtrunq; supprimat silentium.
Quapropter in te cuncta cùm congesserit
Quæcunq; amicum numen homini dare potest,
Laudes,honores,rem,decus,victoriam.
Benignitatem agnosce gratus numinis,
Nec sordidis sententijs res splendidas
Corrumpe,cùm nil possit esse gratius
Deo,beneficij quàm memor animus dati.
Præclara dictu res honor,victoria, Ieph.
Decus,triumphus,parta bello gloria.
At quæ videntur fronte prima suauia,
Eadem intuere propius,& intelliges
Condita fellis acri amaritudine.

F ortuna nulli sic refulsit prospera,
A duersa vt illam lance non penset pari.
T ristia secundis, & secunda tristibus
V icißitudo acerba sortis temperat.
P utas beatum me, beatitudinem
F ulgore inani metiens, & plausibus
V ulgi, miseriæ quem premunt certißimæ?
Sym. Q uin finge sortem beneuolam ex sententia
T ibi polliceri cuncta, quid superest adhuc
Q uod concupiscas? Spretus, exul, patria
D omo repulsus, inq; solitudinem
D etrusus altam, pauperis dominus casæ,
R epentè veluti somnio diues, tamen
F elicitatis arbiter iniquus tuæ
C onquereris. Altam ferre si sortem nequis,
P usillus animi es. sin nequis agnoscere
B enignitatem numinis, dignißimus
R ebus relictis, pristinoq́; es tugurio.
P er ferrum & ignes regna mortales petunt:
T ibi nec petenti principatus contigit.
S uo cruore plurimi victoriam
R edimunt, suorum cæde, damno publico,
Q uam tu incruento marte, saluo exercitu
I ncolumis ipse rettulisti, patriæ
A uthor salutis, hostium terror, inopi
D e sorte diues, liber è seruo, modò
I gnobilis, nunc clarus altum vertice
P ulsas olympum gloria, media modò

E plebe,

E plebe,populi principem locum tenes.
Ad absolutam nil beatitudinem
Deest parte ab omni,præter animum muneris
Tanti capacem,& prosperis rebus parem.
Vt video,amice,publicus te error tenet: Ieph.
At mentis oculis limpidè si cerneres
Quàm magna magnis sint malis obnoxia,
Tantoperè quem nunc laude prosequeris,statum
Rerum mearum diceres miserrimum.
Non penè vitio semper id nostro euenit, Sym.
Et inquietæ mentis inconstantia,
Neutram vt feramus lance sortem æquabili.
Tranquillitatem pauperis laudat casæ
Diues,nec alta classico silentia
Turbata,somnos liberos in somnijs,
Curis vigilias. Pauper aurum,purpuram,
Seruos,clientes,apparatus regios,
Aedesq; laxas sine nullo laudibus
Tollit,beatos diuites solos putat.
Sed rem suopte expende vtranq; examine:
Sors neutra pura est omnibus molestijs.
Inopes egestas angit,opulentos metus.
Diti est voluptas,pauperi securitas.
Acerba lætis sors vtrinq; miscuit.
Sed illa certè existimanda est optima,
Quæ multa paucis læta condit tristibus,
Diuina qualem tibi dedit clementia,
Cumulatam honore,laude,re,victoria:

Quam abnuere stulti est, perfidi haud agnoscere,
Nescire modicè ferre, vix reor viri.
Ieph. Frustrà mederi pharmacis vulgaribus
Conare nostro vulneri: sanabilis
Hæc plaga non est, intimis vitalibus
Insedit, altè in viua penetrans viscera:
Eoq́; luctus est acerbior meus,
Quod culpa damnum, miseria errorem grauat.
Sym. Quin apud amicum quicquid est edissere,
Fidisq́; ne vereare rem credere auribus.
Ieph. Ecquid memoria te subit voti mei?
Sym. Quod nempe saluo es pollicitus exercitu?
Ieph. Rem loqueris ipsam. quod vtinam prudentior
Voto fuissem nuncupando, & cautior.
Sym. Quis hic sit error, comminisci non queo.
Ieph. Qui me meamq́; perditurus est domum.
Sym. Oblata poterit perdere omnes victima?
Ieph. Quæ sola generis supererat spes filia.
Sym. Hanc immolabis? quæ iubet necessitas?
Ieph. Quòd prima nobis obuia redeuntibus.
Sym. Quod tandem in hac re nata commisit scelus?
Ieph. Promissa certam vota postulant fidem.
Sym. Hic scrupus animum scilicet premit tuum?
Ieph. Premit, nec auelli ante pectori meo
Poterit, nefanda quàm cruentus victima
Miser vbi miseros perditus perdam meos,
Illisq́; iustas, ac mihi pœnas luam.
At tu corusci rex vibrator fulminis,

Quem

Quem contremiscunt terra, cælum, tartarus,
Si quando iußis obsequens promptè tuis
Gratum quod esset dixerim'ue aut fecerim,
Audi precantem, & vota dexter adiuua:
Non nunc superbas postulo victorias,
Festosq́; plausus, redde rursum prælia:
Crudelis in me victor Ammon irruat,
Et noxiam animam mille plagis exigat.
Heu mutatio subitæ sortis: Chor.
Vt perpetua serie lætum
Nil mortalibus vsq; relictum est:
Aut tu trisulcis diuidens cælum ignibus, Ieph.
In me scelestum parricidam & impium
Molire telum flammeo actum turbine:
Iam nunc nocentem, & si superfit amplius
Vitæ, futurum noxium in dies magis
Detrude viuum sub profunda tartara.
Non transigenda temerè res est tam grauis, Sym.
Turbata cæco dum tumultu mens furit:
Compone te te. cùm quiescet impetus,
Et liber animus sana consilia audiet,
Vnà cum amicis cuncta statues liberè.
Consilia dubijs remedium rebus ferunt. Ieph.
Qui consulit, cum nullus auxilio est locus,
Addit miserijs sponte stulticiam suis.
Remedia semper integra re suppetunt. Sym.
Nempe medicinam cùm modus patitur mali. Ieph.
Si fors initio res videtur ardua, Sym.

N on est quòd animum protinus despondeas.
Q uin consulendum censeo vel eo magis,
Q uod sæpe visum est vni inexplicabile
E xpedijt alius facilè. si cedant benè
C onsulta prauè, te sequetur gloria:
S i malè ceciderint, tu tamen culpa vacas.
A uthore magno desipere penè sapere est.
Q uòd si vndiquaq; claudit omnes exitus
I nuicta vis, aut fatum ineluctabile,
N ec explicare consilia sese queunt,
I dem probabunt quicquid eueniet, quibus
V sus fuisti in consulendo authoribus:
S in ipse reliquis facinus inscijs nouum
P erages, rogatus qui probaturus fuit
E uenta primus arguet: quanquam sciat
R emedia nulla, scisse vult credi tamen.
N e commonentem recta sperne. nam ferè
T emerè patrati pœnitentia est comes.

CHORVS.

Quanquam tristia, quanquam ingrata
R eferam, & luctus luctibus addam,
S tat sententia promere cuncta
O rdine matri, miseræ & gnatæ,
A ut consilio fortè, aut precibus
F atum auertere triste licebit.
S ubit interea communi hominum
S orti impendere lacrymas. primum
Q uid deplorem? miserum an patrem?

Quem

Q uem sic valida compede vinctum
C onsilij exors detinet error,
V t sola putet impietate
S e pietatem posse tueri.
M iseræ an doleam fata puellæ?
Q uam vernantem primo ætatis
F lore tenellæ spes ad opimas
E ductam, non hostica bella
P atria capta captam eripiunt:
N on dira lues cœlo immissa
P erimet, patrio sed mactatu
V ictima diras imbuet aras,
E t vice brutæ pecudis iugulo
C alidam sanguinis euomet vndam,
A rtus ferro trunca tenellos
Q uos nec violet barbarus hostis,
N ec montanæ feritas vrsæ
C rudo auderet carpere dente.
V ictore feret patre misella,
Q uæ nec victore hoste tulisset:
V os hostilia passim campis
S parsa cadauera, si quis vita
V enit exutos sensus ad artus
G audete, aspras cernite pœnas
V ictorem de sese exigere.
H æc nimirum est addita nostræ
V itæ sors, vt tristia lætis
V icibus subeant, tenebræ vt soli,

Vt

V t veri aspera bruma tepenti.
N ulla est adeò pura voluptas,
Q uam non tetro felle dolores
V itient: leuitas perfida sortis
V ice sæua res hominum miscet.
S ic vbi placidis sternitur vndis
A equor tacito lene sereno,
N igram glomerans turbo procellam
T umidos longè cumulat fluctus:
H inc remeabilis impetus æstus,
I llinc Cauri flabra proterui,
P erfreta dubiam spumea puppim
R apiunt, nostræ hæc facies vitæ est
I nter cædes, furta, tumultus,
E t grauiores morte timores,
M ortis si quid læti illuxit
V elut arentes inter stipulas
F lammæ euanida lux fugitiuæ
C eleri velox auolat aura.
D ein perpetuis nexa cathenis
L ongi subeunt agmina luctus.

IEPHTHES, SACERDOS.

O` sol diurnæ lucis author, ô patres,
O` quicquid hominum sceleris immune es procul
A uerte vultus execrandis à sacris,
A ut tu cruorem virginalem innoxium
P otura tellus hisce patulos in specus
S inuq; vasto me vora, dum non nocens

Perire

P erire poßum: quolibet me obrue loco.
V el ipsum adire non recuso tartarum,
M odo parricida tartarum non incolam.
Q uid tartarum aio? tartarus mihi est domi.
Q uo me profusis mœsta coniux lacrymis
R ogabit ore? nata quo intuebitur
M oritura vultu? colla complectens preces
Q uas admouebit voce lamentabili?
H ic vltimorum consequi luctus solet Sac.
C omes malorum cùm medentium manum
V ulnus recusat, aut peractum cùm scelus
R emedia refugit. Tu miser sis, an secus,
T ua repostum est in manu. integrum tibi est
N atam sacrifices nec'ne, siue vt verius
D icam, integrum non est, nisi si quis miser
S ponte esse cupiat. integrum quomodo tibi est
I d perpetrare, sacra quod vetat parens
N atura? pietas cui reluctatur? Deus
Q uod abominatur? primum amare liberos
N atura nostris inseruit affectibus:
N ec nostra tantum motus iste pectora
P ercellit, altum quicquid æquor permeat.
C eleri natatu, quicquid alis aëra
F indit, quod vtero cunq; cunctorum parens
T ellus creauit, sentit affectus sacros.
N am patris hanc æterna prouidentia
C ælestis animis indidit mortalium
A d educandos vtilem vim liberos,

Et

E t continendam publicam concordiam
O rbis recentemq́; sobolis propaginem
S emper nouandam. quoq́; nomen arctius
I mprimeret istud mentibus, dici pater,
E t esse voluit. nec modò exemplo sui,
S ed & ferarum, & alitum atque piscium
P atriæ probauit charitatis vinculum,
N os, quibus vt hominis seruiamus nomini,
P eculiaris debet esse humanitas,
L ongè à ferarum vincimur clementia,
N ec scelere nostras inquinare dexteras
S at est. nefandum facinus ascribere iuuat
C ælo: cruentis victimis confingimus
G audere numen. quod nec Aegyptus Dei
I gnara patrat, nec superstitionibus
A ssyria falsis vna deditissima.
Q uam cæde puras nos manus est æquius
S eruare puris è parentibus satos,
E t pura castè sacra iussos numini
O fferre: nostro non litatur victimis
D eo cruentis, bubulo'ue sanguine,
P olluta nullo corda sed contagio,
E t mens recocta veritate simplice
I lli offerenda & casta conscientia.
Ieph. C ur ergo leges victimas sacræ imperant?
Sac. N on quòd bidentis cæde gaudeat Deus,
F amem'ue cæsi carnibus vituli expleat,
S ed audientes esse nos monitis iubet.

Non

N on nuncupata vota oportet reddere. Ieph.
S ed nuncupare iusta tantum lex iubet. Sac.
I stud fuisset rectius ab exordio Ieph.
I d polliceri, quod probant ritus patrum.
N unc re peracta quod semel votum est Deo,
L ex missa cælo nos iubet dependere.
M actare natos quæ parentes lex iubet? Sac.
Q uæ vota iussit nuncupata reddere. Ieph.
F as'ne est vouere, quod nefas est reddere? Sac.
Q uinimo summum est, vota non soluere, nefas. Ieph.
Q uid si cremare iura vouisses patrum? Sac.
N emo ista sanus vota nuncupauerit. eph.
C ur? nónne sacris quod repugnent legibus? Sac.
S ic est. Sac. Quid ergo qui trucidat liberos? Ieph.
N on tam quid agitur interest, quàm cur agas. Ieph.
P arere iussis tibi videtur numinis? Sac.
M actare natum iussit Abramum Deus. Ieph.
Q ui iussit, idem quoq; vetuit occidere. Sac.
C ur ergo iussit? Sac. Vt probaretur fides Ieph.
S eclis futuris. Ieph. Cur vetuit? Sac. Ostendere
V el hinc volebat, victima obedientiam
M agis placere. Ieph. Nempe sacro numini
P arere oportet. Sac. Scilicet. Ieph. Iubet Deus
V ouere? Sac. Sanè. Iep. Et vota solui postulat?
S ic est. Ieph. Morantes increpat, & à perfidis Sac.
P œnas reposcit? Sac. Nihil habes hic quo tuum
P ossis tueri facinus. infandum scelus
Q ui perpetrare spondet, vltro affectibus

Stultis

S tultis suisq; parct ille insomnijs.
P roinde voti quicquid istud est, Deum
C rudelitati desine ascribere tuæ:
N ec qui scelestos odit & nefarios
R itus sacratis execratur legibus,
S celere quod odit posse placari putes.
D iuina vox est vna, simplex veritas,
S ibiq; constans: quod semel iußit, ratum,
F ixumq; perstat tramite immuatbili:
N ec ad sinistram, dexteramúe paululum
D eflectere licet. intueri vnum hunc scopum
V erum est, ab vna lege consilia suæ
V itæ capeßere, quando ceu facem Deus
H anc esse iußit, quæ per incertas vias
E rrore cæco regeret instabiles gradus.
A b hac lucerna cùm procul te sentias
F lexisse temerè, nunc priusquam longius
A bducat error, in viam rursus redi.
S i stulta vota credis infandis sacris
P osse expiari, falleris. crudelitas
I sta cumulabit. non scelus tollet tuum:
N ec falsa species decipiat animum. Deus
V t ritè sacris gaudet oblatis, ita
N efanda vota respuit. nec abstulit
I mpunè, quanuis concitus studio pio,
A dmouit ignem qui profanum altaribus.
I gitur amica monita ne sperne, & Deum
P lacare dum vis, concitare desine,

Non

N on instituto qui coli gaudet tuo,
S ed sibi probatis lege, ritu, moribus.
H os qui videntur sapere sæpe plurimum, Ieph.
V ulgusq; supra se imperitum venditant,
P lerunq; veræ comperi prudentiæ
M inimum tenere. nemo negligentius
R itus vetustos seruat, & mysteria
F acit minoris. vulgus indocile, ac rude
V oti tenax est, nescium fraudis, ratum
Q uod pollicetur numini semel, putat:
V t nil sit aliud sapere iam, me iudice,
Q uàm scire velum noxiæ prætendere,
F ucumq; factis peßimis inducere.
Q uin potius illud cogitare erat æquius,
C ulpa carere, quàm videri innoxios,
A ut fraudulentæ cautionis tegmine
V elare mentis improbæ versutias.
P ietatis ergo quisquis æmulos volet
S uos haberi liberos, ne litteris
H os erudire studeat æquo impensius.
N am litterarum quo quis est peritior,
H uic est sacrorum cura negligentior.
A t rursus audi si vacat, vir optime, Sac.
Q uàm cæca fallat credulum ignorantia.
E rrore vulgi qui tuetur se, nihil
O pinor ideò peccat excusatius.
N ec istud vnquam moribus regnum malis
P ermittat ille maximus rerum parens,

T Vt

V t recta plebis improbæ consensio
I n praua vertat, è bono vt faciat malum.
N ec si tyrannis blandiens palpatio
P eiora laudet, recta mutans nomina,
E fficiet vt quæ visa multitudini
H onesta sunt, honesta fiant protinus.
V na est honesti forma simplex, quam neq;
V el vis tyranni, vel potentum authoritas
A dulterare poterit, aut corrumpere.
N unc quo quis est è plebe ferme indoctior,
A uthoritatem assumit arrogantius
D iiudicandi in rebus obscurissimis:
E t pertinaci, quòd ferè ignorantiæ est,
A nimo tuetur dogma susceptum semel.
N ec interim æquo expendit examine mala,
A n recta sint, quæ pertinaciter tenet.
S ed cum inter omnes maximè cæcutiat,
C æcus videntes cæcitatis arguit.
V t cui perusta febre feruent viscera,
A mara cuncta credit, vnumq; autumat
S e sapere, cum desipiat vnus maximè:
S ic vos tenebris pectus atris nubili
I is imperare quæritis, quibus æquum erat
P arêre: quorum oportuit sententiam
S equi, esse comites cogitis, & impingere
I n saxa firmam sponte pellentes ratem.
R eligio vera est, veraq; pietas, Deum
N on instituto colere, quod commentus est

Tibi

T ibi ipse, sacris victimas non quaslibet
M actare, sed quas missa legum cælitus
D ecreta poscunt, & patrum mores probant.
Q uodcunq; gestum est mente syncera, Deo Ieph.
G ratum est, boniq; dona semper consulit,
Q uæcunq; corde sunt profecta simplice.
N ec numen aurum, sed animum dantis probat.
S i recta vitiat mentis improbitas malæ, Sac.
N on ideo curua stultus animus corrigit.
N am quæ vocatis recta simplicia, proba
S unt vanitatis plena dementissimæ.
N isi esse possit fortè quicquam vanius,
Q uàm ad veritatis lumen oculos claudere.
D ein cæcitatem lapsus in spontaneam
T itulis honestis in scelere laudem petis,
R erumq; tollis omnium discrimina,
D um iniqua iusta, fœda honesta mobilis
P endere vulgi statuis ex sententia.
Q uòd si potestas tanta sit sententijs
S tultorum, vt æqua iniqua faciant protinus,
V t sint profana sacra, ius iniuria:
C ur non & illud arbitremur posse eos,
I gnes in vndas, vndam in ignes vertere,
M utare lignis saxa, vitam mortuis
R euocare, motus temporum sistant citos,
E t sempiternas transferant rerum vices.
Q uòd si arbitraris hæc supra mortalium
V ires, & vni conditori obnoxia,

Quas ille leges prodidit semel puta
Aeq; perennes, ac ratas, aut amplius,
Nec vllum in illas esse ius mortalibus.
Nec qui supremus imminet mundo dies,
Edicta rumpet illius. cælum, & solum,
Et aëra, & aquas soluet ignis vltimus:
De lege verò quæ data est diuinitus,
Non carpet apicem temporis longinquitas.
Ieph. Vos ista per me si libet sectamini,
Quos iuuat haberi antistites prudentiæ:
Ego veritatem malo stultam, & simplicem,
Quàm splendidam fuco impiam sapientiam.

CHORVS.

O' Isacidas matrona inter
Rarum exemplum sortis amicæ
Quàm subito te fortuna atrox
Exitio submersit, & illum
Propè tangentem sidera fastum
Obruit, atræ & more procellæ
Luctu gaudia vertit acerbo.
Heu nunquam homini sat compertum
Quid petat, aut quid vitet in horas.
Quis tibi nuper non inuidit
Dux fortissime? cui propè supra
Votum acciderant prospera cuncta:
Clari generis splendor, casti
Thalami, soboles digna parente,
Partaq; valida gloria dextra.

Qui

Qui nunc subitæ mole ruinæ
Obrutus ipsis es miserandus
Hostibus, ac tua vota retractans
Imples miseris astra querelis.
Nempe erroris nebula, & tetris
Ignorantia septa tenebris
Sic humanas sepelit mentes.
Nec perspicuis animi quisquam
Oculis radios cernere potis est
Veri simplicis, aut virtutis
Nudæ rectum insistere callem.
Sed veluti sub luce maligna
Per secretos nemorum anfractus
Lubricus error mille viarum
Dubio occursu ludit euntes,
Inter varios semita flexus
Nulla placet, neq; displicet vlla:
Sic inter homines præter propter
Dubia incerti mente vagamur.
Hic venalem funere laurum
Ocij impatiens dum sibi quærit,
Luctu alieno dura per arma
Redimit vanæ murmura famæ.
Captatores alius captans
Dulci steriles pignore lectos
Multa pensat plebe clientum.
Atq; intenta fraude vicissim
Coruos ludere gaudet hiantes

C unarum alter murmura blanda
T enero & balbas ore querelas
N on mutauerit opibus Crœsi,
A ut quas diuite lucidus vnda
R utilas Hermus voluit arenas.
V erùm nemo tam ſapienter
V itam instituit, conſilium vt non
D amnet decies ipſe ſuum vna
F orſitan hora.
A tque en prodit ſqualida luctu
M iſeram comitans nata parentem.
Q uàm diſsimiles pro dolor illis
Q uæ conſpicuæ nuper cunctis
L ætæq; noui laude triumphi
P enè attigerant vertice olympum:
N uper ad inuidiam vſq; beatæ,
N unc exemplum nobile ſortis
V ariæ. ſic Deus humana rotat,
I nſtar volucris pulueris acti
T urbine celeri mobilis auræ:
A ut hybernæ more procellæ,
Q uæ violenti flamine Cauri
O bruit altos grandine montes.
M ox vbi roſeo fulſit ab ortu
F ax perſpicui pura diei,
L atè albentes fuſa per agros
V ix conſpecto ſole liqueſcit.

STOR-

STORGE, IEPHTHES, IPHIS.

O' spes inanes: festa nuptialia
T *ibi parabam nata, lucem cernere*
I *llam expetebam, sorte cùm te prospera*
A *uctam viderem liberis, & coniuge*
C *laro beatam: te senectutis meæ*
F *ore pollicebar columen ac solatium.*
D *e te augurabar falsa frustra insomnia.*
N *unc me insolenti sæuiens ludibrio,*
S *ortis furentis impotens immanitas,*
F *elicitatis de supremo culmine*
D *eiecit, vno cuncta vertens impetu.*
O *ter beatos, liberis quos hosticus*
O *rbauit ensis, pestilens aut aëris*
L *ues, famesúe, scelere quorum lacrymæ*
C *arent, doloremq́; imputare alijs queunt.*
A *t hic in vno scelere sexcenta scelera*
F *ortuna miscet, liberorum carnifex*
P *arens, scelesta sacra, ritu barbaro*
A *ræ cruentæ victimis nefarijs.*
S *i sancta sanctè sacra tantum numini*
C *redis probari, tolle morem barbarum:*
C *rudelitate sin propitius fit* Deus,
E *t me trucida victimam cum filia.*
A *cerbitatis plus satis complectitur* Ieph.
S *ors nostra per se, nihil vt accedat mali:*
Q *uamobrem omitte meq́; teq́; incendere*

N il profuturis luctui conuicijs.
N am sæua quamuis sit calamitas omnium,
S ors nostra multo cæteris est sæuior.
C oniuncta vestris innocentia est malis,
E t labe sceleris miseria infelix caret.
E go nec scelestus esse queo, ni sim miser.
N ec calamitosus sceleris expers degere:
S olusq; cogor facere facinus, & pati.
Stor. N empe ipse te te sponte cogis, & volens.
Ieph. V tinam ista nostri vota sint arbitrij,
P romissa nec sit abnegare nefarium.
Stor. S celesta vota grata non sunt numini.
Ieph. F uisse grata testis est victoria.
Stor. Q uid? polliceri quod tuum non est, potes?
Iep. M ea nata non est? Sto. Est. sed etiam vt sit mea.
C ommune pignus cùm sit, vni cur patri
M actare, vitam mihi tueri non licet?
Q uòd si liceret liberos addicere
P arentis alterius libidini, & impio
D irimere amoris vinculum diuortio,
P lus iure matri parte cederet sua:
M atri, salutis quæ sit author, quæ patri
I am sponte natam perdituro subtrahit.
Q uid nuptiales si pararentur faces,
V irumq; legeret filiæ suæ pater,
N on hic parentis vtriusq; arbitrium
C ommune pariter liberis incumberet?
A t hæc societas impotens, & arrogans

Est

E st coniugalis copulæ consortium
S eruare matri non licere, perdere
L icere patri. si modo quis perdidit
H anc, quam trucidat: cuius astans funeri
I mmanitatis gloriatur ambitu:
Q ui claustra dum reuellit animæ, dum latus
M ucrone sæuo reserat, & vitalibus
H aurit morantem sub profundis spiritum
C upit videri, non eget solatio.
F amam aucupatur liberorum è sangine, &
C ompensat aura sanctimoniæ scelus:
S eseq; iactat laude parricidij.
T u si parentis exuisti in liberos
M entem, furenti percitus vecordia,
P ermitte saltem matris indulgentiæ
A mare, non amare quod summum est scelus:
S eruare, summum quod nefas est perdere:
Q uod prodidisse sponte parricidio
E st grauius omni: quod trucidare propria
M anu, ferarum immanius truculentia est.
S i diuidendum pignus esset mutui
A moris, æqua lege non diuisimus:
V t tu vti, abuti morte, vita filij
P ossis, redundet ad genitricem modò
L uctus, dolores, lacrymæ, suspiria.
O' rupe dura durior, vel robore
P rognate crudo, cotibus vel asperis
I nter ferarum lustra, nec generis tenens

Nostri

N ostri, nec vlla sanguinis vestigia.
N um flente nata, lacrymante coniuge,
M œstis propinquis, liberorum carnifex
V llum doloris indicem gemitum dedit?
Q uin ad paternos nata procidis pedes?
O ratione si quid, aut lacrymis potes,
C or flecte durum, frange mentem ferream.

Iph. M iserere, genitor, te per hanc rogo manum
V oti potentem, compotem victoriæ.
P er si quid vnquam merita sum de te benè:
S i quando paruis comprimens te brachijs,
O nus pependi dulce de collo tuo:
P er si quid ex me tibi voluptatis fuit,
D epone mentem liberos erga trucem,
E t diritatis huius obliuiscere.
A ut si quid in te ex parte peccatum est mea,
P rofer. quod instat cunq; leuius perferam,
S i luere pœnas iure me cognouero.
Q uid ora vertis? misera quod feci nefas,
C ur esse patri debeam execrabilis,
V t contueri non queat vultus meos?

Ieph. N il nata per te perpetratum est, hoc meum
N efas, meum istud est scelus totum: meæ
I mmerita pœnas pendis imprudentiæ.
E go teq; meq;, misera, perdidi miser
V otis nefandis. quod vtinam prudentior
V erbis fuissem, aut prælio infelicior:
E t morte honesta tot virorum fortium

Inter

I nter cateruas cæsus hostili manu
P ræoccupassem miseriæ portum meæ.
I ngrata nunc me vita mihi superstitem
L uctus residuat semper vt videam nouos.
T ibi per nefanda sacra iuro, quæ Deo
R cruente voui, per mali cumulum mei,
E t luctuosam memoriam cladis tuæ,
S i morte redimi mors vicaria queat,
V itam libenter filia tibi impenderem.
E cquid beatus videor esse vos suprà?
A equè atq; nos, aut amplius etiam miser. Iph.
A pud parentem quando leuis authoritas Stor.
E st huius, vnum coniugem coniux rogo,
A tq; id supremum, me mori pariter iube.
M ortem imputare, si me amas, potes mihi:
S in oderis, tibi. doloribus exime
M e morte, teq́; libera molestijs.
P atratur vna cæde sceleris plus satis. Ieph.
O` sanctitas. ô fas, & innocentia: Stor.
P eccare metuit immolator filiæ.
O mitte mater lacrymas charissima, Iph.
O mitte questus, iurgia, & conuicia.
E t tu pater, quæ pectus anxium premit.
D epone curam: nec meam propter necem,
V ltro citroq́; verba commutaueris.
Q uod non volentem dura te necessitas
I sthuc coëgit, multa mihi faciunt fidem:
M æstitia præsens, pristina indulgentia,

Et

E t nullius mens criminis mihi conscia,
C ur commereri debeam mortem à pratre.
Q uapropter istud quicquid est necessitas
Q uod cogit, vltro non recusa perpeti.
E t quam parenti, patriæq; debeo
A nimam, libenter reddo, & illud vltimum
N il postulatura genitrix posthac rogo,
N e quid patri causa mea succenseas,
N eu sis molesta. mortuis si quis super
S ensus sepultis est eorum quæ gerunt
V iui, futurum crede manibus meis,
V t si quid aliud, id quidem gratissimum,
S i vos beatos, prosperéq; degere
S im certa vitam: nec parentes ad meos
O fficia vitæ mutua quibus debeo
R eddere vicissim, & educandi soluere
P recium, senectæ infirmitatem sustinens,
E x me redundet luctus, atq; acerbitas.
Stor. V tinam, precari si piè & sanctè id licet,
D ominetur Ammon, pristinum ferat iugum
I udæa: quanuis serua, certè viueres,
A ut morte saltem non nefanda occumberes.
S æuisset in nos leuius insolentia
H ostis furentis quàm patris victoria.
N ouaq; fati, sed miserrima vice
S eruire votum est, & calamitas vincere.
O semper in nos vel fauens etiamnum atrox
F ortuna, quantis gaudij vsuram breuem

Luctus

L uctus acerbi fœnerasti lacrymis?
Q uin potius illi iusta supplicia luant, Iph.
N os, si necesse est, immerentes sanguine
A ras piemus, totáq; cædes hostium
P ensemus vna sponte, gratiq; hostia.
H eu nata, nunc intelligo demum miser Ieph.
Q uàm fœda, sæua, dira designauerim,
Q ui prole tali temerè meme orbauerim.
S ed ipse de me sponte pœnas exigam.
T e nanq; iniquum est dare meæ dementiæ
P œnas, puellam innoxiam, superstite
A uthore luctus. ipse stultitiæ meæ
S upplicia pendam: nec mihi exprobrabitur
A b inuida vicinia, quòd vltima
S ub spatia vitæ parricida filiæ
M ihi peperci, liberumq; sanguine
V ili redemi turpis auram gloriæ.
A t tu beata hac charitate in patriam
P artemq; viue: cuius ætas dignior
S uperesse, quamq; gratiam nequit parens,
P ersoluat ille, solus æqua qui potest
P ro dignitate huic indoli rependere.
O mitte genitor has moras innectere, Iph.
M eumq; dictis mollibus frangere animum.
N ec fas, nec æquum te mea fungi vice.
M e vota poscunt. itaq; tibi animam libens
H anc reddo patri, reddo patriæ meæ.
N ec vlla Iephthæ me redarguet dies

Non

Non stirpe dignam. tolle, age, abduci iubes
Deuota morti, & consecrata victima
Proieci amorem lucis: omnis est mora
Molesta. mater iam vale charißima,
Et vos penates patrij, in quibus dies
Lætos peregi, spes ad amplas molliter
Ducta, claris destinata nuptijs.
O fata, fata & morte defuncti patres
Accipite placidè destinatos patriæ
Manes saluti: tuq; lux nouißima
Hodierna nostris haurienda oculis, vale.

CHORVS.

Laus fœminei famaq; sexus,
Et generosæ gloria stirpis,
Animi nimium virgo virilis,
Licet iniuria tibi fatorum
Vtiliores abscidit annos,
Licet immanis feritas parcæ
Teneri florem carpserit æui,
Quod tibi vitæ sors detraxit,
Fama adijciet posthuma laudi:
Et qua primis Phœbus ab Indis
Rutilæ tollit lumina flammæ,
Te posteritas sera loquetur.
Te qui primi flumina Nili
Bibit, & curru qui Sarmatico
Solidum non timet ire per Istrum.

Con-

C oncinet olim
N on formidine mortis inerti
P auidam, patriæ donasse alacrem
N atura tibi quos dedit annos.
N ostris longum tu dolor & honor
V irginibus, tibi thalami expertes
M œsto vlulatu flebile carmen
P er redeuntes recinent annos.
A t vos vestri dedecus æui
A nimam patriæ reddere segnes,
V os æternis tenebrarum vmbris
T eget obliuio longa sepultos,
E t generis pudor, & telluris
P ondus inutile, quos & præsens
S pernit & altera nesciet ætas.

STORGE, NVNCIVS.

H eu misera, an omnis spes salutis occidit?
E ffare. Nun. Res vt inter aduersas quidem
N on pessimè agitur. Stor. Si quid accidit boni,
E a blandientis sortis est crudelitas.
V enena dulci melle terra temperat.
Q uapropter ede quicquid occultas mali.
V sus dolendi, longaq; experientia
I nduxit animo callum, vt amplius mihi
N ocere posset, nil reliquit sors sibi.
P arata certa est, sed misera securitas.
V t gesta res est ergo paucis accipe.

Nun.
Cum

C um staret aras ante tristes victima
I am destinata virgo, purpureum decus
P er alba fudit ora virgineus pudor
C œtus viriles intuerier insolens,
V t si quis Indum purpura violet ebur,
R osasúe niueis misceat cum lilijs.
S ed se per ora cum pudore fuderat
P erspicua certè iuncta vis fiduciæ,
I nterq; flentes sola fletibus carens,
V ultu remisso constitit firma, ac sui
S ecura fati. quas tenebat lacrymas
P ropinqua morti virgo, populus non tenet.
A lium parentis beneficium recens mouet.
E t seruitutis patriæ exemptum iugum,
E t solitudo familiæ clarissimæ.
A lius acerbam sortis ingemuit vicem,
L ongoq́; luctu breue redemptum gaudium,
R aroq́; stabilem rebus in lætis fidem.
F lorem iuuentæ deflet ille, & siderum
S imiles ocellos, æmulamq́; auro comam,
S upraq́; sexum pectoris constantiam.
E t fortè solito gratiorem afflauerat
N atura honorem, ceu supremo munere
D ignata funus nobilis viraginis,
V t iam ruentis æquor in Tartessium
P hœbi recedens esse gratior solet
S plendor, rosæq; verè supremo halitus
C olorq́; cupidos detinet oculos magis:

Sic

S ic virgo fati stans supremo in limine,
P arata morti, nec recusans molliter,
T urpiue torpens exitus formidine
C ommorat omnes, versaq; in se lumina
V ulgi stupentis traxerat miraculo,
E t triste cunctis attulit silentium.
N arrare porrò perge facinoris modum, Stor.
N eu parce matris auribus: nihil potes
A fferre triste, vt tristiora non sibi
P roponat animus. cuncta iam præcepta sunt.
A nimi virilis tum puella lumina Nunc.
A d clara tollens astra, concipit preces
E x ore casto voce, non fracta malis:
A eterne rerum genitor, atq; hominum parens,
T andem propitius gentis errori tuæ
I gnosce, & istam victimam lenis cape.
Q uòd si furoris exigis piaculum,
Q uæcunque nostra contumax superbia
S upplicia meruit, te parentem deserens
V tinam luatur hoc cruore: sæpius
V tinam liceret sanguinem profundere, &
H ic si parentum, & ciuium sita est salus,
I n me furoris impetum, ac iræ tuæ
P er mille mortes sæpius deflectere.
A t tu sacerdos quid metuis? (etenim metu
G elido tremebat) ades, & hanc luce exime
A nimam: morantem solue corporis obicem:
P opulum, parentem, meq; voto libera.

V t hæc locuta est, ille iamdudum parens
V isus cruentus, sæuiorq́; tigride,
O culos amictu lacrymis madens tegit,
S eseq́; damnans, votaq́; temeraria.
F letu sacerdos obrutus vix soluere
A nimæ meatus potuit, & mœsto diu
T aciturna turba torpuit silentio.
V t vocis autem peruium patuit iter,
N on ille genitus, esse nec qualis solet
F remitus doloris, atq; lamentatio,
S ed concionis gratulantis murmure
C onfusa turba, teq; prædicantium
A duersa sortis inter aspræ vulnera.
E t blandientis læta dona fœminam
V nam beatam maximè, & miserrimam.
N am plaga quanuis altè ad ossa sederit,
M agni doloris magnum habes solatium.
S olamen ipso luctuosius malo,
Q uod leniendo exasperat malum vetus,
L uctusq; acerbi memoriam semper nouans
R educta cogit vulnera recrudescere:
Q uo fortiore nata tulit animo necem,
H oc angit animum tristior meum dolor.

**
*

ARGV-

ARGVMENTVM IN IEPHTEN
Buchan. Car. Vtenhouio F. Auctore.
Ad Lucretiam Morellam.

Fortè Galaddidæ, patris post Funera, Fratres
Dicere, Cede domo, non habuere nefas:
Iure cohæredem sibi scilicet esse negabant,
Supposita fratrem de genitrice nothum.
Ille latrocinijs inopem traducere vitam
Cœpit, & in castris æra merere nouis.
Iamq́; sui specimen cum terq́; quaterq́; dedißet
Roboris, & dextræ Martis ad arma bonæ:
Dux & ab Isacidis consanguineisq́; creatus
Fertur in aduersos protinus Ammonidas,
Iam propè vicenis hos qui crudeliter annis
Compulerant famulo subdere colla iugo.
Ergo profecturus: Si victor ab hoste rediret,
Victima victrices imbuet ille manus
Quisquis erit (voti fuit hæc sententia) primus
Ille domo qui fors egredietur, ait.
Prima reuertenti ruit obuia filia Iephtæ
Vnica, victori victima fitq́; patri.

Lectori. Typographus.

Ne quid Buchanani quod quidem extet alibi, iure desideres Lector, quicquid corradere ab eo vel inuectum vel e græcis translatum vsquam potuimus, in vnum (quod aiunt) fascem coniectum, tibi offerimus, dum reliqua, quorũ nobis ab auctore facta spes est, à Buchan. propediè mittẽda expectamus. Vale.

ΣΙΜΩΝΙΔΟΥ ΙΑΜΒΟΙ.

Ἐκ τῶν παρὰ τῷ στοβαίῳ ἐν τῷ ψόγῳ τῶν γυναικῶν.

Χωρὶς γυναικὸς θεὸς ἐποίησεν νόον
Τὰ πρῶτα, τὴν μὲν ἐξ ὑὸς τανύτριχος,
Τῇ πάντ' ἂν οἶκον βορβόρῳ πεφυρμένα
Ἄκοσμα κεῖται, καὶ κυλινδεῖται χαμαί.
Αὐτὴ δ' ἄλουτος ἄπλυτός τ' ἐν εἵμασιν,
Ἐν κοπρίῃσιν ἡμένη πιαίνεται.
Τὴν δ' ἐξ ἀλιτρῆς θεὸς ἔθηκ' ἀλώπεκος
Γυναῖκα πάντων ἴδριν, οὐδέ μιν κακῶν
Λέληθεν οὐδὲν, οὐδὲ τῶν ἀμεινόνων.
Τὸ μὲν γὰρ αὐτῶν εἶπε πολλάκις κακὸν,
Τὸ δ' ἐσθλόν. ὀργὴν δ' ἄλλοτ' ἀλλοίην ἔχει.
Τὴν δ' ἐκ κυνὸς λιτοεργὸν αὐτομήτορα
Ἣ πάντ' ἀκοῦσαι, πάντα δ' εἰδέναι θέλει,
Πάντῃ δὲ παπταίνουσα καὶ πλανωμένη
Λέληκεν, ἢν καὶ μηδέν' ἀνθρώπων ὁρᾷ,
Παύσειε δ' ἄν μιν οὔτ' ἀπειλήσας ἀνὴρ,
Οὐδ' εἰ χολωθεὶς ἐξαράξειεν λίθῳ
Ὀδόντας, οὐδ' ἂν μειλίχως μυθεύμενος,
Οὐδ' εἰ παρὰ ξείνοισιν ἡμένη τύχῃ.
Ἀλλ' ἐμπέδως ἄπρηκτον αὐονὴν ἔχει.
Τὴν δὲ πλάσαντες γηΐνην Ὀλύμπιοι
Ἔδωκαν ἀνδρὶ πονηρόν. οὔτε γὰρ κακὸν
Οὔτ' ἐσθλὸν οὐδὲν οἶδε τοιαύτη γυνή.
Ἔργον δὲ μοῦνον ἐσθίειν ἐπίσταται.
Χ' ὤταν κακὸν χειμῶνα ποιήσῃ θεὸς,
Ῥιγῶσα δίφρον ἄσσον ἕλκεται πυρός.

Τὴν

SIMONIDIS IAMBI.

Ex Stobæi Miſcellaneis de mulierum vituperio, Georg. Buchanano Interprete.

Primùm ſeorſim à fœmina mentem Deus
Creauit: illam ex hiſpida ſetis ſuæ,
Cui cuncta cœno fœda ſordido domi
Humi ſuppellex turpiter prouoluitur.
Illota & ipſa ueſte turpis, ſqualida
Pingueſcit alto deſidens in ſtercore.
Aliam è ſceleſta uulpe formauit Deus,
Quæ cuncta nouit, nec boni quicquam aut mali
Ignorat. hec in genere plurimum boni
Ineſt, maliq; plurimum: ac ſæpe temere
Modò huc, modò illuc flectit ira mobilis.
Alia parentem moribus refert canem,
Maledica, cuncta audire, cuncta cernere
Intenta, & acri cuncta figens lumine,
Paßim errat: & ſi neminem conſpexerit
Oblatrat. hanc uir nec minis compeſcere
Queat, nec ira turgidus ſi excuſſerit
Ei ſilice dentes, nec ſuaui blandiens
Sermone, nec ſi ſedeat inter hoſpites:
Sed pertinaci iurgio incaſſum furit.
Hanc fabricarunt terream Dij, inutile
Onus marito, nec boni quicquam aut mali
Quæ norit: unum id docta tantùm, grauiter
Comeſſe: & algens bruma quum induxit niues
Horrens, ſedile propius ad focum admouet.

Τὴν δ' ἐκ θαλάσσης ἐν φρεσὶν γ' ἤδη νόει,
Τὴν μὲν γελᾷ τε καὶ γέγηθεν ἡμέρην.
Ἐπαινέσει μιν ξεῖνος ἐν δόμοις ἰδὼν,
Οὐκ ἔστιν ἄλλη τῆσδε λωΐων γυνὴ
Ἐν πᾶσιν ἀνθρώποισιν, οὐδὲ καλλίων.
Ἡ δ' οὐκ ἀνεκτὸς οὐδ' ἐν ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν
Οὔτ' ἆσσον ἐλθεῖν, ἀλλὰ μαίνεται τότε
Ἄπλητον, ὥσπερ ἀμφὶ τέκνοισιν κύων,
Ἀμείλιχος δὲ πᾶσι, κἀποθυμία
Ἐχθροῖσιν ἶσα καὶ φίλοισι γίγνεται.
Ὥσπερ θάλασσα, πολλάκις μὲν ἀτρεμὴς
Ἕστηκ' ἀπήμων, χάρμα ναύτῃσιν μέγα
Θέρεος ἐν ὥρῃ, πολλάκις δὲ μαίνεται
Βαρυκτύποισι κύμασιν φορευμένη.
Ταύτῃ μάλιστ' ἔοικε τοιαύτη γυνὴ
Ὀργήν. φυὴν δὲ πόντος ἀλλοίην ἔχει.
Τὴν δ' ἔκ τε σποδιῆς καὶ παλιντριβέος ὄνου,
Ἡ σύν τ' ἀνάγκῃ σύν τ' ἐνιπῇσιν μόγις
Ἔρξε γοῦν ἅπαντα καὶ πονήσατο
Ἀρεστά. τόφρα δ' ἐσθίει μὲν ἐν μυχῷ
Προνὺξ προῆμαρ, ἐσθίει δ' ἐπ' ἐσχάρῃ.
Ὁμῶς δὲ καὶ πρὸς ἔργον ἀφροδίσιον
Ἐλθόντ' ἑταῖρον ὁντινοῦν ἐδέξατο.
Τὴν δ' ἐκ γαλῆς, δύστηνον οἰζυρὸν γένος.
Κείνῃ γὰρ οὔ τι καλὸν, οὐδ' ἐφίμερον
Πρόσεστιν, οὐδὲ τερπνὸν, οὐδ' ἐράσμιον.
Εὐνῆς δ' ἀδηνής ἐστιν ἀφροδισίης,
Τὸν δ' ἄνδρα τὸν παρόντα ναυσίῃ διδοῖ.
Κλέπτουσα δ' ἔρδει πολλὰ γείτονας κακὰ,
Ἄθυστα δ' ἱρὰ πολλάκις κατεσθίει.
Τὴν δ' ἵππος ἁβρὴ χαιτήεσσ' ἐγείνατο,

Ἣ δούλι'

Nunc animum ad illam uerte quæ nata est mari,
Modò læta totum gaudet ac ridet diem,
Vt hospes illam laudet intuens domi,
Nullamq; iuret fœminam usquam gentium
Bonis honestisq; hac priorem moribus.
Aliâs nec ulli facilis aspici, neq;
Patiens adiri propius, indomitumq; furit,
Ceu fœta catulis accubans teneris canis,
Insuauis, aspra, tristis, ex æquo hostibus
Eadem atq; amicis: instar instabilis freti,
Quod nunc per æstum leniter stratum iacet
Fluctu quieto & gaudium nautis parit:
Plerumq; uasto sæuiens cum murmure
Attollit undas. illius planè refert
Quæ nata ponto fœmina est imaginem,
Ingenio, & ira, ceu fretum, mutabili.
E cinere & asina exercita molestijs
Effecta, tandem uix coacta ui & minis,
In officio erit. desidens in angulo
Noctem diemq; se cibis ingurgitat,
Focumq; sese propter etiam ingurgitat.
Ad Veneris autem furta amicum quemlibet
Aduentitantem suscipit promiscuè.
Mustela genuit aliud infelix genus,
Miserumq;, formæ nulla cui sit gratia,
Nil suaue, nulla illecebra, nil amabile,
Inane amoris atq; mansuetudinis:
Et coniugalis negligens tori, uiro
Præsente, acerbo nauseat fastidio:
Furtisq; multis noxia est uiciniæ,
Nec dum immolatis uescitur etiam sacris.
Aliam equa molli genuit exultans iuba.

Η δόλι᾽ ἔργα καὶ δύην περιτρέπει,
Κ᾽ οὔτ᾽ ἂν μύλης ψαύσειεν, οὔτε κόσκινον
Αρειεν, οὔτε κόπρον ἐξ οἴκου βάλοι.
Οὔτε πρὸς ἴπνον ἀσβόλην ἀλευμένη
Ιζοιτ᾽, ἀνάγκῃ δ᾽ ἄνδρα ποιεῖται φίλον.
Λοῦται δὲ πάσης ἡμέρης ἀπὸ ῥύπον.
Δὶς, ἄλλοτε τρὶς καὶ μύροις ἀλείφεται.
Αεὶ δὲ χαίτην ἐκτενισμένην φορεῖ
Βαθεῖαν, ἀνθέμοισιν ἐσκιασμένην.
Καλὸν μὲν οὖν θέαμα τοιαύτη γυνὴ
Αλλοισι, τῷ δ᾽ ἔχοντι γίγνεται κακὸν,
Ἢν μή τις ἢ τύραννος, ἢ σκηπτοῦχος ᾖ,
Οστις τοιούτοις θυμὸν ἀγλαΐζεται.
Τὴν δ᾽ ἐκ πιθήκου· τοῦτο δὴ διακριδὸν
Ζεὺς ἀνδράσιν μέγιστον ὤπασεν κακόν.
Αἴσχιστα μὲν πρόσωπα. τοιαύτη γυνὴ
Εἶσιν δι᾽ ἄστεος πᾶσιν ἀνθρώποις γέλως.
Επ᾽ αὐχένα βραχεῖα κινεῖται μόγις,
Απυγος, αὐτόκωλος. αὖ τάλας ἀνὴρ
Οστις κακὸν τοιοῦτον ἀγκαλίζεται.
Δήνεα δὲ πάντα καὶ τρόπους ἐπίσταται,
Ωσπερ πίθηκος, οὐδέ οἱ γέλως μένει.
Οὐδ᾽ ἄν τιν᾽ εὖ ἔρξειεν, ἀλλὰ τοῦθ᾽ ὁρᾷ,
Καὶ τοῦτο πᾶσαν ἡμέρην βουλεύεται,
Οκως τί χ᾽ ὡς μέγιστον ἔρξειεν κακόν.
Τὴν δ᾽ ἐκ μελίσσης, τήν τις εὐτυχεῖ λαβών.
Κείνῃ γὰρ οἴῃ μῶμος οὐ προσιζάνει,
Θάλλει δ᾽ ὑπ᾽ αὐτῆς κἀπαέξεται βίος.
Φίλη δὲ σὺν φιλοῦντι γηράσκει πόσει,
Τεκοῦσα καλὸν κ᾽ οὐνομάκλυτον γένος
Κἀριπρεπὴς μὲν ἐν γυναιξὶ γίγνεται

Πάσῃσι

Fugitans laboris & operum hæc seruilium est:
Nec admouebit aut molæ manum, aut cribrum
Tollet, domo nec efferet sordes, neq;
Furno aßidebit: uerita ne fuligine
Contaminetur. se coacta coniugi
Simulat amicam: bis quotidie, interim
Ter abluit se, & spargit unguentis, comam
Densam per humeros fusa, flore uerticem
Vmbrata, pulchrum cæteris spectaculum,
Miserum marito: ni tyrannus quispiam
Sit, rexue, gaudens apparatu huiusmodi.
Hæc è parente simia est: qua Iupiter
Non tribuit homini pestilentius malum.
Huic singularis oris est deformitas:
Gradiens per urbem risui est paßim omnibus
Ceruice circum uix caput flectit breui,
Depygis, arens oßeis crurum artubus.
O' tale monstrum quisquis amplexu fouet
Miserum maritum. callet instar simiæ.
Mentesq; moresq; omnium: nec soluere
Risu ora curat, nec studet quicquam boni
Facere: sed unum id cogitat totum diem
Secumq; uersat, arte qua tandem scelus
Designet aliquod maxime nefarium.
Ex ape creatæ coniugis felix uir est,
Quæ sola nulli crimini est obnoxia,
Vitamq; longam & floridam facit uiro,
Charoq; chara consenescit coniugi,
Fœcunda pulchræ & splendidæ propaginis
Interq; cunctas fœminas spectabilem

Πάσῃσι, θείη δ' ἀμφιδέδρομεν χάρις.
Οὐδ' ἐν γυναιξὶν ἥδεται καθημένη,
Οκου λέγουσιν ἀφροδισίους λόγους.
Τοίας γυναῖκας ἀνδράσιν χαρίζεται
Ζεὺς τὰς ἀρίστας καὶ πολυφραδεστάτας.
Τὰ δ' ἄλλα φῦλα ταῦτα, μηχανῇ Διὸς
Εστιν τε πάντα καὶ παρ' ἀνδράσιν μένει.
Ζεὺς γὰρ μέγιστον τοῦτ' ἐποίησεν κακὸν
Γυναῖκας, ἤν τι καὶ δοκῶσιν ὠφελεῖν,
Εχοντι τῷ μάλιστα γίγνεται κακόν.
Οὐ γάρ κοτ' εὔφρων ἡμέρην διέρχεται
Απασαν ὅστις σὺν γυναικὶ πέλλεται.
Οὐδ' αἶψα λιμὸν οἰκίης ἀπώσεται,
Εχθρὸν συνοικητῆρα δυσμενέα θεῶν.
Ανὴρ δ' ὅταν μάλιστα θυμηδεῖν δοκῇ
Κατ' οἶκον, ἢ θεοῦ μοῖραν ἢ ἀνθρώπου χάριν,
Εὑροῦσα μῶμον ἐς μάχην κορύσσεται.
Οκου γυνὴ γὰρ ἐστιν, οὐδ' ἐς οἰκίαν
Ξεῖνον μολόντα προφρόνως δεχοίατο.
Ητις δέ τοι μάλιστα σωφρονεῖν δοκεῖ,
Αὕτη μέγιστα τυγχάνει λωβωμένη,
Κεχηνότος γὰρ ἀνδρός. οἱ δὲ γείτονες
Χαίρουσ' ὁρῶντες καὶ τὸν ὡς ἁμαρτάνει.
Τὴν ἣν δ' ἕκαστος αἰνέσει μεμνημένος
Γυναῖκα, τὴν δὲ θατέρου μωμήσεται.
Ισην δ' ἔχοντες μοῖραν οὐ γινώσκομεν.
Ζεὺς γὰρ μέγιστον τοῦτ' ἐποίησεν κακόν,
Καὶ δεσμὸν ἀμφέθηκεν ἄρρηκτον πέδης.
Ἐξ οὗτε τοὺς μὲν ἀΐδης ἐδέξατο
Γυναικὸς εἵνεκ' ἀμφιδηριωμένους.

Ἐκ τ

Decore circum gratia ambit undiq;
Diuina: segnes nec frequentat circulos,
Vbi de Venereis fabulantur fœminæ.
Tales mulieres Iupiter longè optimas
Et singulari præditas prudentia
Præbet benignus & fauens mortalibus.
At reliqua genera callido Iouis dolo
Creata cuncta sunt, & apud homines manent.
Has nempe pestem Iupiter grauissimam
Produxit, etiam ut ferre siquid commodi
Videantur, ipsum id sit marito incommodum.
Nec integrum unquam transiget lætus diem
Qui cum muliere degit una: nec famem
Diram à familia contubernalem, deumq;
Hostem repellet facilè quum uir maximè
Animo uidetur lætus, aut fato deûm,
Aut hominis ergò tum reperta criminis
Occasione comparat se prælio.
Nam sicubi ædes uxor ullas incolit,
Nunquam hospes hilarè poterit illic excipi.
Quod si qua frugi existimetur maximè
Longè supra omnes illa damnosissima est,
Nempe oscitante coniuge: at uicinia
Lætatur errore eius. & nuptam ad suam
Animum retorquens quisq; laudat propriam,
Culpat alienam coniugem. cum cæteris
Nec esse parili sorte nos cognoscimus.
Nam maximum istud Iupiter genuit malum
Vinclumq; nodo strinxit insolubili:
Vnde explicauit Pluto morte plurimos
Mulieris ergò conserentes dexteras.

APVD

Ἐκ τοῦ παρὰ τῷ αὐτῷ, ἐν τῷ περὶ τοῦ βίου, ὅτι βραχὺς καὶ εὐτελής.

Ὦ παῖ, τέλος μὲν Ζεὺς ἔχει βαρύκτυπος
Πάντων ὅσ' ἐστὶ, καὶ τίθησ' ὅπῃ θέλει.
Νόος δ' ἐπ' ἀνθρώποισιν οὐκ ἐφημέροις
Ἔστ', ἀλλ' ἐφημέριοι βροτοὶ δὴ ζώομεν,
Ὅπως ἕκαστον ἐκτελευτήσῃ θεός.
Ἐλπὶς δὲ πάντας κάλλεσιν θέειν τρέφει,
Ἄπρηκτον ὁρμαίνοντας, οἱ μὲν ἡμέρην
Μένουσιν ἐλθεῖν, οἱ δ' ἐτέων περιτροπάς.
Νέωτα δ' οὐδεὶς ὅστις δοκεῖ βροτῶν
Πλούτῳ τε κ' ἀγαθοῖσιν ἵξεσθαι φίλον.
Φθάνει δὲ τὸν μὲν γῆρας ἄζηλον λαβὸν,
Πρὶν τέρμ' ἵκηται. τοὺς δὲ δύστηνοι νόσοι
Φθείρουσι θνητῶν. τοὺς δ' Ἄρει δεδμημένους
Πέμπει μελαίνης Ἀΐδης ὑπὸ χθονός.
Οἱ δ' ἐν θαλάσσῃ λαίλαπι κλονεύμενοι
Καὶ κύμασιν πολλοῖσι πορφυρῆς ἁλὸς,
Θνήσκουσιν, εὖτ' ἂν μὴ δυνήσωνται ζώειν.
Οἱ δ' ἀγχόνην ἅψαντο δυστήνῳ μόρῳ,
Κ' αὐτάγρετοι λείπουσιν ἡλίου φάος.
Οὕτω κακῶν ἄπ' οὐδὲν, ἀλλὰ μυρίαι
Βροτοῖσι κῆρες, κ' ἀνεπίφραστοι δύαι,
Καὶ πήματ' ἐστίν, εἰ δ' ἐμοὶ πιθοίατο,
Οὐκ ἂν κακῶν ἐρῶμεν, οὐδ' ἐν ἄλγεσι
Κακοῖς ἔχοντες θυμὸν αἰκιζοίμεθα.

Παρὰ τῷ αὐτῷ ἐν τοῖς παρηγορικοῖς.

Τοῦ μὲν θανόντος οὐκ ἂν ἐνθυμοίμεθα,
Εἴ τι φρονοῖμεν, πλεῖον ἡμέρας μιᾶς.

Apud eundem in tractatu De breuitate vitæ.

G. B.

PEnes tonantem est exitus rerum Iouem
Fili, arbitratu cuncta qui gerit suo.
At mens hominibus nulla momentaneis
Est, in diem'q; uiuitur mortalibus,
Prout quid'q; numen singulis finiuerit,
Dum uana blandis interim spes somnijs
Fouet uniuersos uana uoluentes diem
Expectat iste crastinum, ille plurimas
Messes: nec ullus non sibi mortalium
Promittit bonum'q; & opulentum proximum
Annum. sed alium tristis ante terminum
Mors occupauit: morbus alium lugubris
Extinguit. alios Martio in certamine
Domitos nigrantes pluto mittit ad domos:
Alijs procellis æstuantis æquoris
Iactans supremum claudit unda spiritum.
Quos uita curis tristis exercet malis
Hi lacrimosa ad fata recto nexili
Solis relinquunt sponte lumen. sic mali
Immune nihil est, mille sed mortalibus
Parcæ minantur, ac inexplicabilis
Dolor & calamitas. si mihi tribuant fidem
Se nullus ultro cruciet indulgens malis,
Animum tenaci nec dolore exerceat.

Apud eundem in consolatorijs. G. B.

De luce cassis cor memoriam non supra
Vnum tenebit si cor habeamus, diem.

Apud

Παρὰ τῷ αὐτῷ, ἐν τῷ ὅτι ἀβέβαιος ἡ τῶν ἀνθρώπων εὐπραξία.

Πάμπαν δ' ἄμωμος οὔτις οὔτ' ἀκήριος.

ΠΑΡΑ ΚΛΗΜΕΝΤΙ ΤΩ Ἀλεξανδρεῖ, Στρωμ. ς.

Γυναικὸς οὐδὲν χρῆμ' ἀνὴρ ληΐζεται
Ἐσθλῆς ἄμεινον, οὐδὲ ῥίγιον κακῆς.

ΠΑΡΑ ΤΩ ΣΤΟΒΑΙΩ, ἐν τῷ περὶ τοῦ βίου ὅτι βραχύς.

Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι μένει χρῆμ' ἔμπεδον αἰεί,
Ἓν δὲ τὸ κάλλιστον Χῖος ἔειπεν ἀνήρ,
Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν,
Παυροί μιν θνητῶν οὔασι δεξάμενοι
Στέρνοις ἐγκατέθεντο. πάρεστι γὰρ ἐλπὶς ἑκάστῳ
Ἀνδρῶν, ἥτε νέων στήθεσιν ἐμφύεται.
Θνητῶν δ' ὄφρα τις ἄνθος ἔχει πολυήρατον ἥβης,
Κοῦφον ἔχων θυμὸν πόλλ' ἀτέλεστα νοεῖ.
Οὔτε γὰρ ἐλπίδ' ἔχει γηρασέμεν, οὐδὲ θανεῖσθαι,
Οὐδ' ὑγιὴς ὅταν ᾖ, φροντίδ' ἔχει καμάτου.
Νήπιοι οἷς ταύτῃ κεῖται νοὸς, οὐδέ τ' ἴσασιν
Ὡς χρόνος ἔσθ' ἥβης καὶ βιότου ὀλίγος
Θνητοῖς. ἀλλὰ σὺ ταῦτα μαθὼν βιότου ποτὶ τέρμα
Ψυχῇ τῶν ἀγαθῶν τλῆθι χαριζόμενος.

AD EVNDEM. DE INCERtitud. felicit. humanæ. G.B.


Nec ullus expers criminis nec mortis est.

APVD CLEMEN. ALEXAND. Strom. libro sexto G. B.

Muliere nulla res uiro præstantior
Bona euenire, nil mala peius potest.

APVD STOBAEVM, IN tract. De uitæ breuitate eodem Buchan. interpr.

Rebus in humanis nulla est constantia certa:
Veridico uates Chius ut ore canit,
Non minus est folijs hominum gens fluxa caducis.
Pauci ubi ceperunt auribus ista, suis
Pectoribus fixere, animis namq; indita quondam
Spes teneris blandè credula corda fouet.
Et dum læta uiret iucundo flore iuuenta,
Percussant animos irrita multa leues.
Nec senium mortemue pauet: neq; corpore sano
Prouida uenturi cura doloris adest.
O malè stultorum mens credula, qui breuis æui
Tempora non norint quàm fugitiua uolent.
At tu præmonitus nigræ ad confinia mortis
Lætus age, & genio gratificare tuo.



ADRIANI TOR-
NEBI REGII GRÆCÆ

*Philosophiæ, dum vixit, Profes-
soris variorum poema-
tum Silua.*

IN ADRIANVM TORNEBVM
Ex allusionum ad illustrium Virorum totius Europæ nomina
libro. C. V.

Niteris auctorũ Tornebe quod inclyte prauos,
Et malè tornatos explicuisse locos,
Quis tibi de facili neget indita nomina torno?
Nanq; malos facili corrigis arte libros:
TOR. *Ebr.* *Impiger explores, studioq; quod omnia lustres,*
Nominis exclamat syllaba prima tui.

In eundem.

AD GEORG. BVCHANAnum *suum.*

Aonidum dictus tibi gloria rara sororum
TORNEBVS, *haud alio debuit ore cani.*

CAR. VTEN-
houius F.

ADRIANI TORNEBI variorum Poematum Silua.

DE PROVENTV POETA-rum *Calisio capto.*

Calisium quidni possis Helicona vocare?
Quo capto vatû est tantus in vrbe chorus?
Quæ modo vix tacitis mussabāt tecta susur-
Vndiq; cygnæo carmine pulsa sonant. (ris,
Ipse loqui possum qui vix sermone soluto,
En conor certis nectere verba modis.
Si natura negat, facit exultatio versum:
Pesq́; sua nobis sponte sub ora subit.
Corue poeta canes, fiesq́; poetria pica,
Altera si laudem laurus honora ferat.
Hoc meritum est, Errice tuum, tua laurea linguam
Erudit, & versus docta magistra venit.

PANEGYRIS DE Calisio capto.



Ertus inoffensæ vitæ cùm ducitur ordo,
Nec titubata tenor cōstās vestigia ponit,
Aduersis nec læta labāt, rubigine virtus
Obduci solet, atq; situ squallente notari,
Perpetuis torpere bonis & hebescere sueta:
Ast vbi lætorum seriem transuersa repentè

Interrumpit atrox sæuo fortuna tumultu,
Se virtus animosa mouet, segnemq́; veternum
Excutit, & terso tandem splendere nitore
Incipit, & vera sese ostentare figura:
Exuit & senium, viridem reparatq; iuuentam,
Anguis vti primo posuit qui vere senectam:
Insultusq́; graues euincit sortis iniquæ.
Ista sub inuicto latitat quæ pectore virtus
Bellipotens Errice tuo, quo clarior esset,
Elicienda fuit damnis, vt saucia toto
Conatu connixa, ferox assurgeret omnes
Protinus in vires, armisq́; vt frangeret hostem.
Vidimus infando percußis vulnere Francis,
Dißimulare metum proceres, & fingere vultum
Non potuisse, suo signare sed ore pauorem.
Consternata vijs totis diffisa saluti
Agmina communi, conspeximus vrbe migrare.
Iustitio indicto puteal sanctumq́; tribunal
Vidimus orbatum turba caruisse togata.
Aduentare hostes, lituosq́; sonare canebat
Indulgens falsi tanto in discrimine rumor.
Aspera quis verum non vltra finxit? & illis
Prona fides vltra solitum fuit: auctor habere
Is verus meruit, quisquis teterrima dixit.
His tua non deiecta gradu, rex maxime, virtus
Inconcussa locum tenuit, seq́; omnia contra
Intulit obnoxis animis & pectore firmo.
Hosti tunc acies intus, tunc bella coquebas:

Ingen-

Ingentesq; iræ tua tum præcordia flammas
Intus anhelabant, maioraq; cœpta parabant:
Lætitiamq; breuem diuturnaq; damna mouebas
Hostibus. Annus abit funesta strage cruentus:
Aequior at proprijs aperit tibi tempora fastis
Ianus, & in votum clades conuertit acerbas.
Crimen & inuidiam, meliori decesse, putauit:
Nec cœptis fauisse tuis, fouisseq; partes,
Dum nihil infractum bella instaurare tuetur.
In longum nec spem mittit, nec pendula torquet
Corda mora: matura tibi sed sistit opima
Præmia, quæ cupijt primis conferre calendis:
Nec fecisse piget, meritum nec luce dedisse,
Romuleos trabeæ solitæ qua tollere fasces.
Attamen ipsius pars anni vt nulla vacaret,
Occupat auspicijs ipsis vt inauguret eius
Prima rudimenta, atq; vt Francæ consecret aulæ.
Oceani segnes è gurgite purus Eoo
Extulit annus equos brumali sydere vernus,
Et sudum ostendens alieno mense serenum.
Prodierant pigris hybernis agmina tota,
Crispaq; per patulas vndabant signa nouales:
Clara dies hilarat penitus mauortia corda.
Imbuat vt miles nascentis protinus anni
Primitias virtute parat: tua Visus ausa
Concipit, Errice, & tua fortia iussa capessit,
Atque agmē rapit, vt quid proxima spondeat æstas,
Tum proludat hyems, spemq; hostib. auferat omnem,

Indicatq́; metum, diroq́; sub omine mergat.
Est locus extremis quà sunt confinia terris
Picardi & Flandri, Thetys quâ reflua ponti
Ambiguis vel inundat aquis, inundat arenas:
Et controuerso toties quæ limite cedit,
Vindicat alternis, seq́; in sua iura reponit:
Calisium haud priscis notum dixere minores.
Hîc angusta freti dirimunt discrimina Belgas,
Anglorumq́; latus, medijs quâ diuidit oras
Interfusus aquis pontus, compendia nautis
Traiectus monstrat breuis, & commercia mundi
Citro vltro iungit, strictas & plurima fauces
Mercibus Hesperijs onerata carina pererrat.
Terreus hîc olim campus, dum præpete cursu
Iccius aduersæ transmittit carbasa terræ
Portus, & ad reduces exporrigit ora faselos:
Dumq́; sinu Gessoriacum penetrare reducto
Longius, immissum penitus salis alluit æquor;
Nunc caua cæruleo quâ gurgite sæpe tenebat
Pinus iter, sulcos infindit durus arator,
Exercetq́; solum, glaucis regnataq́; diuis
Poßidet arua Ceres, campi quaq́; antè natabant,
Turrita Audomarum muri cinxere corona.
Calisij sedem pòst optauere coloni,
Et legere locum laribus: tum paupere cultu,
Et temere extructis, rudibusq́; mapalibus illum
Insedere, casisq́; & agresti culmine vicum.
Anglos dein veritus pinnis atq; aggere firmat

Fran-

Francus, & æquoreo voluit confidere claustro.
Proh pudor, obscœnum posthæc incesta maritum
Vxor Aquitanis dotalibus inuehit aruis,
Et te Picto dicat, propriumq́; adiudicat Anglo:
Colliditq́; domos, iurataq́; bella quietis
Inspirat populis, regum communis Erinnys.
Non sic tartareis Alecto emissa cauernis,
Armaret gentes odijs & bella cieret.
Anglum etiam proauita mouet Normania: nanq;
Eiectum grauiter Franci se vindicis armis
Patroniq; dolet: potiorem iactat iniquo
Assertore pium tam longa sanguinis esse
Hæredem serie, repetitq; à stemmate iura.
Ille etiam Francæ cupit aspirare tiaræ:
Testaturq́; genus maternum, humanaq; iura,
Pollutam queriturq́; fidem, legemq́; tuetur
Francus, lanificis quæ dextris regia sceptra
Abnegat, & molli vetat clanguescere sexu.
Calisium hinc longa capit obsidione, suoq́;
Fertilis vber agri Normana noualia Saxo
Adijcit imperio: solio tunc imminet vltro:
Et coniurato Burgundi Marte iuuatur,
Burgundi, qui patricia tum cæde cruentus,
Proditor ad seros commissa luenda nepotes
Transtulit, & cæde hac & proditione profanus:
Carolus vt tantam videt impendere ruinam,
Has disiungit opes, Burgundaq́; fœdera sancit.
Virginis hinc Anglos ductu (mirabile dictu)

Normani depellit ouans & Vasconis agro.
Hæsit in extrema celebris victoria meta,
Calisium tentare timet. Tu causa timoris
Angle, quòd vndenos sese reparârat in orbes
Luna prius, posses illa quàm sede potiri.
Cinxerat & vallo Burgundus & aggere frustra
Ista Errice tibi prouincia dura, relicta est.
Hanc tamen hyberni cùm pulsant æquora cauri,
(Auspice temperies sed numine verna refulsit)
Cùm nemorosa feras villoso tergore produnt
Frigoribus sua lustra, mari dum nauita cedit,
Rura gelu dum claudit hyems, dum segnis arator,
Omnia naturæ dum fœdere bella quiescunt,
Luce vrbem decma recipis felicibus armis,
Quam vix vndecimo mense expugnauerat hostis:
Luciferos nec tot numerat tua laurea felix,
Hostica quot lunas prior imputat: & tamen illum
Munierat natura locum, manus arte Cyclopum
Obuallârat, & à terris abstraxerat æquor
Immissum feruente lacu: sed & alueus æstu
Illabente maris, pleno se gurgite tollit.
Qualiter Euboicis exundat littus in oris,
Cùm tumet Euripus reuocatis concitus vndis:
Cumq; annus rapidi sentit monumenta leonis,
Nilus vt æstiua se mole superijcit aruis.
Censeres terris Neptuni auulsa tridente,
Cæruleis transmissa vadis fundamina cingi,
Vrbem telluri limes nisi iungeret arctus.

Hunc

Hunc ſcopulum quis quæſo capi ſponſore putaret
Poſſe Deo? certuſq; fidem quis nam arctor haberet?
Expugnare duces tibi, quorum nota Gradiui
Militia eſt virtus, Errice neceſſe, priuſquàm
Vrbem oppugnares, multis fuit vſq; diebus.
Tendebant contrà, quodq́; haud promitteret æſtas,
Credere nolebant hyemis glacialibus auris,
Quæ fouet obſeſſos, obſeſſoresq́; fatigat.
Cæſareis fortuna fauens conatibus, vt bis
Mediomatricum deprenſa eſt mœnibus, ac ſe
Inclementi hyemis tum tempeſtate repulſam
Indulgere ſuo nequicquam ſenſit alumno.
Ille ſuas afflixit opes, dum prouocat amens
Concretam glaciem nimboſq́, niueſq; laceſſit.
Is ſapit hoſtili quem facta pericula damno
Erudiunt. Erricus ad hæc, ſe fidere cœptis,
Augurioq́; animi quodam ſe impellier inquit.
Degenerem ſe ſcire hoſtem, quem effœminet illa,
Qua regitur malè fortis anus, triſtiſq; Megæra,
Supplicijs quæ ſæua ſuos immanibus olim
Fregit, & ingenitæ quod erat virtutis ademit:
Summaq́; decuſſit tondente papauera ferro:
Exilijs vel dira ſolum mutare coegit,
Fœmineæ reliquum quod ſeſe emancipet aulæ,
Vulgus iners, vileſq́; animæ, cædiq́; paratæ,
Ceu pecudes, conferre manum & pugnare peroſæ,
Quos proaui vicere mei ductrice puella,
Hos ego rugoſa vetula regnante timerem?

Ille Gynæceio pensisq; assuetus Iberus,
Delicijs qui totus hebet, luxuq; liquescit,
Faxo sua mihi cum Cleopatra Antonius amens
Expendat pœnas, & supplex arma recondat.
Ille leui afflatu fortunæ, credo, beatum
Se putat esse, tamen sit ei victoria faxo,
Non minus ac coniux sterilis, quo pendat eadem
Coniugium & palmam trutina, nec speret vtrinq;.
Carolus asseruit qui victo Saxone Francum,
Saxona Burgundumq; iugo disiunxit amico:
At me rapta iuuant geminato ex hoste trophæa:
Coniunxisse placet, semel vt defungier vno
Marte mihi, & gemino liceat clarere triumpho.
Frigore nec moueor: medijs aquilonibus alpes
Gentibus innumeris stipatus & agmine Pœnus
Annibal immenso, superauit, & obuia rupit.
Tunc passa est natura iugum, celsoq; minantes
Cœlo submisit scopulos, & iura recepit:
Atq; insessa hominum statione cacumina vidit
Ardua, pennigeris volucrum vix peruia seclis.
Quem populum terris imponere fata parabant,
Concussit labor ille ducis, populiq; ferocis
Pulsa loco est virtus, stratiq; cadauere campi.
Lydia Achæmenio sunt subdita regna tyranno,
Frigoribus dum sæuit hyems. non ipse serenos
Alcyonum despero dies, quibus æquora mulcet
Iuppiter, egelido cœlumq; tepore relaxat.
Nec nostros prohibere leue ac reparabile damnum

Successus

Succeſſus valet: offenſo illi quippe tenore
Fortius inſurgent maiori mole cohorti:
Amnis vti rapido qui creuit plurimus imbri,
Obice ſiſtit iter, mox eluctatur, inertes
Perrumpitq; moras, ſecumq; in prona volutat,
Quicquid obeſt victor, curſuq; citatior exit.
Acrior eſt virtus, quam ſuſcitat ira dolorq;: ‟
Irritata venit, quæ morſu ſaucia damni
Angitur, & quærit collectis viribus hoſtem.
Quare agite, & rapto, potitur quo perfidus Anglus,
Ceu ſpoliumq; oſtentat, & hac ceu vindice gleba,
Mancipij eſſe ſui contendit Francica ſceptra,
Vos hoſtem ſpoliate duces, actosq; profundo
Reddite iam toto diuiſos orbe Britannos.
Maxime Francigenûm cæleſtia, Viſius inquit,
Cuius in arbitrio ſunt lilia, terror Iberi,
Saxonis horror, amor patriæ, cui cedet iniquæ
Sortis acerba manus, ſe purgabitq; nocentem,
Quòd tua deſeruit, diuerſaq; caſtra ſecuta eſt.
En ego, quæ mandas, præſto ſum vt iuſſa capeſſam:
Auſpice te diuosq; tuos mihi dante ſecundos,
Aſpera militia haud fuerit, non ſi agmine celſas
Ipſe remetiri cogis brumalibus Alpes
Frigoribus, trepidamq; armis obſidere rurſus
Italiam: ſi regna iubes in Daunia bellum,
Seruiet hæc deuota manus: felicibus armis
Quæ ſceptris adiuncta tuis regna illa dediſſet:
Ni temerata fides illic, pollutaq; turpi

Fœdera sancta forent caupona, & perfidus hospes,
Aequato velut ancipites examine lances,
Inclinaßet eam in partem, propensius vnde
Auri pondus erat. nam dum serit ille morarum
In nectitq; dolos, dumq; insidiosa susurrat
Dißidij commenta, fidem & disiungit amicam,
Inspiratq; odium, & socialia distrahit arma,
De manibus fortuna meis elapsa receßit.
Nec tamen interea campo se comminus hostis
Opposuit, claususq; suis in mœnibus hæsit:
Degeneres veluti fouere cubilia siluis
Et latuere feræ. Nunc quæ mihi præcipis, illa
Exequar, extorrem trans & mare Saxona mittam:
Victorem & te Calisio præstabo recepto.
Tempus erat, quo bruma rigens graue frigus anhelat,
Threiciusq; solum Boreas atq; asperat vndas,
Et quo constrictis durescunt flumina crustis,
Calcanturq; rotis, insultanturq; pedum vi,
Congerie quo ligna focis coniecta cremantur,
Et vix horrentem defendimus aera tectis:
Sed simul ac campis crispi fulsere dracones,
Et legio egressa est, quæ milite cingeret vrbem:
Ipsa repens desæuit hyems, frigusq; remittit,
Vernaq; temperies non sueto sydere ridet.
Ille sator rerum reducem qui temperat annum,
Qui nouat æstates, reuocat qui verna serena,
Qui rigidas hyemes, autumnum quiq; nocentem
Certa lege refert, mutauit fœdera rerum,

Atq;

Atq; vices, properata tibi qui verna reduxit
Tempora, & ante diem brumalia frigora soluit.
Hunc cœptis fauisse tuis non vlla fuisset
Aestatis tam certa fides, nec signa dedisset
Tam manifesta tuis, rigidas ac quando pruinas
Corpore semifero semper Capricornus anhelans,
Lenior incubuit terris, aurasq́; niuales
Discußit, lætumq́; afflauit veris honorem.
Augurijs alijs quid opus? præsagia diuûm
Quænam alia explorare cupis mage fida fauentum?
An defixa polo solis rota clara, diemq́;
Longius extendens, stantesq́; experta iugales,
Certius affirmet rex numina rebus adesse
Fausta tuis? horrenda gelu tibi bruma remisso
Ecce tepet, sternitq́; tuæ placida æquora claßi:
Et venit ad partes vltro, inuitatq́; morantes:
Frigora dedidicit, tempestatesq́; remouit.
Non tam præsentes potuisses noscere diuos,
Commoda legisses si tempora: militat æther
Auspicijs, Errice, tuis, mundiq́; sequuntur
Ipsa elementa deos, & coniurata fauorem
Commodat insolito moles operosa sereno.
Hæc animos hosti frangunt: tibi cernit amicos,
Quos timet aduersos diuos: & sperat iniquos,
Quos æquos videt esse tibi: præiudicat annum
In reliquum tam mitis hyems decurrere votis
Tempora grata tuis. si quid tentauerit hostis,
Obruet aut pelago naues nimbosus Orion,

Aut

Aut hærebit iners legio pluuialibus hœdis:
Signa mouere loco nec erit, nec vellere plantam:
Aenea voluenti nec agetur machina curru.
At legio pugnam, cœli defeſſa procella,
Si tentet, tibi terga dabit cædenda, neciq́;
Marte tuo data ſternet agros, & clade notabit
Profligata locum, ſeriſq; ne potibus edet.
Viſius, vt iuſti, crebris ſtationibus vrbem
Obſidet, Euripi quâq́; vnda reciproca cingit
Arcem, tormentis muriſq́; atq; aggere firmam,
Verbere crebra quatit: tum rauca tonitrua vicit
Murales torquens immani pondere glandes
Machina: fulminea non ſic ſe lampade vecors
Salmoneus iactauit ouans, talemq́; fragorem
Non dedit, æthereos quando affectauit honores.
Illicet ingenti muri patuere ruina.
Corripiunt aditum duo mox fortiſsima belli
Robora, reſtantem cupidi expugnare cohortem,
Strozius Aumaluſq́;, loco mox pellitur Anglus,
Cedit & arce: manu qui ſi contenderet hilum,
Mox maris illapſius vel noſtros mergeret æſtus:
Aut interceptos diuiſoſq́; obice ponti,
Hoſti mactandos miſeranda morte dediſſet.
Temporis hoc de te breue decernebat & hoſte
Momentum: articulo hoc victor victuſq́; dabatur.
Propugnaſſet enim aduerſa pro parte tumeſcens
Pontus, & euerſæ labem ſarcire ruinæ
Impreſſa foſſa licuiſſet & aggere iacto:

Spes

Spes & adempta foret potiundæ funditus vrbis,
Si qua animo virtus Anglo roburq; fuisset.
Horæ sextantem qui si durasset in hostem,
Vicerat: aduersum sed enim duo fulmina Martis
Strozius Aumalusq; loco pepulere feroces,
Arceq; præcipitem exturbant, funduntq; fugantq;
Postmodò flagitij tanti sed pœnitet Anglum,
Præsidiumq;, animis pelagi feruore receptis,
Distractum medijs interlabentibus vndis
A castris, tentare parat, pugnamq; lacessit.
Merserat Oceano rutilum nox humida solem:
Sublustri sed clara polo Diana micabat:
Illa acies sæui mutata sorte pericli,
Sublimi è specula cœli concurrere cernit:
Qualis Olympiaca sedet olim in gymnade iudex,
Solennes referunt sacra cùm quinquennia ludos:
Qui prius obsessi fuerant, obsidere certant.
Sed potior Francus quæsita laude locoq;:
Anglus at inferior concessa laude locoq;.
Saxone Franci animos attollit adorea pulso:
Attamen irritant nihilominus acriter Anglum,
Natiq;, vxoresq;, laresq;, aræq;, sociq;,
Atq; abolere parat desertæ dedecus arcis.
Illam multa viri per noctem fortia miscent
Vulnera: tormentis volucris pila nulla quiescit,
Non validis excussa toris lætalis arundo,
Liuida tartareo non glans explosa boatu,
Non tela aut ignes cessant, non mucro coruscus,

Plura refers tamen Angle loco congressus iniquo
Vulnera, Francorumq; tui sub Marte manipli
Multa cæde cadunt, vultumq; auertis ab hoste.
Interea prodit tenebris aurora fugatis,
Albescitq; dies, refugusq; relabitur æstus.
Tum verò haud dextra Saxo defendere fisus
Vrbem, velatis manibus, modò viuere pactus,
Omnia Visiade diuina humanaq; dedit.
Regina vt captam mox nuntius attulit vrbem,
Regalem lacerauit amictum, & pectora planxit,
Perditaq; damnauitq; diem, vesciq; negauit,
Et cœtum auersata hominum penetrale petiuit
Multa gemens, diro peregrinas omine thædas
Execrans, pepigit quas nobilitatis iniquis
Infestisq; animis plebis, tum perfida misso
Iuratum violasse dolens interprete belli
Fœdus, & Hispanis interuenisse periclis.
Hîc furias malè sana vocat, quibus acta duellum
Indixit: vocat & Bellonam, Erebumq; chaosq;
Ingeminat, miseram cupiens abrumpere vitam.
Tres illam perhibent secretam ex ordine luces,
Et totidem noctes potu caruisse ciboq;:
Ieiunis quarta vix faucibus admouet escas
Luce: quod at vitæ reliquum est exhauriat, optat
Nobilitas plebesq; & sontem deuouet Orco:
Quæ rupto infaustum contraxit fœdere bellum,
Exteraq; indigenis spretis connubia legit,
Regia vt Hispanis enuberet Anglica sceptris,

Contempta

Contempta gente externo transcripta colono.
Sæpius ista fremunt: paulatim gliscere cruda
Seditio, & sæuire animis ignobile vulgus,
Atq; orbes glomerare, odijq; accendere causas,
Regibus & multis cæsis gens illa cruenta,
Principis & superis consueuit morte litare,
Publica in exitium conuertens damna potentum:
Dedendam esse neci clamant, eiusq; piandam
Interitu cladem: hic quorum scelerata propinquos
Sustulerat, stimulos addunt, acuuntq; furorem.
Dij facerent vna caderent vt compare plaga,
Coniugio iuncti rex & regina sinistro:
Fœmineus ferrum cruor haud satis imbuet: ille
Accedat iugulus, quo fœmina capta nocente est,
Ad bellumq; impulsa: caput luat illud Iberi,
Quod patrauit opus: Si non pote, fœmina saltem
Calisio inferias functo sanguine mittat.
Qua diuos, Errice, tibi pietate secundos
Tam meruisse potes, faciles vt vota quod vltra est
Donent? Calisium sat erat tibi Marte receptum:
Hoc cumulant meritum Anglorum ciuilibus armis,
Et reginæ odio, Burgundum & fœdere rupto
Exarmant, pronum vinci minimeq; rebellem,
Consociet nisi castra, suo tueatur & auro
Anglus, qui socijs abscedet protinus armis.
Euentura loquor, firmabunt omnia diui.
Fortè nouis ingens animo successibus Astur,
Prospera cui lætos tulerant æstiua triumphos,

Inferiora dijs vt non sentiret, & vltro
Stellanti iaceret maledicta minacia cœlo,
Ocia fallebat lusu, Francosq; proteruis
Vsq; iocis amens lacerabat, & vsq; rogabat,
Nónne pruinosis gelidoq́; sub ætheris axe
Hybernis positis algeret Francus? & eius
Stiria in impexis durescerct horrida barbis?
Quem vapor æstiuus duræq́; offensio pugnæ
Percalefecißet, glacies nónne vreret æquè?
Quanquam tum insolito vernabat sydere cœlum.
Is simul ac captam, dum luderet, audijt vrbem,
Perculsus stupuit, gelidusq́; per ima cucurrit
Ossa tremor, steteruntq́; comæ & vox faucibus hæsit.
Dein ad se vt redijt, disiecit ludicra, & ægro
Pectore crebra gemens mœstus suspiria duxit:
Et singultanti querulam vocem edidit ore.
Armis men' positis deprensum & milite misso,
Improba destituis fortuna, atq; obijcis hosti?
Siccine de manibus nostris elapsa repentè est
Laurea? sic Francum nec belli incommoda frangunt,
Sæua nec horrentis remorantur frigora brumæ?
Meq; hyememq́; pari traductos ille triumpho
Victor aget: non ex facili certamine laudem,
Non æquo petit ille iugo, qui tempora victus,
Victoremq́; parat communi clade notare:
Hisq; triumphatis memori se tradere famæ,
Saxonibus quid dico? meæ quid dico Britannæ?
Quos ego composita felices ante quiete,

Inuitos

Inuitos placidam temerando rumpere pacem,
Iure prosanato & diuum pietate coëgi?
Ista manet merces illos, queis chara fuero
Commoda nostra magis, quàm sanctum fasq; bonumq;?
Religio nostris quis vilior vsibus? ecquem
Inuentam posthac facili qui peieret auso,
Imputet atq; mihi violatæ pignora dextræ?
Iamiam perfidiæ Parmensem pœnitet actæ,
Venit in Hesperiam si præpete fama volatu,
Talia quæ pernix momento remige penna,
Nuntiat auroræ populis, solisq; cadentis
Qui Maura stridere globum nugantur in vnda:
Nec paria euentis narrat, sed guttura mille
Soluit, & in maius damna omnia semper acerbat;
Etsi vix poterit lingua superare loquaci
Dedecus acceptum, & captæ infortunia sedis.
Hæc pelago imponit frenos, hæc cerula Nerei
Regia, ceratas cui fas parere carinas.
Imminet hæc Flandro, in ceruice & faucibus vrget,
Hæc diti exuuijs raptis ex hoste superba,
Primitijs delubra deûm ditabit opimis,
Curuabitq; tholos, ædesq; relinquet inanes
Quæstori, & nostri minuet compendia fisci:
Auertetq; tuas lembis Antuerpia merces,
Prædatrixq; auidi dirimet commercia mundi:
Treicio ceu qui metatus littore sedem,
Angustum bouis accoluit de nomine pontum.
Huc & ab Hesperio qui sueti & cardine Eoo

Tendere nauigijs, sistent iter, atq; quiescet
Orbis opes solitus Flandris portare cataplus.
Nec mihi consultum est exhausto sumptibus, vnde
Pugnaces reparare manus ad prælia poßim,
Venalesq́; tuas Teuto conducere dextras.
Gens conducta meres aduersis hospita castris:
Quæq́; gerunt alij pia, tu ciuilia bella
Sola facis, ferrumq; in ciuis viscera condis:
Dumq; alijs vincis, tibi vinceris: atq; iuuentus,
Quæ melius sancta pro relligione periret,
Lucro animam impendit, pretioq́; paciscitur hostem,
Testaturq́; hominum nunquam se deesse furori,
Ausa pharetrato non comminus ire tyranno:
Virq; in Christicolas, in Turcam fœmina pugnat.
Hæc ille immani consumptus corda dolore:
At parte ex alia, festis gaudere choreis
Francorum populus, vittis innectere diuos,
Et celebrare deûm delubra, & limina fronde
Spargere, & in cunctis ignes accendere vicis:
Lætitiamq́; agitare epulis cantuq́; iocoq́;.
Tum de te Visi quis non est grata locutus?
Burgundum quoties equitem memorare iuuabat,
Præcipiti dare terga fuga turmalibus alis
Antè coegisses: Metis sub mœnibus vtq́;
Ipse triumphalem fregisses Cæsaris axem.
Tu formidatum mundo, vinciq; negatum
Posse caput primus superas: Tu frangis equestres
Victor Scloporum cuneos ad Rentia castra:

Te

Te Belgæ timuere truces, te fortis Iberus:
Te prope Cæsarea fugit statione relicta
Carolus, vt trepidas vidit nutare cohortes.
Tu quoq; in Hesperiam magnam non agmine magno
Per medios hostes penetras, & salua reportas
Signa domum, iusto luctatus cum hoste, tuiq;
Cum capitis sectore, fidem qui prodidit auro
Perfidus, & socium nudauit milite pacto.
Nunc etiam extrema restantem in calce Britannum
Littorei Belgæ, maiorumq́; ora notantem,
Stigmaq́; inurentē, atq; vt compede regna prementē
Gallica, dux victum trans æquora glauca remittis,
Impingisq; vadis patriæ. nunc naufragus Anglus
Eiectusq́; miserq; suæ est illisus arenæ.
Qui vasti à nobis aberit discrimine ponti.
Præclarè fines Visi regis arbiter æquus.
Sæpius hæc iterant, satias nec carminis vlla.
Nec fratrem, cui purpureo velata galero
Tempora, prætereunt hilares, patriamq́; beatam
Esse pari fratrum celebrant, quorum arma tubasq́;
Alter obit, victor patriæ decus atq; reportat:
Consilijs vsuq́; togæ præstantior alter
Errici releuat curas, & corde capaci
Sufficit & musis, & rerum sustinet actus,
Partitumq́; vigil tempus dispensat vtrisq;:
Squallida Barbarico nec secula nostra veterno
Esse sinit, castas nec mendicare Camœnas.
Visius hinc pergit, raptoq́; citatius omni

Agmine, turritas ingenti mole Vinarum
Arces circundat pluteis, & verbere multo
Tormentorum, apices pinnasq́; & mœnia pessum
Deijcit, aggestumq́; solo mox æquat aceruum,
Iunctus erat muro qui terreus, hinc tuba cantu
Signa dat, atq́; acrem ciet ad certamina pubem.
Primus ibi ante omnes iuuenum comitante caterua.
Infers, Andellote, gradum, atq; inuadis in hostem:
Et comes accedit Memorantius inclitus, ambo
Felices, si non desideret iste parentem,
Tu fratrem, indignos duri quos alea Martis
Importuna fero captiuos traderet hosti.
Hos rapidus Rhodanus, vitreis hos Sequana limphis,
Hos liquidus Ligeris, flêrunt hos marmora ponti.
Mox ruit his ducibus tanto impete feruida pubes,
Quantus Hyperboreis Aquilo prolapsus ab antris,
Incumbit pelago, campisq́; natantibus instat,
Et possessa alijs sibi vindicat æquora ventis:
Quaq́; dedit sonitum, maria inclinata propellit.
Non hostes sufferre valent, metit efferus ensis
Saxonaq́; Hispanumq; trucemq́; ad barbara Belgã.
Sternitur omnis humus, cereali vt mergite paßim
Stratus ager, frugum expositis per rura maniplis.
Vnus vix tanto è numero tu, Grææ, superstes.
Seruatum lucro quàm cæsum impendere ferro
Maluit, & prædam quàm miles inane cadauer
Optauit potius: tu saluus vindice nummo.
Ista bifrons expensa tulit tibi munera Ianus,

Atq;

Atq; tuis annum ceptis, Errice, sacrauit,
Qui te tam large donauit pignore strenæ.
Successus vrgere tuos & adesse fauori
Cœlicolûm sis quæso memor: nunc hostis inermis
Militibus caret & nummis: occurrere diuis
Quid lentus cessas fautoribus? ánne relinques,
Quos faustos precibus votis & emacibus ante
Optâsses, fibra & pecudum censuq; mereri?
Esse duces cupiunt, comes hos vt passibus æquis
Ipse sequare, vide. tibi si, dum sæua procella
In regnis grassata tuas euerteret vrbes,
Hanc aliquis diuûm certò promitteret horam,
Credere vix posses: sed si tamen illa veniret,
Hostis perniciem iurares, contigit illa:
Inijcienda manus, ne mox præteruolet, hostis
Ille tuus ducit dum segnia tempora victor,
Se vinci sensit, lapsasq; resurgere partes.
Funestæ Latio manârant sanguine Cannæ,
Et Pœni modios cumulauerat annulus auro:
Dum tamen ille sedet, dum cunctaturq; vocanti
Fortunæ præsto esse comes, Romamq; iacentem
Respirare sinit, diuûm irrita munera sensit.
Nam velut excecto collo numerosior hydra,
Multiplicata suis damnis, violentior hostem
Creuit in aduersum, decus illi & frondis honoræ
Eripuit, victrixq; dijs solennia soluit.
Imperium est mundi iuuenis Pellæus adeptus,
Dum victis instat, dumq; omni à parte timetur;

Creditur & tergis hærere fugacibus, & dum
Hostibus improuisus adest, nec nuncius illum
Aduentare ferit rumor, venisse sed hostis
Conspicit oppreßus, nec fidit ad arma vocare.
Bella Dionæus quoq; fulminis ocyor alis
Cæsar, vt excußus balearis verbere fundæ
Geßit, vincendusq́; mora, fuit impete victor.

AD HENRICVM II. FRANcorum Regem inuictiss. De Caleto recepta.

Non parca fati conscia, Lubricæ
Non sortis axis sistere nescius,
Non siderum lapsus, sed vnus
Rerum opifex moderatur orbem.
Qui terram inertem stare loco iubet,
Aequor perennes voluere vortices,
Cœlumq́; nunc lucem tenebris,
Nunc tenebras variare luce.
Qui temperatæ sceptra modestiæ
Dat, & proteruæ frena superbiæ,
Qui lacrymis fœdat triumphos,
Et lacrymas hilarat triumphis.
Exempla longè ne repetam: En iacet
Fractusq́; & expes quem gremio suo
Fortuna fotum, nuper omnes
Per populos tumidum ferebat.

Nec

Nec tu, secundo flamine quem super
Felicitatis vexerat æquora,
HENRICE, *virtus, nescijsti*
Imbriferæ fremitum procellæ.
Sed pertinax hunc fastus adhuc premit,
Vrgetq́; pressum, & progeniem sui
Fiducia pari tumentem
Clade pari exagitat Philippum.
Te, qui minorem te superis geris,
Culpamq́; fletu diluis agnitam,
Mitis parens placatus audit,
Et solitum cumulat fauorem:
Redintegratæ nec tibi gratiæ
Obscura promit signa: sub algido
Nox Capricorno longa terras
Perpetuis tenebris premebat:
Rigebat auris bruma niualibus,
Amnes acuto constiterant gelu,
Deformis horror incubabat
Iugeribus viduis colono:
At signa castris Francus vt extulit,
Ductorq; Franci GVISIVS *agminis,*
Arrisit algenti sub arcto
Temperies melioris auræ:
Hyems retuso languida spiculo
Vim mitigauit frigoris asperit,
Siccis per hybernum serenum
Nube caua stetit imber aruis.

Strauit quietis æquora fluctibus
Neptunus, antris condidit Aeolus
Ventos, nisi Francas secundo
Flamine qui veherent carinas.
Per arua nuper squalida, & ignibus
Adhuc Britanni penè calentibus,
Cornu benigno commeatus
Copia luxuriam refudit.
Idem vt reductas condidit oppidis
Francus cohortes, mitis hyems modò
Se rursus armauit procellis,
Et positas renouauit iras.
Stant lenta pigro flumina marmore,
Canisq; campi sub niuibus latent,
Diuerberatum sæuit æquor
Horriferis Aquilonis alis.
Ergo nec altis cincta paludibus
Tulêre vires mœnia Gallicas
Nec arcibus tutæ paludes
Præcipitem tenuere cursum.
Lorene Princeps, præcipuo Dei
Fauore fœlix, præcipuas Deus
Cui tradidit partes, superbos
Vt premeres domitrice dextra:
Vnius anni curriculo, sequens
Vix credet ætas, promeritas tibi
Tot laureas, nec si perauras
Pegasea veherere penna.

Cesse-

Cessere saltus ninguidi, & Alpium
Inserta cœlo culmina, cùm pater
Romanus oraret, propinquæ vt
Subijceres humeros ruinæ.
Defensa Roma, & capta valentia
Coacta pacem Parthenope pati,
Fama tui Segustanus
Barbarica face liberatus.
Aequor procellis, terra paludibus,
Armis Britannus, mœnia sæculis
Inuicta longis, insolentes
Munierant animos Caletum;
Lorena virtus, sueta per inuia
Non vsitatum carpere tramitem,
Inuicta deuincendo, famam
Laude noua veterem refellit.
Ferox Britannus, viribus ante hac
Gallisq́; semper cladibus imminens,
Vix se putat securum ab hoste,
Fluctibus Oceani diremptus:
Regina, pacem nescia perpeti
Iam spreta mœret fœdera, iam Dei
Iram pauet sibi imminentem,
Vindicis & furiæ flagellum.
Ciues & hostes iam pariter suos
Odit pauetq́;, & ciuium & hostium
Hirudo communis, cruorem
Aequè auidè sitiens vtrunq́;.

Huic luce terror Martius aßonat
Diræq; cædis mens ſibi conſcia,
Vmbræq; nocturnæ quietem
Terrificis agitant figuris.

La. B. Te.

AD CLARISS. VIRVM Michaelem Hoſpitalem, Supremum tunc Præſidem rationum Regiarum, nunc Gall. Cancellarium. Adr. Turnebi Epiſtola.

Hoſpitialis amor muſarum deliciæq;
Carmina Cirrhææ non inficianda cateruæ
Qui fundis Phœbus olor, quem gemma decúsq;
Sydereum noſtri veneratur Margaris æui,
Pegaſei tutela chori, Phœbiq; patrona:
Splendidus Aßyrio necnon quem Carolus oſtro
Obſeruat, caſtus Iouis Aonidumq; ſacerdos:
Accipe quæ falſis iniuſta calumnia verbis
Obijcitur nobis, & promitur ore profano:
Et muſas defende reas, ſontemq; Mineruam,
Per latus hæ quoniam nunc noſtrum vtræq; petũtur,
Multi in nos Anyti paßim Molitiq; renati,
Socratico qui nos euertere crimine tentant:
Eſſe iuuentutis nos ſæua venena loquuntur,
Atq; nouos inferre Deos, noua numina, ritus

Inſoli-

Insolitos, quicquid Germania deniq; peccat,
Nos sumus authores, scelus & commisimus ipsi,
Plectimur & miseri, quicquid delirat, Achiui:
Et causam quamcunq; sibi confingere malunt,
Noscere quàm veram, pestisq́; exquirere venas.
Atqui vel meritò decerni premia nobis
Crediderim debere, bonos retinere solemus
Quòd iuuenes veterum in scriptis præstantibus, omni
Quæ labe & labis sunt suspicione remota.
Excutito iuueni veteris proba signa monetæ
E manibus, mox inuenies versare numisma
Ista recente nota quod cudit adultera forma.
Prisca igitur pubem qui non vult scripta doceri,
Ad noua mittit eam, & gentis commercia Græcæ
Qui vetat, à vitreo non improbat ille Lemano.
Gallica scripta etenim de religione reuoluet
Marte suo solus nullo præeunte magistro,
Qui docturus eget sudatq́; vt Achaica discat.
Nunc adeo studio qui tam feruente docemus,
Vix tamen ad nostras paucos adducere sellas
Possumus: hinc longè fugiunt horrentq́; laborem:
Faucibus ast auidis sitiunt haurire liquorem,
Musta nunc nuper quem prodita secta propinat:
Vnguiculis hoc à teneris cirrata caterua
Expetit, atq; cupit primæuo flore iuuentus.
Gymnasia & quod nunc minus esse frequentia vulgò
Cernimus, efficiunt de religione libelli
Vernæ atq; indigenæ: viget hæc doctrina viritim,

In studijsq; hominum versatur delicijsq;.
Is iuuat hoc vitium cui nostra professio dira est;
Et fouet aduersas partes: queis tradit inermes
Musarum nos præsidijs & numine nudos,
Vnde amentatis defendi possumus hastis.
Quippe etenim nostræ multa adiumenta parari
Hinc causæ possunt, meliorìq; ille lacerto
Pugnabit, tali qui luserit antè palæstra.
Ingenuam quòd si doctrinam hinc esse fugandam
Credimus, ah præiudicio quàm nostra premetur
Causa graui, si nostra bonas exosa sit artes
Secta, subæratum tactum velut indicis aurum.
De pietate reos quos torret flamma rogalis,
In cruce pendentes & viuo sulphure sparsos,
Cernimus ignaros humili de plebe quirites,
Atq; rudes Graiæ iuuenes Latiæq; Mineruæ.
Nunc remoue Graiam pueris Latiamq; camœnam,
Supplicium cunctis laqueumq; atrasq; fauillas
Mandabis, quoniam succo tingentur eodem.
Rarus at è doctis de relligione Deorum
Qui malè sentiat est: si quando vsuuenit istud,
Prodigij simile est: at tralatitia fraus hæc
Indoctos tunica solita est vestire molesta,
Et velut Alcidas Octæis tradere flammis.
Perfidus ille piæ iuratus apostata sectæ
Hostis, Romanas nutu qui flexit habenas,
Sanxerat edicto, quod & hos tentare videmus,
Græcorum ne quis libros tractare sophorum
Aude-

Auderet manibus, Christi qui dogma probaret.
Dij meliora pijs, erroremq; hostibus illum:
Et dirum quod nos scimus fecisse tyrannum,
Relligio vt Christi penitus calcata iaceret,
Ne nos sancta sinant imitari numina diuûm,
Augusti quòd si valuissent iussa profani,
Gregorius nullus, Basilius nullus & esset,
Aureus & muto Chrysostomus ore sileret.
Atque palæstinæ cui Graiæ & pagina chartæ
Displicet, huic locuples reus est Hieronymus, almæ
Relligionis apex, Latij doctissimus orbis:
Hac ope qui nixus supra, caput extulit, omnes:
Hac ope vti nudus, caput infra subijcit omnes.
Dij potius faciant, Musarum & præses Apollo,
Vt ceu Circæis quæ grunijt ebria succis
Turba, nouas procul hinc cogatur quærere sedes,
Aut salsamentis laxos præbere cucullos,
Infantes nobis balba stribiliginæ linguæ
Quæ parit, atq; animi claudos, & sorde sepultos:
Optima quàm veterum nobis monumenta virorum
Interdicantur, quamq; in præsepia fœda
AEæi migrare gregis cogamur ab aula,
Frugibus inuentis & glandem dente molamus.
Archetypas quòd si statuas, priscaq; toreuma
Cœlatum dextra, si dimidiata sigilla,
Et mutilum Galbam auriculis nasoq; minorem
Miramur, precium nugis & ponimus istis:
Quantò Euangelij nos exemplaria debent

Arche-

Archetypa oblectare magis, quæ cœlite penna
Et medicus Lucas & Cephæ aßecla notauit,
Et vas delectum domino, & sectator amatus.
Istos quod scripsisse scio, prostratus adoro,
Et veneror prope sacra ferens. non martyris ossa
Relliquiasq́; colo prona mage mente piaq́;,
Quam sanctis quæ scripta viris dictauit, anhela
Numinis aura sacri: proprio cui displicet ore
Et sermone suo dum fatur Apostolus, ipsum
Eijcit, & Christi legatum audire recusat,
Non nisi qui Græca ad Romanos voce profatur.
Regia si cuiquam formata diplomata, ceris
Et signata forent, cerebri sanine putares,
Si quacunq; manu descripta tenere penes se
In forulis exempla domi quàm regia mallet?
Ob legem infandi populus Mahumetis Eous
Scripta Sabæa probat, nec scripta nefaria falsi
In linguas sinit ille alias concedere vatis:
Et nos quæ primis signauit verba tabellis
Sanctior arcanos euoluens spiritus actus,
Pellemus? solasq́; procul mittemus in oras?
Quæ scelus admißum fraudemq́; piacula soluent,
Si quis proiecto tam sit temerarius auso?
Hoc tamen heu qui tentet erit, quia dia patrona
Musarum procul hinc parat ire sequiq́; maritum
Margaris: in solo reliqua est fiducia Carlo,
Coccinei statione chori qui fulget in alta:
Huic bonus author eris, poterisq́; hunc recta docere,

Et tantùm prohibere nefas. nam tendere contra
Muneris esse tui sentis: expectat id à te
Quisquis Apollineo mentem concussus ab œstro est.
Regis vt ergo mei præses rationibus instas,
Consule Musarum sic tu rationibus idem,
Vt non sit Paulo dediscere Græca necesse:
Neu' reus in causa damnetur Apostolus iste.

D. M. FRANCISCI DVARENI, Iurisconsultorum huius memoriæ facilè principis, hoc funebre carmen Adr. Turnebus mœstissimus canebat.

TV'ne sacer legum vates, & iuris Apollo,
Tun' æqui consulta Themis, tun' fasq́; piumq́;
Et superis demissa polis Astræa, relinquis
Tam subitò mortale genus? spretaq́; caducæ
Condicione plagæ, Duarene, micantia cœli
Præpetibus subnixus abis ad sydera pennis?
Siccine nos Duarene fugis doctissime legum
Interpres, cupidosq́; tui, iurisq́; boniq́;?
Lingua iuuentuti tua quod condibat, amico
Suadelæ perfusa fauo, quæ rore liquenti
Irrigui mellis totum manabat Hymettum,
Hauserat & liquidum ius, impurasq́; lacunas
Setigeris linquebat apris, secloq́; suillo
Fœda volutabra, & cœnoso gurgite lamas.

Quis tibi nunc succeßor erit? cui munia mandas
Docte tua, atq; vicem quis nobis obtinet istam?
Cui Biturix plaudet, veterem quòd vindicet vrbem
Acarieq; situq; veternosaq; senecta,
Et renouet, iuuenum distendens mœnia turba?
Quæ posthac viduis mœrebunt frigida tectis,
Rarus desertis errabit & aduena vicis.
Nam simul atq; tuos mors frigore perculit artus,
Defluxit studiosa cohors, paßimq; migrantum
Cernere erat totas per singula compita turbas,
Illecebris cantus syluas Oeagrius Orpheus
Vt traxit, vocalis vti delphinas Arion,
Saxa mouere sono veluti testudinis olim
Dircæus potuit Thebanæ conditor vrbis,
Duxit & auritum lapidem quocunq; vocauit:
Sic Duarene tuæ facundia mellea vocis,
Fœcundus sic iure animus sophiaq; refertus
Ducere conuentus vtroq; ex axe solebat.
Terrarum tractus tu, vasti quamlibet essent,
Et Libyæ solas nullis cultoribus oras,
Ingenio Duarene tuo linguaq; frequentes
Reddere vel poteras: at nunc te funere merso,
Ante frequens, orba Biturix palatur in vrbe
Solus, & vt vacui metitur iugera campi.
Viuere te decuit longæuæ secla Sibyllæ:
Nestorea decuit te longius ire senecta,
Virtuti sophiæq; tuæ si numina diuûm
Aequa forent, hominumq; genus si iusq; bonumq;
Respice-

...espicerent, quorum eximius solusq; merebas
...nterpres dici. Quòd si fors aspera diuûm
...onditione viris licuisset flectere fata:
...el prece vel precio nobis Duarene redemptus
...unc esses saluus, si pro te fortè viritim
...ontribuenda etiam vitæ pars magna fuisset.
...on exorato, sed stant adamante reuincta
...ata deum, clauoq; rigent confixa trabali.
Attamen ipse tui meliori parte superstes,
...omulidûm dum iura forum colet, vsq; fereris,
...ngenij parta monumentis laude decorus,
...iretur quæ posteritas, quæ laudet ametq;,
...uæ dirimant lites, ius eruat vnde potestas
...mnis, & ambiguam iudex examinet artem:
...ortali regione etiam dicêre relicta,
...urriculo volucri subuectus in æthera, diuûm
...oncilio adscriptus supra cœlestia templa,
...irginis assessor, solio quæ iusta tonantis
...ßidet, æquata suspendit & omnia lance.

EPITHALAMIVM FRANcisci Valesij, illustrissimi Franciæ Delphini, & Mariæ Stuartæ, sereniss. Scotorum Reginæ, Adr. Tornebo authore.

AOnio Musæ lauitis quæ flumine crinem.
Aurataq; nitens testudine Delie Pæan,

Huc hilares, huc ferte pedem, celebrate choreis
Carminibusq; diem, domitis quo lætior Indis
Non fuit, optata sibi cum Minoida thæda
Euantes inter Satyros Nymphasq; iugauit
Liber, & æthereis monumenta dicauit in oris:
Nec cùm placata Tirynthius antè nouerca,
Vina ministrantem thalamo sibi nexuit Heben:
Terrigenis nec cùm victis Saturnius olim
Iunonem sceptris sociam cœlestibus auxit.
Inferat huc lætum gressum matrona tonantis
Pronuba: quæq; sacra sancis connubia flamina,
Adsis ô Erycina fauens, Hymeneus & adsit,
Et Iocus, atq; Charis pellucida veste fluenti.
Tu quoq; ab vndisono Nereu caput exere ponto
Cærulea indutus scutulata, Salacia præsto
Sit comes, & longis verrentes æquora caudis
Tritonesq;, & Leucothoë, Inousq; Palæmon,
Et senior Phorci chorus, éque Anthedone Glaucus.
Res agitur nam vestra. mari circunflua magno
Insula, quam medijs fundat Neptunus in vndis,
Nereïdi Scotæ regno possessa paterno,
Delphino dotalis erit mox Regia Franco:
Nereis & vobis authoribus apparat ipsa
Nubere, & auspicibus: qualis nec Pulchra Dione,
Cæsia nec Pallas, nec erat Lathonia Phœbe:
Marmorea nec fronte Dryas, nec candida Nais:
Nulla nec in terris, in fluminibusúe sonoris
Par specie Nympha est, nec Hamadryas incola siluæ
Ne

Nec formosa Napæa, nec hospita montis Oreas,
Quæ flauum tereti crinem modò colligit auro,
Nunc leuibus paßum ventis diffundere donat.
Hæc gemmā supperat, rutilum quæ diuidit aurum:
Baccatum hæc eadem superat formosa monile:
In varios & cùm se pingit terra colores,
Non tamen huic vllum florem, quē comparet, effert.
Nec verò Pario scalptum de marmore signum,
Non ebore expressum, fuluo non ære politum,
In tabula aut pictum manus emendatius edet.
An quæ magnanimum generauit mater Achillem
Se Thetis huic æquet nitidis argentea plantis?
Ledæóne parem quæ concolor exijt ouo
Se ferat? Europam licèt hæc Asiamq́; potentem
Rapta decem duro bello colliserit annos?
An quæ Pisæam tabo maculauit arenam
Sanguinolenta nurus miserorum cæde procerum,
Cuius emi thalamos ipsa bene morte putabant,
Tantalides socero rapuit quam deniq; victo,
Auriga prodente rotas, axesq́; citatos?
Omnes hæc formas præstanti corpore & ore
Exuperat, Paride & pomum vel iudice ferret.
Hæc tereti filo, & procero corpore surgit
Primæuo sub flore: suo metitur & vltra
Matres se virgo modulò, suggestus & alti
Verticis humani capitis fastigia supra
Eminet, & quarti vix est in carcere lustri.
Huic decus & tantum speciosa frontis honorem

Inuidit Cytheræa Venus, populataq́; sæua
Diua lue, obsæuit varis deformibus oro.
Sic quæ pellicibus nuptæ insidiantur auaris,
Quas forma plus poße dolent, medicata popinant
Pocula, guttata lentigine stellio quæ tu
Inficis, vt vario signetur tergore vultus
Discolor, & maculis liuescant ora subortis.
Non tulit inuidiam Cypriæ tamen æmula Iuno,
Non pallas, rursum se pulcra in virgine vinci
Turpe ratæ. nam quam poßent opponere victæ
Victrici, magica malus hanc si fascinus arte
Deleret speciem, vel diro crimine morbus,
Liuida quem tacito cantâßet murmure Cypris?
Illa superba suis tum formæ dotibus, atq;
Imperiosa bonis quanto molimine sese
In medium ferret? quanto subnixaq́; fastu
Calcaret superas fœdata virgine diuas?
Vtraq; cœlum igitur medica quos arte magistros
Indigetes habet atq; deos prece supplice poscit
Auxilium, chare morbiq́; leuamen alumnæ.
Ilicet adueniunt, habilisq́; armaria cistæ
Expediunt, disclusa locis & pharmaca promunt,
Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam.
Nectar & æternum cum pæonia glycyside,
Phyllirides Chiron, Amythaoniusq́; Melampus,
Phœbus acersecomes, natusq́; Coronide diuus
Phœbigena, & nati Podalirius, atq; Machaon
Phœbigenæ, Pæonq́; deis gratißimus arte

Qui

Qui medica est, Coi nec abest reuerenda magistri
Canities, nec Pergamei pia cura Galeni.
Hi vultum emaculant, nitidæ decor ecce iuuentæ
Lætior effulget, lepidusq́; est pristina supra
Mox formæ cumulatus honos, damnoq́; venustas
Vberior: Venus est nec dedignata iuuare,
Quem sic sollicito curari vidit Olympo:
Et dixit, Primæ maneant te præmia formæ:
Maior vt est nostra tua virgo Britannia Cypro:
Turpe mihi nec erit iam post te ferre secundas
Cœlicolûm quæ cura deûm es, quam lucifer idem
In regnum misit, diasq́; in luminis oras.
Priuatæ nil sortis habes, obnoxia nulli
Vixisti, solioq; rudem nox imbuit ortus.
Auspicioq́; pari decurrunt tempora vitæ
Et regni momenta tui: quin coniuge felix,
Inq́; manum mox conuenies, partuq́; beata
Liligero sobolem primæuo in sanguine Franco
Sufficies, regesq́; parens sata regibus edes:
Perpetua nec sola dolens carpère iuuenta,
Effœta steriliq́; nurus nuptura senecta,
Vicinam referens exacta ætate Britannam:
Qualis in Idæa mater Berecynthia silua,
Formosum deformis anus quæ deperit Atyn:
Et biiugo saltus peragrat subuecta leone,
Cœlitibus ridenda deis, & amore pudenda.
Corporis has & Sortis opes virtutibus æquat
Scota suis, superatq́; magis, si cogitet artes

Ingenuas, si virgineum quis ritè pudorem,
Relligiosa piæ si quis sacraria mentis,
Pectoris & penetrale, animi sanctosq; recessus:
Vt minimum fortuna bonum, faciesq; putetur:
Vendicet & primas in ea sibi splendida virtus.
Hanc tener & spacijs vitam primoribus orsus,
Felicis patris fortunatissimus hæres
Olim cum seris regem pronepotibus auctum
Asseret Erricum nitidi plaga lucida cœli,
Connubio ducit stabili, diuûmq; virûmq;
Omnibus plausuq; fauor fremituq; secundus
Quod sequitur, cunctorũ animũ & pertentat ouantẽ
Lætitia, hanc gestu, vultuq;, & voce fatẽtur.
Maturasse deos tibi coniugialia iura
Crediderim, pulchra quàm primũ vt prole parentem
Conspicerent. queis nanq; negant dulcissima stirpis
Pignora, queis renuunt charos extollere natos,
Hæ vel anus nubunt, vel anus his ducere suadent.
Præcipis hîc quantùm, tantò es felicior istis
Iudicio Francisce deûm: genialia demum
Fœdera sunt, si quid generant qui littora ponti
Arida bobus arat, steriles qui versat arenas,
Irritus est vanusq; labor: sunt irrita iusti
Pacta thori, si progenies hinc nulla sequatur.
Nube caua minus est Iunonis falsus adulter,
Connubio quàm sunt isti. dedit illa bimembres
Centauros, istud tenues vanescit in auras
Ludibrij specie, aut fallacis imagine somni;

Fœdera nec populis nec regnis firma coibunt:
Et malè concordi rumpetur gratia nexu
At duo perpetua constringes lege maritus
Sceptra: dies Francis Scotisq; hæc fœdera nunquam
Dissoluet: conuexa polus dum sydera pascet,
Durabunt. niueo sic vellere parco fidelis
Nunquam frangendum deduxit pollice filum.
Est generis tibi summus apex Francisce, nec vllus
Se memorare parem, vel nobilitate priorem
Se iactare potest: aliorum clara propago
Ornari vestræ se censet imagine ceræ,
Mentitoq; petit non raro stemmate Franci
Ornamenta suo generi. nam hinc omnis origo
Nobilium, caput hinc, hinc fons scatet vsq; perennis
Diffluus in riuos. decus attamen ecce supremum
Nobilitas alio solio, fuluumq́; leonem
Liligero misces in scuti vmbone vireto.
Hos tibi despondit thalamos pater optimus armis:
Hos tibi purpurea quem causia contegit vmbra,
Conciliauit: eos sed iunxit pronuba mater
Matronale decus, cuius stola longa virili
Aemula parq; togæ quemuis virtutibus æquat.
Concipe iam tantis æquos successibus actus,
Atq; animo mentire virum, factisq; parentem
Disce sequi, similes & nobis redde triumphos.
Is Belgis inferre manu lacrimabile bellum
Apparat, auditu iam territat arduus hostem:
Qui timidus veniamq́; petit, pacemq́; precatur,

Et vitta comptos prætendit supplice ramos.
Se meruisse malum scit, nec defendere posse:
Tanta virûm moles, tantum ruet agmen equorum,
Omnia quod latè vice turbinis atq; procellæ.
Proteret immani strage, inuoluetq́; ruina:
Nunc palmam eiurat, victusq́; paciscitur esse
Ante tubam, incerti nec ei placet alea Martis,
Pernicies Belgas ne certa à culmine sternat.
Immemor es nunquam simulatæ fraudis Ibere,
Nec vestri latuere doli: trahis vsq;, morasq́;
Nectis, vt effugias ducendo tempora cladem,
Militis & spacio se frangat vt impetus acer:
Aut belli nunc furta paras, obrepis & astu.
Sed tua pellucet fraus improba: munus habebit
Connubiale patris partum felicibus armis
Franciscus Belgas: tantundem & quærere natis
Exemplo patrio doctusq́; hoc pignore discet:
Insistetq́; viam Errici, atq; illustria facta
Reddet, & inuicti volet æquiparare magistrum.
Euenient pòst ista: deo nunc auspice festus
A nobis cantetur Hymen, genialis agatur
Iste dies, diro nec liuida lingua veneno
Obstrepat, obscœno nec murmure vulneret aures:
Litigiosa fore sileant vadimonia, prætor
Iuridicus cesset, latrare tribunal, & atram
Nunc versare reis vrnam quæsitor omittat.
Lætitiæ vacet iste dies: ferrugine cœlum
Detersa niteat, sudamq́; exporrigat æthram:

Et tacitis sublapsa vadis se flumina voluant:
Cōprimat æquor aquas, tumidis nec murmuret vndis
Et rapidi ponant venti, leniq; susurro
Mulceat angustæ Zephyrus sudantia turbæ
Agmina, quæ totis inhiant spectacula votis:
Commodet alma suum rerum natura fauorem:
Approbet & nitido fœdus geniale sereno.
Faxit & æthereos qui numine sustinet orbes,
Vt multis olim regnum voluentibus annis
Cum sene Francisco senior pater istud habenis
Temperet, vt cœpit iustis, atq; augeat armis:
Semper & imperium Valesi domus inclita seruet
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

CL. V. FRANCISCO OLIVArio, Franciæ Cancellario, Adr. Tornebus S. P. D.

IVris Oliuari custos atq; eius amußis,
Francisco cui sic Regi adsedisse potestas,
Adsidet vt summo iustißima virgo tonanti,
Aestimat æquata quæ rerum pondera libra:
Si licet vt nostræ tibi iurgia pauca querelæ
Eloquar: indignor nos pacis commoda solos
Non sentire, quibus Phœbi sunt ocia cordi:
Sed bellum tolerare famis, sine fœdere nostra
Vsq; triennali macie quæ viscera torquet,
Tabe quidem potuit tanti vel temporis olim

Interijsse deus, si tam nec nectar haberet
Ambrosiamq; diu, quàm nos stipis ære caremus.
Quam non ista fames expugnatura Saguntum?
Cecropijs quam non Melon domitura sub armis
Esset? & heu quas non hæc proderet hostibus arces?
Exangues gerimus vultus, & pallida semper
Ora fame: harpyias nostra & ieiunia macras
Andina referunt descriptas rite papyro.
Oßea iam reliqua est nobis tantummodò forma,
Qua laruæ & lemures pueros terrere suêrunt:
Perq; vias vrbis malè dum reptamus inanes,
Vegrandi macie feraliq; ore notati,
Occurrit quicunq;, crucis signacula diris
Obijcit ominibus, manes ceu videris Orci
Emissos latebris, simulacra'ue luce carentum.
Nec desunt magicis qui dicant esse susurris
Excitas tumulis vmbras Acheronte remissas.
Nos alij nostri dicunt opprobria secli,
Qui saturis alijs & pingui abdomine tensis,
Per plateas vrbis monogrammi incedimus ægri,
Tabifica enecti soli esurieq; fameq;,
Ceu seges annonam, meßis victumq; negârit,
Atq; homines vulsis pascant radicibus herbæ.
Hæc prohibere potes solo ludibria nutu,
Commodus hic nobis tua si suffragia præstes.
Dedecus ac Regi est tam macros dicier eius
Eße profeßores, nec eis procedere solis
Militiæ æs iustæ: nisi si transcribere creuit

Funi-

Funigerum in cœtum, vel mendicabula vulgi,
Reginamq́; iubet nos eiurare Monetam:
Nitriacasue procul nos hinc emandat in oras,
Cogit & arbuteo fœtu baccaq́; rubente,
Soliuagos inter Faunos & lustra ferarum,
Solariq́; famem & ieiunia longa domare,
Bullaq́; pelliceo substringere tegmina nodo.
Haud magnum, nobis sis magno emensus aceruo
Auri constructi, fuerit sestertia pauca
Rex animi haud parci: nihiloq́; hac paupere septro
Is fuerit causa magis, & res laude feretur.
Omnibus inuisas vel egestas nostra camœnas
Reddet, & in factum se barbara secula tollent,
Caupo, piscator, salsamentarius, auceps:
Mendicisq́; suas musis opponere gazas
Non formidabunt, potiori vt sorte beati.
Atq; equidem rastros meditor iam transfuga libris
Damnatis, studiumúe aliquod non nobile, pannos
Quod laceros, quod pauperiem procul exigat à me.
Arte etenim quamuis turpi pinguescere præstat,
Inter Lectorum quàm ieiunare cathedras,
Non moueor titulis, nec inani nomine Regum
Ambitiosus emo famam, si commoda desint:
Regius haud lector sine re, & lare dicier opto.
Esse togatorum malim vltimus, atq; pro seuchæ
Incola, quàm miserum sic ducere longius æuum.
Qui sator est litis rabula, in ius quiq́; viator
Insontes duro iugulatos fœnore duci,

Rem

Rem facit, at que redit quæsito pignore felix:
Ocia læta fouent multos, & inertia præbet
Quo mœchas & scorta beent: spurcoq; redundat
Lenoni quod detur, eis: ad præmia peccat
Virginibus stuprum, nuptis qui probra susurrat,
Blandus adulator splendenti fulget abolla,
Regificas parasitus edax & ructat ad escas:
Sola pruinoso glacialiq; horrida panno
Esurit at doctis nunc gens operata camœnis.
O mihi si primæ redeant exordia vitæ,
Et liceat quod secter iter perpendere rursum,
Næ Maro, quantumuis Syrenum gutture cantet,
Me verò dulces primùm ante omnia Musæ
Accipiant, cœliq; vias & sydera monstrent,
Non mihi suauisono mentem excantauerit ore,
Ieiunas vt amem diuas, quæ nocte dieq;
Laßârint vbi perpetuo me tempore, nudum
Dimittant, velut è medijs incendia flammis,
In sterili aut veluti fracta rate littore ponant
Sim potius fullo, potius sim pastor, arator,
Vespillo, pistor, sim calceolarius, auceps:
Mendicas quàm Calliopes sequar ipse catastas.
Pauca hæc sum nostra pro conditione locutus,
Sed tua verbosas non ferrent tempora nugas.
Offendant quòd si querulæ te murmura chartæ,
Non ego culpandus, rea sed facienda poëtæ
Virgilij duris vrgens in rebus egestas.

DE NOVA CAPTANDÆ è literis vtilitatis ratione, Satyra.

EGO TIBI SALVTEM.

Quòd quereris Leoquerne tuas algere camœnas,
Nulla operosorum quòd & emolumenta laborum.
Mucida quòd farris vix est mordere canini
Frusta tibi, genuinus & est persæpe quietus
Latranti stomacho, miseri ceu sabbata verpi
Mandarint ieiuna tibi, pannucea vestit (ambit,
Quòd malè lena humeros, malè quòd centunculus
Desine velle queri. versus scis ipse canoros
Pangere, sed nescis homines & fallere cantu.
Mercurium sibi iungit enim, vel friget Apollo.
Ille dolis & præstigijs subrepit, & astu:
Occultoq; homines scit delinire susurro:
Intrat & in mentes, blando fallitq; veneno.
Delius hoc aliquid fortasse interprete poßit:
Inuito nil posse putes. mentitur olores
Phebæos persæpe vafer, quos rudere credas
Arcadici pecoris, raucæ aut conuicia ranæ.
Vis artes doceam quibus admirabilis eße
Poßis? obsequio grassare, & falle doloso
Pectere Mercurij, atq; homines sic blandus inesca:
Rem facies, & lautus eris, qui frigore torpes.
Imprimis vt qui in longinquas nauigat oras
Deuehat vt merces, quæstu tendatq; locellos,

Censeo

Censeo in Italiam, trans & gradiaris vt alpes.
Hinc preciosa venit merx, quæ nos ducit hiantes
Defixosq́; tenet: siquis mendacia plaustris
Quatuor inde refert simulatis oblita fucis
Si Romam sonat, & Patauí si perstrepit vrbem,
Vndiuagos & si Venetos, atq; Appula rura,
Si præ se Gallas contemnit & improbus artes,
Despuit inq; sinum Gallæ sermone Mineruæ,
Nauseat offensusq́;, cibo ceu pastus amaro.
Has fraudes imitare: nihil studuisse iuuabit,
Hoc tibi si desit: studium si desit, & adsit
Hoc tibi, de doctis facilis sit palma poëtis.
Nec peregrinari à Musis nugacibus esse
Damnosum credas, dispendi non erit hilum
Hinc tibi: nanq; solet cumulare profectio Musas.
Tergeminum sophos inde feres, sapiensq; merebis
Censeri, doctusq́;: at si hîc desederis, atque
Te mœrore malo, & macie confeceris ægrum
Inuigilans studijs, rudis insanusq́; fereris.
Est illic Helicon, illic Parnasia laurus,
Et fons Pegaseo quem protulit vngula cornu.
Sed memor hoc etiam præceptum in pectore condas,
Tu Gallum dones Italis, verùm Ausona Gallis
Fac referas, cultu incessu, gestuq́;, sonoq́;
Italus huc versa tu pelle redito decorus,
Mirandusq́; tuis, nostrorum hæc esca virorum est.
Hinc te suspiciet multùm, qui riserit antè.
E re sed fuerit vel commendante galero

Puniceo rediisse domum, scriptoue libello
Docti hominis celebratum te illic ante fuisse
Non vili elogio. Verùm exemplaria nobis
Deportes quibus insitus es, didasq́; viritim.
Eueris populo te, & habenti nubila terræ
Hoc lusu: non fallit enim isthæc alea quenquam.
Sed memor hos captato, quibus ventosa supremæ
Nomen doctrinæ præpostera detulit aula:
Ad cyatum prandente solent qui diuite totas
Vbere cum Latio verbis euoluere Athenas:
Omnia qui se scire putant, qui diuitis aures
Infatuant, pascuntq́; eius, qui gestit apisci
Ambicione mala doctrinæ nomen & auram,
Quales Assyrio fulgentes conspicis ostro.
Declamatores isti te ad pocula belli
Hon ad clepsydram, donabunt laude libenti,
Diuidere & tecum musas, & cedere partem,
Cùm sapias Italum cœlum, baccamq́; Sabinam:
Non nolent, sed eos tu compensare memento
Officio: tua commoditans suffragia promptus,
Atq; vicem referens: testis non mutuus hic est
Fraudi, relligio secus est fecisse videri.
Præ cunctis tamen hoc vnum meminisse velim te,
Vt quascunq; nurus studiosas aula loquetur,
Insinues te illis: harum nam gratia parta
Non ægrè fatuæ te commendauerit auri.
Sed quæsita tibi sit opinio fraude, tuenda
Arte, subinde aliquid non magnum scribe sagaci

Cura, quod magni numeros referatúe Maronis,
Vel Marci linguam. Nam emendicata per artem
Iungere verba queas, si non tibi saxea fibra est,
Paucula: gustũ etenim aut specimẽ dare plus satis hic
Edi nec tamen ista velim. nam qui sua vulgat (est.
Prostituit sese: fiduciaq; artis habetur,
Quod plures faciant, id contempsisse videri.
Quin etiam quicunq; aliquid sub publica mittunt
Præla, notes vltro censor grauis atq; seuerus.
Auribus hæc tua sed paucis lege, qui tua prompti
Sint miraturi: fautores nactus & istos
Puniceis recita petasis, nuribusq́; superbis.
Euge sophosq́; feres, & præmia lauta merebis.
Olim sed si quid vulgas, inscribere nomen
Si sapis, ipse tuum meditatæ parcito chartæ,
Ne quis abortiuus, malè prognatusq́; parentem
Nomine præscripto fœtus traducat ineptum:
Nomine nam tacito potes explorare, videntur
Qualia quæ scribis cunctis, nec fama vacillat
Hac ratione hilum, si fors minus illa probentur:
Agnita quod non sint, incerto & patre vagentur,
Expositi veluti pueri, vulgoúe creati.
Sin ea quis laudet, venias assertor, & vltro
Esse tua hæc clames, auctor, vindexq́;, paterq́;.
Inseruire licet famæ tamen, vt nihil vnquam
Scribas: aucupium hoc facile est, pulchrũ, atq; beatũ,
Si tractes arte. in manibus numerosius esse
Sparge tuis magni molimimis argumentum:

Indice

Indice te populus mox demonstrauerit omnis,
Suspiciet te turba hominum, cœtusq; loquetur.
De fato quidam veterator dixit in aula
Scribere se: Latium mox est & Cecropis vrbem
Creditus exhausisse, parem nec habere putatus:
Inde magistratus cepit, seditq; curuli,
Regibus emunctis, mucosa, & nare reuulsa.
At tamen huic fuerat de fato littera nulla,
Nullus apex: sed fouit eam tamen vsq; superstes
Famam, dum sera ludibria morte paterent:
Nam vacui foruli, pluteiq; iacente reperti:
Parcaq;, quæ fucum conuinceret, vna reperta est.
*Esse viris *alius magnum de illustribus orsum* P. Paschal.
In manibus sibi narrat, & astu decipit isto
Iam tria lustra homines: sed nec promissa Metonis
Annus persoluet iam lustra nouissima torquens:
Ambitiosus & est quicunq;, hoc nomine captus,
Eblandiri hominem studet, & captare laborat,
Hæreat illustris quo tanti in margine libri.
Grande operæpretium est cautus veterator adeptus,
Regibus & magno diuturna silentia vendit,
Inducens Stygiæ claris obliuia Lethes.
Parthica nam vincet falsius mendacia: quenquam
Aeuo nec memori tradet, sed sublinet ora
Omnibus, & candens equus hunc portabit, alet Rex.
Quis neget hunc nullo felicem (quæso) labore?
Grunius hæc strinxi Gatianus, patre colono
Cretus, & inuitis amplexus carmina rastris:

Plura magister at his tibi suppeditauerit vsus.
Iamq; vale nostri semper memor: inde futurus
Auspice Mercurio, vel verius aucupe, felix.

CONTRA GRVNIVM Epistola.

HOc merui sperare? parant hæc præmia Diui?
Vt quod ab impura lutulentus porcus ineptè
Grunit hara, fecisse puter? quenquámne suilli
Ipse volutabri cœno obleuisse videbor?
Non ita Pegasidas sanctißima numina Vatum
Fas odiße mihi, violareq;, perfidus harum
Immundum vt liquidis immittam fontibus aprum.
Grunius hic quicunq;, tuis sus Dædala Circe,
Gruniat in septis cum turpi Elpenore clausus,
Ne latices turbare sacros, ne spargere labe
Dilectos musis iterum temerarius ausit.
Illum adeò quòd si tenuisse potentibus herbis
In stabulis Acæa nequis, Calydonis vt olim
Euastator aper, concursibus vndiq; pressus
Heroum, calido venabula sanguine tinget.
Hoc etiam restabat, vti cœnosa Mineruam
Nunc sus pollueret, rostroq; lacesseret vnco.
Ille lacesßit enim Diuam, qui fœdat alumnos
Illius, in gremio quos nutrijt alma diserto:
Principibus quos erudijt, magnisq; sacrauit
Regibus, æternæ mandantes nomina famæ.

Queis Deus è fuluo præcordia condidit auro:
Lumina quos nostræ voluit venientibus esse
Aetatis, ne victa situ torperet inerti,
Et tacitam densa tegerent obliuia nube.
Setigerúmne pecus tales inuadere tentat?
Quos homines inter voluit Deus ipse micare,
Ignes effulget velut inter Luna minores:
Quorum augusta sonant si quando nomina, lite
Abstinuiße decet, linguis omnesq́; fauere,
Relligiosa deûm ceu curent orgia Mystæ.
At pecus istud iners, cui pro sale vita parata,
Quodq́; animo nihil, at genio sapit atq; palato,
Visceribus veluti proprijs obsonia nobis
Instruat, & nobis ceu cœnam ventre falisco,
Ceu propria nobis è carne tomacula ponat:
Concisa ponit doctorum è laude minutal:
Proq́; suo nobis summittit fercula tergo.
Huius &, heu: pecudis modò vel me rumor iniquus
Immeritum fœda transformat imagine, vel me
Garrulus Eumæum pecudis modò personat esse.
Hoc ego si feci, sceleratas cæde paterna
Commaculâsse manus, diuorum numina sancta
Impius & verbis credar violaße nefandis.
Quòd me vtinam nunquam numeros attingere musæ
Siuissent, nunquam carmen dictasset Apollo:
Vt culpa, sic nunc & suspicione vacarem:
Nunc versus fecere reum, non culpa nocentem.
Nostraq; traxerunt innoxia carmina crimen.

Nunc vertens agitur paulò plus annus, haberi
In vatum numero cùm cœpi versiculorum
Ob tricas apinasq́;: hæ nugæ, heu! seria mergunt
In mala præcipitem, Satyrarum scriptor haberi
Iam mereor, videorq́; nocens, suffusus amaro
Felle, & doctorum credor communis Erinnys.
Soluere Pierides vestris cultoribus hæc si
Præmia consuêstis, turpemq́; rependere famam,
Non mihi Pegasei tanti sit gloria fontis,
Parnasusq́; biceps, vestriq́; sacraria montis,
Vt mutare bonum cupiam cum carmine nomen:
Res vestras sed habere deæ vos, atq; valere
Iam iubeam, vestrosq́; pedes numerosq́; relinquam.
Sed tamen effrenis quæ tanta licentia linguæ,
Vt læsisse sacros vates, Phœbiq́; clientes
Mentiri me ausit, falsum & confingere crimen?
Quorum adeo charum est nomē mihi, sanctaq́; fama,
Dente Theonino vt si quenquam fortè malignè
Morderi videam, non possim ferre, vicemq́;
Obtrectatori referam: mox scrinia nactus
Versibus vlciscar petulantis iurgia linguæ:
Ieiunum in scurram quod carmen comprobat istud.
Nam Carlus si quid limauit doctius olim,
En malè pastus adest ad pabula protinus illa,
Et mordet roditq́;, malus quæ Momus amaret:
Rasa negat tereti vel torno scripta rotari:
Vel sensu nutare putat, vel verba diserti
Flagitat hîc etiam Ciceronis, & omnia culpat.

Hospi-

Hospitialis item si quando poëma peregit,
A Musis quod opus cælatum, & Apolline dicas,
Quæ breuis ignarus, proceraq; syllaba quæ sit,
Carmen iter teneat vel quo pede nescius, vltro
Regiæ in impluuio medio circundatus orbe
Vnguentatorum cirratorumq; rotundo,
Præclarus recitat, conducendusq; magister:
Gestus & eludit, mimæq; argutia dextræ,
Dum recitat, crispo suspendit & omnia naso.
Et modò fastidit, nunc despuit, eleuat illa,
Nauseat his, laudatq; nihil: Cur deniq; dicit,
Hic scribit versus, & publica munera mittit?
Hunc agitat rabies, agitat fanaticus error:
Nec sapere hunc vnquam duxi: sapit hercle poëta
Nullus, ab irata quatitur chorus ille Diana.
Sic furit in densa vesanus scurra corona.
Hunc possum satyram pro vobis scribere Docti,
Dente Lycambeo si quis vos mordeat amens,
Pennigero & possum sic ilia figere telo:
Sacrilegum sed velle nefas, in viscera vestra,
Et nomen rigidi vt stringam mucronis acumen,
Non magis hercle queam, quàm sanctis ipse deorum
Vnquam funestos immittere sedibus ignes.
Par scelus vtrunq; est. nanq; & vos Enthea Phœbo
Pectora qui geritis, Clarij delubra vocare
Ius & fas fuerit: qui vos violauerit, ille
Tutelam temerat vestram sacra numina Phœbi,
Dignus Apollineo qui saucius occubet arcu,

Eius vt occubuit confossus arundine Python.
Quòd si vt Lenæo vitis vastator Iaccho
Ob meritam iucunda cadit caper hostia noxam,
Victima sic musas placaret amica luto sus:
Grunius è cæcis mox erutus iste latebris,
Deuoto porcus iugulo scelus omne piaret.
Ara cruentatur sed nullo sanguine diuæ
Vestra, nec est vobis fas porci cæde litari.
Fors tamen ista lui cupitis si sonte cruore,
Deprecor illepido ne succidanea porco
Hostia substituar, scelus vt sua pœna sequatur,
Nec timeat, cuius sibi non malè conscia mens est.

ADRIANI TORNEBI REgij Grecarum literarum professoris in obitum Ioach. Bellaij Andini.

BEllai, gremio Mineruæ docto
Quem fouit, Charis & venusta pauit
Succis ambrosiæq; nectarisq;:
Os cui suada lepore tinxit omni,
Plus quàm Mopsopio fauens pericli:
Quem Phœbus, comes & Camæna Phœbi
Fontis Pierij rigauit vnda:
Et vincto pede fecit & soluto,
In lingua Latiaq; Gallicaq;,
Et fandi Coryphæon & canendi,
Sic nos deseris occidisq; letho,

Manes ante diem petens ſepultos?
Sic florentibus, ah, ademptus annis
Et luctum & gemitum relinquis orbi,
Qui deſiderio tui ſeneſcit?
Nanq; omnes veneres, ioci, lepôres,
Atq; omnis decor, elegantiæq;
Tecum ceſpite conteguntur vno:
Et verſus ſilet abſonumúe ſtridet,
Vt nunc fundimus obſtrepentis ore
Gerras anſeris, aut inauſpicatæ
Infauſtos vlulæ modos ciemus: al. cientis.
Cùm Phœbeius vnus oſcen eſſes,
Muſarum philomela cùm canora,
Vocaliq; dares ſuauiores
Cantus gutture, quàm ſenexúe cygnus,
Aeger funera cum propinqua cantat,
Vel phœnix reparatus è fauilla,
Solem cùm modulis nouum ſalutat.
Aequum ſtamina non erat Sorores,
Fuſis fata virûm ſuis rotanteis,
Firma rumpere ſic tibi iuuenta:
Verùm impendere tota penſa ſummo primo.
Vati debuerant, nec imputare
Eſſet quòd colus euoluta tota.
Quin ſi quid reliqui fuiſſet vlli,
Cuius iam breue ſtamen amputaſſent,
Summæ debuerant id applicare,
Et producere poſteros Decembres,

Vltra secula Nestoris diserti,
Vltra tempora pulueris Sibyllæ,
Tithoniq́; senis superstes æuum.
Cur regni Deus arbiter silentis
Sic, heu: te iuuat inuidere nobis,
Si quicquam eximium est, vt occupare
Illud mox properes manu rapaci:
Vsuramq́; neges, moramq́; lucis
Longam, dimidiata fata carpens?
Cur ah non potius solo gementi
Tollis pondus inertium virorum?
Cur viuacia fata tendis istis?
Fastidis nimis improbos, diuq́;
Expectas nimis vsq; prorogando:
Contrà in limine tu bonos iuuentæ,
Actis vix bene quinq; sæpe lustris,
Thesauris auidus nigris recondis,
Nati sint velut in tuam rapinam.
Atqui cùm probitas & his, & illis
Accrescat sua prauitas in horas:
In prauis properare debuisti,
Ipsos vt minus improbos haberes:
Esse at lentior in bonis vicißim,
Esset quò tibi fœnerata virtus.
Funestus fuit annus iste Musis,
Quo sunt lumina rapta litterarum.
Morbus Scaligerum peremit, arte
Clarum Pæonis eloquentiaq́;,

Altumq́;

Altumq́; in penetralibus Lycei.
Morti te, Duarene, pignerauit
Quartanarius æstuosus ardor,
Legum ænigmata, iuris atq; nodos
Soluentem melius peritiusq;,
Quàm vel Scæuola, Paulus, Vlpianus.
Non te garrula suspicaxq́; fama,
Ficti nuncia pertinaxq́; falsi,
Præstantem omnibus eruditione,
Queis splendere datum toga forensi,
Atq; attollere dignitate fasces,
Dotali in lare liberam solutum
Vitam reddere, Ranconete, siuit.
Galandi, columen decusq; Phœbi
Viuebas, Academiæq́; princeps:
Nec vir maximus oderas pusillum
Qui te suspiciebat Adrianum,
Et te plus oculis suis amabat:
Heu te tormina sæua sustulerunt,
Dira & proluuie cruoris aluus:
Nec te Pergamei senisq́; Coi
Hoc morbo potuit leuare cura.
Phœbus nunc & Hyantiæ sorores
Ne lugubria, ne nigros amictus.
Tristes funere quos tuo gerebant,
Ponant, continuetur vt nefastus
Luctus, victima concidit poeta
En noster, Stygio Ioui sacrata.

Nunc

Nunc de Castalia triumphat Orcus,
Cuius pignora prima vindicauit:
Nobis reliquias notæ secundæ
Dimisit, dolij velutq; fæcem,
Quam lucrum putat esse non habere.
Es fœlix tamen & beatus, hac qui
BELLAI, *regione demigrasti,*
Quæ fraudi plaga criminiq; prostat.
Non in carcere nam tenebricoso
Inter tartareas manebis vmbras,
Nec Dis te picea locabit aula:
Sed nigri effugies locos Auerni,
Et mox Elysij petes vireta
Campi, deuia sedibus nocentum,
Quam laudis cupidi pijq; manes
Oram præpetibus sequuntur alis.
Illic largior ætheris sereni
Lux, & purior aura te fouebit:
Illic concilio frui Deorum,
Illic cernere quicquid & licebit
Omni tempora seculo tulerunt
Præstans integritate literisq;:
Nec florere malos & immerentes
Indignabere, laudis ac honesti
Calcatis titulis vt inquinatis,
Et virtute iacente vt obsoleta.
Illuc aduenientem te Poetæ,
Quos in delicijs amoribusq;

Viuus semper habere consuêsti,
Occurrent tibi plurima salute
Extemplo, oscula diuidentq́; multa.
Te Galandius obuijs lacertis
Mox visum excipiet, manuq́; prendet
Sermonem & feret eloquens magister,
Vitæ commoda quo perennis edet,
Et vitæ mala colliget caducæ:
De me nonnihil, & rogabit ille
Fortassis, nisi poculo capaci
Lethes faucibus ebibit liquorem:
Nec quam ceperat hîc superstes ante
De me sollicitudinem, sepultus
Illic forsan omittet, hac & vna
Vretur malè cogitatione,
Quòd sim præsidio cliens patroni
Orbatus: sed ei memento dicas,
Ne se maceret, aut beata vitæ
Turbet gaudia: me satis superq́;
Eius munificentia beatum
Esse, vt suppetat hîc viatici sat,
Quo vel non malè vita transigatur,
In vestramúe coloniam migretur.
Nunc hoc vt caput expietur omni
Vitæ crimine, vota mando vobis,
Fœlices animæ & mihi verendæ,
Pro me vt numina Cœlitum rogetis,
Allegoq́; preces ad illa vestras.

CAR.

CAROL. VTENHOVIO
Strena.

Limina qui Ianus postesq́; foresq́; tuetur,
Frontibus & geminis antè retroq́; videt
Hanc tibi felici referet Deus omine lucem,
Annus & vt fausto tramite, faxit, eat.

Idem græcè C. V. interpr.
Ὡς I. Λ.

Δισσομέτωπε θύρας φλιὰς οὐδούς τε φυλάσσων,
ὄμμασι παπταίνων νῶτα καὶ ὦπα τεοῖς
Πρωβετὲς λογίῳ φαίνοις ἐνδέξια Ἰάνῳ
πᾶς τε καὶ οἱ λυκάβας αἴσιος αἰὲν ἴοι.

Ad Carolum Vtenhouium.

Vtenhoui lætum accipias faustumq́; precamur
CRES *iste à nobis quod tibi portat aue.*

Adr. Tornebi Poëmatum
finis.

CLARIS. DOCTIS-
SIMIQVE VIRI, MICH.
*Hospitalis, magni Galliæ Can-
cellarij, variorum poë-
matum Silua.*

EX ALLVSIONVM ipſius libro.

Hoſpitio profugas hac tempeſtate Camænas
Excipis, hoſpitibus nec ſua Iura negas.
HOSPITA—LIS *gemina nō hinc mihi voce ſed*
Exulat hoſpitio LIS *mala nanq́; tuo (vna es,*
Hoſpitij ceſſere tibi pro munere Muſæ
Nomen & hinc Xenij iure parentis habes.

ALIVD IN ILLVD MICH. Hoſp. elogium

IMPAVIDVM FERIENT RVINAE.
Ad Ioan. Morellum Ebred.

Tota licet vaſti labefiat machina mundi,
Inq́; ſuum redeant cuncta elementa chaos:
Neſcius in varias Lopitalius ire figuras,
Impauidus, ſolidæ rupis & inſtar erit.

Ὁ—ΒΙΌΣ βροτῶν θεοῖο
ἄτερ ΟΥ̓ΘῈΝ ἀμβρόσιο.

Carol. Vtenhouius, Car. F.

MICH. HOSPITA-
lis magni Galliæ Cancellarij, variorum poëmatum Silua.

DE SACRA FRANCISCI II. Galliarum Regis initiatione, regniq; ipsius administrandi prouidentia, Sermo.

Cœlesti est oleo Mariæ puer vnctus ad aram
Virginis. hoc felix vt sit faustumq; precamur,
Tithoni longos superet vel Nestoris annos:
Talibus intereà discat regnare magistris,
Qualeis non alios Regum prior extulit ætas:
Nec quondam puero delegit mater Achilli.
Discat difficilem longè plus omnibus artem,
Antiquos vt amet regere & defendere fineis
Imperij: dominis quæ sunt aliena relinquat.
Illum vicini Reges venerentur, vt alto
Sanctum aliquod terris demissum numen Olympo,
Illius externi cupiant componere liteis
Arbitrio populi, cupiant discedere bello.
Nec tam fortis amet dici quàm iustus, & armis
Parta per humanas fugiat cognomina cædeis.
Obseruet promissa, fidemq; immobilis hosti:

Nec pacem in bello, neq; bellum in pace requirat.
Aut quid discipulos Christi nos esse fatemur,
Si nulla in nobis expreßa illius imago est?
Haud minor in patriam pietas, ciueisq; tuendos
Cura sit: vt patrium bonus illis præstet amorem.
Tardus, & ad pœnam dubijs, idem acer apertis
Criminibus vindex, rigidus legumq; minister.
Nec res iudicio finitasq; ordine liteis
Rescindat: nec supplicio pœnaúe nocenteis
Damnatosq; leuet, legum nec vincula soluat.
Siue magistratus, sacrorum siue legendi
Pontifices, secum ipse diu multumq; requirat
Ecquis apud ciueis tanto sit dignus honore:
Nec precibus, precioúe locum det, equisúe citatis,
More sed antiquo, lecti proscribat aperte
Pontificis nomen vel Iudicis. audiat omneis
Quorumcunq; hominum voces & dicta. morando
Consilium melius capiet, neq; serò pigebit
Agnouiße malum re deniq; turpiter acta.
Quos non fallit enim Reges inscitia rerum?
Aut quænam vitare dolos prudentia poßit,
Vni quum plures ficti insidiantur amici?
Nam quandoq; dies veniet metuenda futuri
Iudicij: quam nemo diem Rex, siue Senator,
Siue Magistratus fugiet: poscetur ab ipso
Principe, non tantùm rerum quas gesserit ipse
Subtilis ratio: verùm & quas gesserit olim
Improbus aut iudex, aut praua mente sacerdos,
Aut

Aut alij, quibus est delata à Rege potestas.
Ille miser pœnas alieni criminis, imò
Exoluet proprij, qui non prouiderit antè
Quos, quibus immeritos viuens mandaret honores:
Quosúe minus dignos sacris præponeret aris.
Nec mihi dignus erit diuina humanaq; iura
Qui didicit, si non idem coniunxerit æqui
Atq; boni studium, si non pietatis amorem:
Et nisi pauperibus faueat, locupletibus æquè,
Et nisi templorum reditus largitur egenis.
Quò mihi nobilitas, quò vana scientia rerum,
Si pietas aberit sacris, à iudice virtus:
Si venalis erit prætor: si fonte lauamur,
Vngimur: & terra depenso condimur auro?
Ex his nulla igitur reditura pecunia rebus
Regali fisco, reditura est nulla ministris.
Nec tamen ille suos, nec quos respublica numnos
Suppeditat, demens alios conuertet in vsus.
Nec dabit indignis, nebulonibus, aut parasitis,
Sed bonus vt tutor, qui se rationibus olim
Cogitat adstrictum, summa pietate fideq;
Rem geret, atq; noui resecabit inania luxus
Instrumenta: modum veterem patriumq; reducet
Vestibus, & mensis. sic vectigalia porrò
Quæ vis præteriti suasitq; iniuria belli,
Par erit atq; decens immensa remittere plebi:
Contentum paruo paucis nam rebus egêre
Conuenit. vlla tamen rodat ne bestia fiscos,

Neúe Palatinus sorex, aut blatta, videbit.
Scilicet hæc pridem toto fœdißima regno
Inualuit pestis: viresq́; & robora pascit
Imperij, vix quarta redit vel tertia Regi
Pars canonis. nimiùm multi regalibus vncas
Admouere manus loculis. reuocandus in arctum
Ille ingens numerus, frænanda licentia furum.
Quò magis id fiat, neúe hæc scelerata propago
Patronos habeat defensoresq́; nefandi
Criminis: hoc mihi sæpe monendum & sæpius, omnes
Abstineant donis, præsertim quiq́; futuris
Iudicijs præerunt, & quorum est summa potestas.
Tam firmũ nihil est, tã clausum, aut deniq; sanctum,
Quod non expugnet vis auri: nec minus est fur
Qui prædæ partem capit, ac qui surripit ipse.
Tu furem excusas Regi corruptus ab illo,
Restituisq́; loco damnatum, turpiter vnde
Exciderat, quid agis? nempe hoc, furetur vt antè.
Quid, præter veniam, censes quum præmia furi
Danda velut merito? pudor est, pudor, addere plura,
Ergo paucorum fidei mandabitur arca
Publica, nam valde est custodia lubrica nummi.
Ipsi custodes custodis egère videntur.
At fiscos augere malis rationibus vllis
Ne cupiat, fictiq́; suos ne criminis vnquam
Insimulet, iustóue rei nec fine peracti
Ne bona liberto properet donare potenti.
Sæpe bonus minimeq́; nocens sectoris auari

Opprimitur studijs: & crimine concidit vno,
Quòd pulchras ædes, vel opimum poßidet agrum.
Ne nimis etiam vel delatoribus aurem
Præbeat, iniustoúe sinat succumbere quenquam
Iudicio, ne pro compertis atq; probatis
Accipiat, quæ vox inimica vel æmula finxit.
Turpe quidem miseros vita spoliare, bonisq́;:
Turpius at recti specie, falsisq́; latenter
Testibus appositis, & iudice non satis æquo.
Condemnat cupidè nimis illum Prætor iniquus,
Cui putat iratum Regem, vel Regis amicos.
Quò grauius peccant patulis qui crimina Reges
Auribus accipiunt, quæ de quocunq; feruntur:
Præsertim inuisum vel detestabile crimen
Cùm fortè arguitur reus admisiße: velut si
Maiestas populi vel Regis læsa putetur,
Intendit parteis animum quæsitor in omneis:
Ipsa fidem, simul est audita calumnia, fecit.
Occidit infelix intra ipsa exordia, nullo
Sæpe suo merito: sceleris vel temporis ardens
Inuidia potius. neq; post adiuuerit illum
Commonstrare dolos, fictumq́; ostendere crimen.
Prima semel defixa animis hæsere, nec vnquam
Stultitiam volet ille suam quicunq; fateri,
Credulus & præceps: sed prima tuebitur vsq;,
Et semel offensum constans offendere perget.
Quærendum fuerat, quis sit delator, & in quem
Dicat, quoúe animo, prior eius vita reine

 Absen-

Absentis melior: nam qui bonus antè fuisset,
Ausum immane nefas subitò, vix credere par est.
Si tamen vrgetur res suspicione, vocandus
Est reus, obiecto coràm vt se crimine purget.
Horrebit vultum falsius delator, & ipso
Aspectu confusus erit, dignamq; subibit
Pro scelere immani tanto sub iudice pœnam.
At delatorum genus vtile, sæua nocentum
Ne Regem lateant peccata, bonosq; malosq;
Vt quamuis absens facilè internoscere poßit.
Est ita: dum norint sibi non impunè futurum,
Si quid in auriculam mendax effundere lingua
Ausa fuit. tua me bis, Carole, dextra saluum
Præstitit à rabidi ferali dente leonis:
Nec metuam diras vnquam te vindice linguas.
Atq; vtinam quàm se præclara est vltus Apelles
Insignis tabula, tam nostro carmine poßim
Exprimere hoc quàm sit tetrum exitialèq; monstrum
Regibus & populis: quantas det sæpe ruinas.
Ostendam planè quibus orta calumnia surgit
Principijs: vt auariciam toruumq; tuentem
Inuidiam comites secum trahat, vt mala blandis
Insinuet dictis & blando carmina vultu.
Regem autem stupidum, buccisq; fluentibus ore
Distorto, fœda facie, rudentis aselli
Auriculis, quocunq; vocauerit illa, sequentem.
Ipsius ante fores delator & ostia circùm
Excubat obseruans, vt verus nequis amicus

Ingre-

Ingrediens somno stertentem suscitet alto:
Et faciat, tenebris amotis, cernere verum.
Sic perit ille miser fictis ignarus & absens
Criminibus, quoniam purgandi oblata potestas
Nulla sui, vel Rege aliud curante, vel istum,
Vt magnum longumq; nimis, fugiente laborem.
Fac non nolle, tamen studijs illius honestis
Obstabunt, alijq; moras & tempora nectent:
Prætermissa semel referet se occasio nunquam.
At noster faciles aditus venientibus vltrò
Præbebit populis, oblatos ipse libellos
Accipiet manibus, lacrymosas ipse querelas
Audiet, & responsa dabit poscentibus ipse.
Quàm iucunda, putas, facies est regia ciui
Et quàm grata suo? tanti nihil esse videtur.
Nunquam, dura licet, grauis illius ore repulsa est.
Annuit: hoc quodcunq; etiam debebimus ipsi.
Respuit: audiuit prius is tamen, inde negauit.
Atq; ita nemo ferè tristis discedit ab illo.
Et patrum fama est ætate fuisse, iuberent
Qui mollem Reges & inertem ducere vitam,
Nil agere, & leuibus traducere tempora nugis:
Nullum congressu, nullum sermone petentem
Dignari, celso tenues contemnere vultu:
Abijcere imperij curam, nullamq; suarum
Luce voluptatum, nullam intermittere nocte:
Is fructus regni tanquam si maximus esset.
Tales Aßyrij Reges, Franciq; fuere

Tota Palatinis dum rerum cura magiſtris
Ceſſerat: hæc illis regni ſocordia finem
Attulit: his animos contra ius faſq; rebelles.
Quare nec fidum potes hunc, nec Regis amantem
Dicere qui celſos vſurpat Regis honores,
Abrogat imperium domino. Capitale nefaſq;
Eſt Perſis habitum, ſolio ſediſſe tyranni.
Tu ſolus regnes, ſolus domineris in aula,
Nil adeò Regi præter diadema relinquas,
Et nudos regni titulos, & nomen inane?
Quid non ambitio, quid non mortalibus auri
Suadet auara fames? moderata potentia quanto
Iuſtior eſt, & quàm magis expers ipſa pericli?
Ne ſit Rex igitur vel iners, vel mollis, & otî
Atq; voluptatum cœno demerſus in alto.
Regem nanq; volo, non fucum inducere regnis.
Nec ſibi plus ſumant comites, quàm legibus æquum,
Quàm mos & ratio, quàm Rex conceſſerit illis.
Nec verò ludis Reges prohibemus honeſtis,
Venatuq;, pilaq;, virilibus inſuper armis:
Idq; adeò ſi fortè vacabit, & omnibus antè
Defuncti curis fuerint, operumq; ſoluti.
At ſi continuò pergent aſſueſcere ludis,
Pòſt ægrè redeunt & tardi ad ſeria, quum res
Exigit: idcirco pueri iuueneſq; docendi
Ante annos atq; ante diem ſupponere duro
Colla iugo, ne ferre laborem fortè recuſent
Inſolitum, grauior quum pòſt acceſſerit ætas.
Anglus

Anglus Aquitano Francos eiecerat agro,
Et desperatis iam rebus Poto redibat,
Hirrus & insignes armorum laudibus ambo.
Atq;, vt dura nimis belli fortuna ferebat,
Tectum ingens mœsti subeunt, Regemq́; salutant.
Ille choros media ridens agitabat in aula,
Permistus niueo candentibus ore puellis:
Et procul vt vidit, Sciténe (exclamat) amici,
Exercere pedes videor? Cui Poto vel Hirrus,
Tristia ducentes suspiria pectore ab imo:
Næ tu inter ludos choreasq́;, sepultus amore
Fœmineo, perdis pulchrum hoc & nobile regnum.
At non incassum iuuenes ea dicta dedere.
Nam subitò memorant ex illo tempore Regem
Mutatum, & positis conuersum ad seria ludis.
Seruandi studium gregis, armentiq́;, fidelis
Pastor habet: cuiusq; rei sua cura magistris.
Ars etiam quædam dominari in bruta putatur.
Quam si turpe, malumq́; viris agrestibus artem
Negligere, aut nescire etiam: quàm turpius, istos
Qui præsunt hominum generi, non illa tenere,
Nec curare, quibus homines populiq́; reguntur?
Rex igitur primis noster iam discat ab annis,
Quæ tanto imperio dignum se reddere possint.
Et quanquam fidis comitatum semper amicis
Esse velim, nihil & moliri insigne, vel altum,
Nil operæprecium, consultis non prius illis:
Non tamen vsq; suis diffidet viribus, vt non

Audeat ipse aliquid per se, vt non antè remotis
Omnibus in tacito se consulat ipse recessu,
Quid Regem deceat, quid honestum, aut vtile factu:
Quam rem suscipiat, quibus explicet inde ministris:
Vt caueat vitetq; dolos, & praua suorum
Consilia, vt monitis addat melioribus aurem.
Quinetiam admissus semel imprudentibus error
Multorum erudijt menteis: vitæq; sequentis
Dux bonus & sapiens est Regibus, atq; magister:
Hoc faciens lapsus sum turpiter: hic mihi stulto
Verba dedit: posthac nobis erit ille cauendus:
Hunc mihi delegi rectè cui credere poßim.
Sic medium teneat, neq; se plus plus diligat æquo
Elatus blandis hominum sermonibus, Aula
Quos habet innumeros: neq; sese negligat ipsum.
Sed grauis vt censor voces & verba loquentûm
Expendet: fictis veros distinguet amicos.
Atque vtinam centum genetrici proroget annos,
Proroget vxori, atque amitæ Deus: & tibi fratres
Longa duos præstet venturi temporis ætas
Incolumes, ortos Lotari sanguine fratres.
Hũcq; senẽ profugũ, modò qui reuocatus in Aulam est,
Vnde per inuidiam pulsus decesserat olim.
Non pia, non & fida tibi. Rex maxime, deerunt
Consilia his viuis, Res (si vacat) aspice cœptas,
Aspice prima tui quæ sint fundamina regni,
Maiorum nemo posuit meliora tuorum.
Non tamen idcirco tibi palpum obtrude, vel illis:

Nam

Nam quid sola potest hominum prudentia? verùm,
Principium tibi sit, bone Rex, & norma regendi
Imperij, aßiduus timor & reuerentia sancti
Numinis: hæc præeat tanquam fax semper eunti.
Nanque homines, quamuis præclara mente fideq́;,
Multa vel ignari peccant, vel non inhonestis
Impulsi studijs, aliquáve cupidine, multa
Mille modis alijs etiam sine fraude: pariq́;
Inuoluunt errore animos & pectora Regum.
Non ita cœlestes animæ, quibus omnia semper
Cognita sunt penitus rerum quæcunq; geruntur.
Nec fallit quenquam Deus, & neque fallitur ipse.
Hic tua cæca reget tenebris vestigia noctis,
Luce reget media: nemo duce labitur illo.
Cuius nempe vicem quando geris, & tua nulli
Magnorum cedit collata potentia Regum,
Omnia dicta (quoad poteris) tuaq́; omnia facta
Aßimilare Deo, debesq; accepta referre.
Et quoniam (veteres vt dicunt) maximus idemq́;
Optimus est, talem quoque te præstare memento.
Nos autem, qui visum vlli notumq́; negamus
Esse Deum, tamen & qualis sit patria virtus,
Maiestas & quanta Dei genitoris, ab ipso
Conijcimus nato: qui se mortalibus olim
Miscuit: & pariter vixit, mox deinde reuixit.
Quem viuum quisquis vidit, putet ille parentem
Se vidisse: fuit nam vera ipsius imago
Filius in terris. noscendi hæc vna parentis

Præterea

Præterea via nulla. sed ille per æthera purum
Iampridem elapsus, celso consedit Olympo.
Atqui multa sui nobis monimenta reliquit
Ingenij, morum, veræ pietatis: ab illo
Tradita perfectæ manauit formula vitæ.
Ille Deum quo sit cultu, qua mente colendus,
Qua prece conueniat placari, & quàm bene grata
Ipsius ante aram cordis cadat hostia nostri,
Edocuit, verum templisque indixit honorem.
Omnibus hunc animi neruis, & pectore toto
Diligere, atque aliud nihil æquè iussit amare,
Qui cœlum & stellas, & totum condidit orbem:
Nos genuit, pascit genitos, alit, educat almo
Vbere: parcit eis, meritò quos perdere posit.
Et quis enim nostrum peccat non omnibus horis
Supplicio condigna graui? tamen omnia tentat
Ille prius, sæuum iaciat quàm nubibus ignem:
Dátque locum veniæ, quoties se surrigit antè
Lapsus homo, & vita mutat meliore priorem.
Qualis amor domini, talem nos inter amorem
Reddere & auxilio miseros opibúsque iuuare
Præcipimur, nullam reminisci temporis iram
Præteriti, nullam ad Solem perferre cadentem:
Et faciles vltróque aliorum ignoscere culpæ.
Hoc nos priuati, quibus est cognatio nulla
Cum Superis, facimus: quo Reges æquius omneis
Dijs genitos facere, & cœlo se reddere dignos.
Tu verò cui summa Deo delata potestas,
Quiq;

Quiq́; etiam præstas alijs tam Regibus vnus,
Quàm Reges alios plebi præstare videmus,
Tu bonus & clemens esto similisq́; Deorum,
Qui cœlos habitant. propria est clementia Regum.
Tu mâlis seruare tuos, quàm perdere, ciuêis:
Et quam olim veniam expectas à Rege Deorum,
Impertire alijs hominum Rex. vtere parcè,
Aut nunquam, horribili gladio, nisi pene coactus
In desperatos, medicorum more, secantum
Arida quæ modò sunt, & putrida corpore membra.
Est quiddam medium, nec laus quærenda seueri,
Supplicijs hominum, nec laus clementis & æqui,
Est venia paßim tribuenda, & dissoluendis
Legibus. Exemplum non longè extraq́; petetur
Lenis mansuetiq́; animi. fer lumina retrò.
Vel genitore tuo, vel auo clementius vnquam
Nil sumus experti. facilis vel promptus ad iram
Neuter erat. iecur & placabile pectus vtrique.
At genitrice tua que fœmina mitior vlla est
Omnibus in terris? quæ quum excandescere nuper
Iure videretur cæso potuisse marito,
Non solùm non vlta suos est illa dolores,
Sponte sed ignouit, suaq́; ijs permisit habere,
A' quibus atroces animis exceperat ictus.
Ignouêre suis obtrectatoribus ipsi,
Quorum consilio stat adhuc res Gallica, Fratres.
Multa noui quæ ferre solent exordia regni
Damna, fugas, raptúsq; bonorum, vincula, cædes,
Nec

Nec sumus à quoquam paßi, neque Principe nostro
Sensimus: inuersus sonitum vix reddidit Axis.
Ergo sis, Francisce, tuis & mitis & æquus
Ciuibus: ac mandata Dei cultumq; perennem
Iam meditare puer, curam meditare tuorum.
Nanque hæc prima tuæ virtutis semina surgent
Paulatim, pariterq; tuo cum corpore crescent,
Et super alta suos extendent sydera ramos.
Tunc neque nos puero sub Rege fuisse pigebit,
Nec te discipulum taleis habuisse magistros
Imperij, & iuuenem laudes æquâsse parentum.

AD FRANCISCVM OLIuarium Franciæ Cancellarium.

Vobiscum Remos vnà comes ire parabam,
Quum me Patronus fisci reuocauit in vrbem
Auditum Italicas rationes, vtq; præessem
Iudicio, quod erat de furtis atque rapinis
Regis opum: nolens opera imperfecta reliqui.
Quid facerem? medio rationum examine Burgus
Quæstor in Aruernos properè discedere iussus.
Nil contra absentem nobis decernere visum est.
Altera Beloti dilata est quæstio morbo.
Is rem quæsierat princeps, causamq; tenebat
Implicitam multis ambagibus atq; latebris.
Longum, cognitionem alij mandare, fuißet.

Nunc

Nunc equidem ſine febre, parùm ſed corpore firmo eſt.
Sic fuit hæc mea vana, reiq́; induſtria nulli
Vtilis: & tanto carui tamen orbus amico.
Nam facturus eram Remos iter hoc ego tecum.
Tecum perpetuò (via quàm longinqua) fuiſſem.
At Lotarenum validi iuuenesq́; ſequentur:
Non ego, quem tardum & ſegnem facit ægra ſenectus.
Ille fugit, comitesq́; ſuos præteruolat omneis.
Ipſe procul ſequor: ad menſam tamen vſq; paratam
Maturè venio. quid enim? fortaſſe periclum eſt
Vt calidus ſudansq́; bibam. qui verterat antè
Nos aliquis, nec fronte magis tamen ille benigna
Excipitur, nec ſede magis dignatur honeſta.
Interdum & pateram feruens contingere plenam
Non audet, ſtomachi veritus, laterisq́; dolorem:
Et me iam ſaturo demum incipit eſſe placentam.
Sic neque dura pigris, neq; ſunt incommoda tardis
Omnia. Sed doleo diuulſum me ſine cauſſa
Conuictu Franciſce tuo: nec deinde ſuperba
Remorum vidiſſe foro ſpectacula, pompam
Sacrorum longam, miſſa & Ciboria cœlo:
Aureolum puerum (curam ſobolemq́; Deorum)
Sole magis nitido radiantem, Heroas & illi
Biſſenos, duodena latus velut aſtra, tegenteis:
Regem ipſum nudis humeris, & pectore nudo,
Remigij ſucceſſoris genua ante volutum
Suppliciter, cui multa Sacerdos ritè precatus
Sacro nuda oleo perfundit membra, grauemq́;

Imponit

Imponit capiti gemmis auroq́; coronam.
Insequitur plausúsque virûm, clangorq́; tubarum.
Ingens lætitia tectum circunsonat omnes
Franciscum, Regem simul vna voce salutant.
Hæc ego nec vidi, posthac neq; spero videre.
Vt sint læta diu precor, vt felicia longo
Tempore, néve vllo turbentur gaudia luctu.
At vos rumor erat celsum procedere Barrum
Vsque, nec Octobris redituros ante Calendas.
Certum est intereà paulisper (dum licet) vti
Libertate mihi concessa: & visere nostro
Stampensi fuerit vindemia qualis in agro.
Vt me vel referam Germani ad nobile fanum,
Parisiam vel (eò si fortè recurritis) vrbem.
Aut vbi fors blandus pulchro dat nomina vico,
Aut Blesis, alióve loco me denique sistam.
Quòd si me nostri rationem poscitis oti,
Nil præter nugas, & carmina vana feretis.

AD FRANCISCVM LOTAringum Guisiorum Principem, Epistola.

AVt tu rem nobis conuulso cardine lapsam
Vnus restitues, primaq́; in sede locabis:
Aut certè nullis vnquam fortuna resurget
Gallica temporibus: sed humi despecta iacebit
Aeternum. Manet illa, manet te lauria, ductor
Maxime Francorum. Quis enim se comparet alter?

Quem

Quemúe ducem potius Rex tanto opponeret hosti?
Illius expulso nuper genitore triumphum
Egisti: pulso veniet par gloria nato.
Est illud vestro generi fatale, tuæq;
Virtutis proprium, magnos compescere fastus
Burgundæ gentis: quæ nunc sociata Britannis
Rege nouo exultans, nostris in finibus agros
Præsidijs vacuos populatur, & oppida carpit.
Vt coniux perægrè redeuntem casta maritum,
Ipsa domi longo cùm tempore sola fuisset,
Excipit amplexu tenero: voluuntur obortæ
Lætitiâ lacrymæ perq; illius ora genasq;:
Haud minus aduentu Rex ipse Erricus, & omnis
Visa domus gaudere tuo: par rura per vrbes
Festa celebrantur plenis conuiuia mensis.
Vt Sol exoriens concussas grandine siluas,
Depressos & humi flores, languentiaq; arua
Erigit, & cœlum radijs terrasq; serenat:
Sic perculsa graui tu vulnere pectora plebis
Nobiliumq; animos reficis, speq; arduus imples.
Et modò noster Eques sæuo concisus ab hoste,
Te rectore, diu non se fore sperat inultum,
Et spolia Hispanos ereptaq; signa reposcit.
Hæc hominum de te spes vulgo est: irrita ne sit
Illa, vide. Permulta potes numerare trophæa
Hostibus à domitis, multos numerare triumphos:
Quos tamen vna dies, vnusq; euertere casus
Et fortuna potest: laudemq; abolere priorem.

Annibal & Pompeius item duo lumina gentis
Quisq; suæ, multas bello retulere coronas,
Collatis ausi toties decernere signis:
Victus vterq;, fuit documento, quàm nihil vsquam
Perpetuum solet in terris fixumq; manere:
Humanis quàm nulla subest constantia rebus.
Quid domitorum Asiæ Cyrum, non vna subegit
Fœmina, & abscisum caput illi sanguine mersit?
Nam cur ipse tuos exempla domestica ponam
Ante oculos? Cur Parthenopes tentata beatæ
Regna tuis atauis, infausto Marte, per annos
Centum continuos, Errici pòst quoq; Regis
Auspicijs, ductuq; tuo? Fuit exitus idem
Penè tibi: nisi quòd seruatus cum duce miles
Incolumis saluusq; domum patriamq; reuertit.
Hoc ducis egregij prudentia fecit, vt illos
Quos adeò seruare salus nec si velit ipsa,
Posse videbatur, cunctos seruaret ad vnum.
Parua manus, sed enim grauibus defuncta periclis
Sæpius, & multos quondam perpessa labores.
Nec tibi prætermissa tui pars muneris vlla,
Tantùm displicuisse Deo mihi caussa videtur:
Aut nimia hæc totum iam penè vagata per orbem
Ambitio, aut ciues aliquid peccauimus ipsi.
Si gaudet rerum vicibus Fortuna, diuq;
Stare loco nescit, si nos huc versat & illuc,
Arbitrioq; suo spoliat, vel honoribus auget:
Idq; alijs belli ducibus si contigit antè

Innumeris, tibi si contingere posse putabis,
Noli præteritis nimiùm confidere factis,
Neúe feras cœlo caput altius, aut timidum cor,
Neu metue euentus dubios, tristemq; futuri
Temporis inuidiam, leuis aut opprobria vulgi:
Sed quencunq; dabit finem Deus, accipe grato
Præsentiq; animo. Caussas mortalibus esse
Ignotas voluit: tua sit modò culpa, caueto.
Quid si nec populo, quæ tot victoria votis
Expetitur, Regi nec sæpe sit vtilis ipsi?
Impleuit varijs Asiæ victoria Romam
Delicijs: & quam non Punica bella tot annos
Continuata prius, non regis & arma Philippi
Contuderant, peregrina seueram perdidit vrbem
Luxuria. hinc cædes, & publica furta, rapinæ,
Direptæq; vrbes, sociorum, & dira cupido
Regnandi in patria, ciuilia deniq; bella.
Insubrum capto duce nuper, & vbere campo
Felicis nimiùm populi, fœdéq; peremptis
Heluetijs Francisco ausis concurrere Regi,
Plus damniq; maliq; accepit Gallia, capto
Quàm pòst Rege suo Ticini ad fluminis vndas.
Imperium Francorum & gloria nominis aucta est:
Sed mores abire boni. Vix octo Loisi
Regis ab interitu numeramus lustra, fuisse
Dicas mille, viris tantùm distamus ab illis,
Prima quibus tum cura fuit seruare paternum
Prædiolum, seruare larem vigilanter auitum:

Tum desiderijs fines adhibere, modumq;
Sumptibus, & proprio contentis, iam nihil vltrà
Appetere, & nullas vicino intendere lites:
Castra sequi, & pulchram bello sibi quærere laudem:
Rarò in conspectum Regis procerumq; venire.
Scire nec obsequijs animos captare potentum,
Nec blando sermone mereri præmia Regum:
Scire famem perferre, sitimq;, & frigus, & æstum:
Scire equitem medio peditemq; lacessere campo.
Horum de numero procedat si quis in Aulam,
Horridus, & sudore fluens, & puluere plenus,
Quos istis auro fulgentibus, & bene lautis,
Commoueat risus: vt præter sibila secum
Nil prorsus referat. Quid nos victore putamus
Aequius imperium aut melius sub Rege futurum?
Pauci adeò Reges fortunam ferre secundam
Aequa mente sciunt: & iam securus ab hoste,
In sua rex strictum conuertit viscera ferrum:
Sæpe vel incautos conficta calumnia Reges
Auribus apprendit, turpisúe inscitia rerum.
Arguitur sceleris, villam qui fortè propinquam
Hîc habet, & vidit vsq; sua quam Regis amicus.
Ornantur testes, miseroq; redempta parantur
Iudicia, ô saltem redimat se Castoris instar
Castoreo, & salua iactet patrimonia vita.
Sed viuis rerum dominis aliena tenêre
Nec tutò se posse putant. Ea nos bona stulti
Ducimus, exitio multis quæ sæpe fuêre.

Mille cadunt populis ducibusq; incommoda victis:
Multò plura cadunt etiam victoribus ipsis:
Interitusq; ferunt animorum & corporis vnà.
Corrumpunt hominum felicia tempora mentes:
Auertuntq; Deo sensus, nec tollere cœlo
Ora sinunt. Quis enim lætis cœlestia rebus
Cogitat? aduersis, quàm sit miseranda monemur
Conditio nostræ, quàm vilis & infima, vitæ.
Tunc opis humanæ deiecti præsidio, spem
Vertimus ad Superos trepidi, veniamq; precamur:
Mutamus mores. ea nos via lenis in altum
Ducit, vbi sedes animis æterna beatis.
Miramur si quando preces non auribus æquis
Accipit, aut hominum reddit contraria votis
Sæpe Deus: durumq; inclementemq; vocamus.
Vt pater infanti puero si dira venena,
Siue micans ferrum, aut aliud quid forte petenti
Mortiferum, tamen ille negat: tibi durus & asper,
Non patrio indulgens potius videatur amori?
Ergo tu referre putas nihil, hostibus vtrùm,
An gesti nobis accedat gloria belli?
Non ego. Sed primùm iubeo nos quærere pacem:
Si pax nulla datur, nec conditionibus æquis,
Contestare Deos inuitum accingier armis:
Auxilioq; voca. non illi tempore longo
Numina passuri sua sunt contempta iacêre.
Si necdum melior belli fortuna sequetur:
Rursus & auersi placanda est numinis ira.

Nec pecudum fibris, sed pura mente litandum est,
Sincerisq; animis: Cùm sit Deus optimus ipse,
Non amat ille preces, non impia vota malorum.
Tu plenus stupri, plenusq; libidinis intus,
Et furax, & auarus, & ambitiosus honorum,
Impetrare putas aliquid te posse, priusquam
Ablueris sacra viui te fluminis vnda:
Quem foribus templi sapiens arcere sacerdos
Debuit, atq; reos inter plorare iubere.
Tu prima si luce genu curuaueris aras
Ante Deûm, tibi deinde putas extrema licere
Omnia: rideri non vult Deus, & videt intus
Quid tectum vel fronte geras, vel pectore clausum:
Et fictas odit lacrymas, simulataq; verba.
Iactabat Legis studium Pharisæus, & ore
Decantata suo Mosis mandata ferebat,
Displicuit Domino: Manceps, quia turpia coràm
Lucra fatebatur, venia donatus abiuit.
Nos etiam aduersæ nuper cùm nuntia pugnæ
Fama repens nostras inopinaq; venit ad aures,
Consternati animis, quibus arma viriq; deeßent:
Cumq; putaretur portæ iam proximus hostis,
Ad delubra Deûm confugimus, & prece multa
Suppliciter pacem veniamq; poposcimus illos.
Continuit se quisq; dies vix quatuor, hostis
Cùm subitò regredi, vel non procedere, fertur.
Ilicet excussa formidine protinus omnes
Ad vomitum redeunt, & vitæ probra prioris.

Vt pueri lusum repetunt abeunte magistro.
Nunc peccant homines peiora prioribus illis,
Nec dilata putant, sed tempus in omne remissa
Supplicia: elusisq; Deis impunè, iocantur.
Hostis abit. Qui scis an verè ineunte redibit
Fortior & melior? nobis sunt omnia victis
Inferiora. Ducis Roma Latioq; remißi
Non feret aspectum Germanus miles: & ora
Vertet ob os illius. Ea spe ducitur omnis
Gallia. nec quisquam est alius, quo fidere tantùm,
Quoue magis ductore animos attollere poßit.
Verùm multa cadunt inter duo tempora, multæ hoc
Ne duce pugnetur poßunt existere causæ.
Aut quisnam Superùm fatis iræq; resistat?
Mutemus mores igitur, veniamq; precemur,
Imprimisq; Deos & tota mente colamus
Et totis animis: exin nos inter amemus.
Sit bene sarta velut multorum gratia fratrum:
Nec minor alterius quàm nostræ cura salutis.
Quæ si fixa animo penitus mandata geremus,
Mortes, exilia, atq; fugas, & damna bonorum,
Quæq; solent alia aduersis accedere rebus,
Haud magni faciemus. erunt neq; tristia nobis
Aspera, nec vel amara nimis, vel dura ferendo.
Scilicet extinctos merces vberrima cœlo,
Et promißa manent æternæ præmia vitæ.

DE CALETI ET GVINÆ, Oppidorum proximo hoc bello captorum, expugnatione, Carmen longè doctissimum.

Sic mutat Fortuna vices, & ludit atrocem
More suo ludum, nunc his, nunc æquior illis.
Nos adeò fusi, & magno certamine victi
Nuper ab Hispanis, fortes modò vicimus Anglos:
Ereptas patribus tandemq́; recepimus vrbes:
Oceano in medio iußis regnare Britannis.
Illi cum lacrymis terra ceßêre retenta,
Possessaq́; suis atauis iam tempore longo.
Namq́; erat in fatis redditurum haud antè Caletum
Ad veteres dominos, quàm se Regina marito
Traderet externo, veterumq́; propagine Regum
Posthabita, nouus hic succederet aduena regnis.
Ipse, Valesina venturum è stirpe nepotem,
Merlinus vates multò prædixerat antè.
Sanguinis vltorem nostri, cladisq́; futurum
Cresciacæ, cecidit qua Francica penè iuuentus
Omnis, & extinctæ sunt longa in tempora vires.
Non magis ille suis (quanquam verißimus auctor)
Creditus est, Troiæ Priami quàm filia Regis.
Quinetiam tantùm his animi victoria duplex
Addiderat, tantus nostri contemptus, vt arcis
In foribus summis legeretur marmore duro
Incisum Carmen (valet id sermone Latino)

TVM

TVM DEMVM FRANCVS PREMET OBSIDIONE CALETVM, CVM FERRVM PLVMBEVMVE NATABIT SVBERIS INSTAR.

Barbara vox, supráq; hominum fiducia morem.
Sed neque tot circumductæ, fusæq; paludes,
Totq; obiecta vias paßim castella per omneis
Præsidijs incessa virûm, potuère morari
Nostrorum turmas equitum, peditumq; cohortes.
Ipse feros secum diuersis partibus orbis
Adductos rapiens comites, sublimis in alto
Lotarenus equo, prius est conspectus ad vrbem
Designare locum castris, & cingere vallo,
Quàm miseri ciues illum potuisse putarent
Angustos aditus, arctósque euadere calles.
Hic, labor exoriturq; nouus, maiorq; priore.
Murus erat latere è cocto firmißimus, alta
Incinctus fossa, verùm pòst aggere nullo
Subnixus, lapidis iactu vix æquore distans.
In medio littus, Nerei quod proluit vnda,
Bisque die refluo terris illabitur æstu.
Tum me ludentem nemo, conchásve legentem
Viderit. at siccam postquam mare liquit arenam
Discedens, pedibus tamen hic consistitur ægrè.
Nec patiens onerum locus est: & sæpius altè
Subsidet, iniectoq; fatiscit pondere tellus.
Hac regione, leui subiectis cratibus alno,
Exponenda fuit tamen omnis machina belli.

Ingens

Ingens præterea, suspectuq; ardua turris
Missilibus portumq; globis, lutusq; premebat.
Omnia quæ tam multa ferox incommoda noster
Miles, & vnius vicit ducis inclyta virtus.
Expugnata prius turris: mox Regia muro
Iuncta domus, primos aditus patefecit in vrbem.
Armatis data pax, & inermibus: vrbe relicta
Illæsi ciues aliò concedere iussi.
At tu Guina ferox, Domini clementis & æqui
Audires potius leges, & mollia iussa,
Quàm Rex experiare, manu quid possit & armis.
Non tua nunc euersa, soloq; æquata iacerent
Mœnia: non domibus lapsis inducat aratrum
Agricola, inq; nouo sementem præparet aruo.
Quis furor, aut quænam rabies hæc, strage virorum
Non contenta, simul nisi totas háuriat vrbes,
Integraq; addictis cum ciuibus oppida sacret
Dijs Erebi? Nuper Teruenam vidimus vrbem
In Morinis, Ediniq; superbam vidimus arcem.
Vix in vtrisq; locis hodie vestigia parent
Tectorum, quæ sint fortassis in hoste ferenda.
Id verò, manibus proprijs sua mœnia ciues
Deijcere, incensasq; faces supponere tectis,
Parcere nec patriæ, victor cui parceret hostis,
Quale fuisse putas, hominum magis, ánne ferarum?
Sed nostris ducibus præclaro munere Diuûm
Intentata prius cœlo victoria venit.
Cùm mare cùm glacialis hyems, & cùm vetus vrbis

Gloria, cumq; recens aduersæ infamia pugnæ,
Et nimium Fortuna diu contraria possent
Talibus, audaces quamuis, abducere cœptis:
Mens Errice tamen semper tibi constitit vna:
Te solum referunt animos firmasse tuorum.
Scilicet vt Regum cœlesti numine mentes
Impelliq;, trahiq;, Deis quocunque videtur,
Et quo mortales nequeunt pertingere sensus,
Addiscant homines, mirari cur ita fiant
Plurima, factorumq; absistant quærere causas.
Ac Deus is, quicunque tibi fuit istius author
Consilij, monstrauit iter, ducibusq; præiuit
Idem Errice tuis, donec res ordine gesta est.
Idem, multorum cùm posceret æra dierum
Miles inops, & signa sequi se posse negaret,
Exhausto penitus belli per tempora fisco:
Hunc animum in patriam dedit hanc tibi Carole mentẽ,
Vt tu vas, sponsorq; rei communis, in vrbe
Parisia, biduo omne bonis à ciuibus aurum
Acciperes: quæ mox diuisa pecunia fratri
Morigeros comites, & ad omnia iussa paratos
Reddidit. His opibus pulsi cesserc Britanni
Littoribus nostris maria vltra cærula Ponti.
Quas, ergo, tot opumq;, Deo, tantæq; datori
Lætitiæ, nobis fas est persoluere grates?
An delecta boum, pecudum vel corpora centum
Illius ante pias grati mactabimus aras?
An lætum Pæana canemus, Ioq; triumphe?

Quodq;

Quodq́; solet dici victorum carmen honori?
Vsurpata malis cultoribus ista Deorum.
Nos hanc gloriolam potius, laudemq́; sinamus
Inuicto, fortiq́; Deo: turgentia Regum
Colla superborum qui proterit, & pede calcat:
Subiectos, humilesq́;, ipsiq́; accepta ferenteis
Omnia, tollit humo supera ad conuexa polorum.
Qui nos successu nimio, rebúsq́; secundis
Inflatos, ideò castigat more paterno
Casibus exercens varijs, ne nostra putemus
Quæ nos ille frui secura mente sinebat:
Vt rerum & columen nostrarum, spemq́; salutis,
Priuati, Regesq́;, Deo ponamus in vno:
Nec fracti nimiùm, dura cùm sorte grauamur:
Nec rursum elati, veniunt cùm prospera nobis.

IN REDITVM FRANCISCI LOTARENI GVISIORVM DVCIS.

ITe coronati, festiuoq́; agmine Ciues:
 Ite, nouis quam mos Regibus ire viam.
Ite Magistratus cum fascibus, ite ministri
 Sacrorum: ite minor turba, Senator, Eques.
Omne forum sileat: clausæ sint vrbe tabernæ
 Artificum: locus hoc nullus honore vacet,
En vobis erit ad primum, lapidémve secundum,
 Obuius in niueo dux Guisianus equo:

Victor ab indomitis qui nunc redit vsq; Britannis,
Quâ maris angusto cogitur vnda freto.
Multos ille armis populos, multa oppida cepit:
Gallorum fines protulit Oceano.
Quis Guinam potuisse capi, potuisse Caletum
Credat, vt aduersus stet genus omne virûm?
Ipsa suis opibus fidens, & Rege marito,
Hoc longè veniens spreuerat antè malum:
Arguerat vaniáq; suos Regina timoris:
Nulla sed inuitis sat loca tuta Deis.
Aspice nec gemmis volitat, nec splendidus auro,
Captiuos hominum nec trahit ille greges.
E tantis spolijs, prædæq; ingentis aceruo,
Nil tulit, hunc albo corpore præter equum.
Hunc tamen, vt quoties gradietur, nobilis huius
In patriam toties sit memor officij.
Cætera pro meritis socios diuisit in omnes,
Contentus laudis præmia ferre domum.
Ergo prætereunte viro bona dicite verba,
Et manibus plausum congeminate pijs:
Atque Deos orate, sinant hunc, Principe nostro
Incolumi, longos vt superesse dies.
Hoc ego nec flauos metuam rectore Britannos,
Nec Batauæ gentis Vangionumq; minas.
Sperem etiam magni superato flumine Rheni.
Lilia Pannonico fixa videre solo.
Talibus incœptis moliri, Errice, decebat
Regna tibi fatis debita, spemq; nurus:

Imperiumq; tuum media regione subacta,
Extremis hominum continuare Scotis.

IN REDITVM EIVSDEM DVCIS, IOACHIM. BELLAIVS.

Vt quondam in patriam retulit cùm signa Camillus,
Spectandum niueis se dedit altus equis:
Guisius è domitis nuper sic ipse Britannis
Signa refert, niueo sic quoq; vectus equo.
Aequo præda duci prædæ melioris auaro
Albus cesit equusq; cætera miles habet.
Hæc ille ex capto retulit spolia ampla Caleto,
Hanc prædam victo victor ab hoste tulit.
At non parua tulit virtutis præmia, victor
Hostis qui rediit, victor & ipse sui.
Multorum præda est, miles quam quisq; reportat.
Vnius est magni præda sed ista ducis.

AD CLARISSIMVN VIrum M. Hospitalem, Hel. Andreas.

Sint emissa licet suppresso nomine patris.
Continuò agnouit pignora quisque tua.
Incessu grauitas, procero in corpore candor,
Cumq; sale ardua mens, ingeniumq; pium.
Dotibus est amplus, clarusq; Philoxenus istis:

Talis

Talis musa recens edita clam, ergo tua.

DE THEAVILLA CAPTA, MICH. HOSPIT. CARMEN.

VT grauis & senio confectus miles ad arma
Cùm patriæ res poscet, inutilis ipse, vocabit
Florenteis alios quantùm contendere nixu
Et laterum & vocis poterit, seseq́; paratum
Ostendet ferro patriam defendere & armis,
Amissæ quondam superent in corpore vires:
Sic ego, cui tenuis puero, vel nulla facultas
Antè fuit, nullus scribendi carminis vsus,
Et siquid fuerat, veniens tamen abstulit ætas,
Hortari aßiduè nostros haud desino vates,
Argumenta sibi præclaris sumere digna
Quemlibet ingenijs, patriamq́; ornare, virosq́;,
Siue pares illis, seu non virtute minores,
Quos aut Virgilius, quos aut cantauit Homerus.
Ni Danaos ea maior erit laus, mille profectos
Nauibus à patria, decimo vix segniter anno
Vnam Asiæ cepisse dolis & fraudibus vrbem:
Aut magnum Aeneam Rutulos superasse colonos
Fretum opibusq́; suis socialiq́; agmine fretum
Arcadis Euandri, tria quàm fortißima bello
Oppida ter denis (summùm) expugnaße diebus.
Nec verò Phrygio conflatum milite molli

Præsidium

Præsidium intus erat. Sed defensore Britanno
Guina tenebatur, celsiq; arx alta Caleti.
Hic quoque plus operis, Theauillam namq; paludes
Vndique cingebant, gelidiq; profunda Mosellæ
Flumina, delectumq; ex omni milite robur,
Præstanteisq; viros incluserat vrbe Philippus:
Quum Metis fabricas & ahenea multa parari
Audisset tormenta, pilasq; ex ære, simulq;
Ingentem valde numerum mixti sale nitro
Sulphuris. hæc secum haud frustrà prouisa putabat.
Hisq; velut claustris sperabat, & obice tali
Nostra moraturum se, iam gradientia campo
Agmina: dum vocat ipse suos malè parcus eunteis
Tardius, & segnes cogit sub signa maniplos.
Obsessi interea media plus parte suorum
Amissa, cùm murum hostis turremq; teneret,
Nostrorum (superest via quando hæc vna salutis)
Permisêre ducum fidei res, arma, virosq;.
Omnia, quæ illorum precibus concessa benignè:
Et medici morbos curareq; vulnera iussi,
Pertulerant toto ciues quæ plurima bello:
Adiutiq; inopes & equis & nauibus, vtrum
Carpere iter mallent: tum si quis in vrbe manêre
Vellet & in patria, non ægre facta potestas.
Hæc demùm insignis pietas, ea regia virtus,
Vt bello premere armatos, sic parcere victis.
Nec tam se fortes animi generosaq; monstrans
Pectora, dum vertunt imis à sedibus vrbes

Complent

Complent cæde vias: nec tantum laudis ab illa
Strage domum referent: quàm cùm miserabile vulgus
Illæsum seruant, illibatumq́; pudorem
Virginibus. trahit hæc quamuis aliena stupentum
Corda virûm, & sæuos clementia mitigat hostes,
Ipsis sæpe suum facinus victoribus, ipsis
Displicet. hoc iterum quàm nolint vincere pacto:
Aut quis Marcelli, quis non audiuit inanes
Corneli gemitus, admistaq́; gaudia luctu:
Dum duo diuersis regionibus oppida vertunt
Maxima, nec cohibere valent iam militis iras,
Quin ruat, & rapidis permisceat omnia flammis?
Ipse ferus quamuis cædiq́; aßuetus Achilles
Vix, puto, vix teneat lacrymas, si versa videret
Pergama, si pulchris subiecta incendia tectis,
Ante virûm matres, & matrum ante ora puellas
Prostitui, capita illidi puerilia muris,
Si nullo ætatis, nullo discrimine sexus
Per vicos paßim proiecta cadauera cernat.
Et captæ si quid grauius tum contigit vrbi.
Nos vnum & commune quibus nomen dedit vna
Relligio, ritusq́; pares, moremq́; sacrorum,
Quanquam diuisis cœlo, terraq́;, mariq́;,
Quanquam sub Regum positis ditione duorum,
Nos tanquam fratres vno genitore creati.
Complures, nos vnius quasi corporis artus,
Indorum vel more Scytharum bella geramus?
Qui neq; dicuntur pueris, senibusue caducis

Parcere, nec tenera quamuis ætate puellis.
Ipsa (nefas dictu) captorum viscera torrent
Ignibus, & diris epulanda apponere mensis
Haud dubitant. Quin hæc potius crudelia, fratres,
Bella relinquamus, nostris contraria votis,
Bella aduersa Deo. quæ si quandoq; coacti
Suscipimus, bellum nobis cum fratribus esse
In mentem veniat, quibus æquum, lege, paremq;
Ac nobis, ipsi præstare iubemur amorem.
Hæc animo reputans, nec pacem poscere, duces
Turpe: nec oranti pacem concedere, turpe.
Ergo nec patria, nec Regis nomine quicquam
Indignum fecit, puero qui nuper eunti
Traditus ad matrem ductor custosq; fidelis,
Conuentu in medio sermonem iniecit honestum
Aeterna de pace prior: nec protinus hosti
Plus aliquid iusto tribuit, fassusúe timorem est.
Nempe aliud potius quid poscat & optet, ab illo
Rege suo veniens alijs qui regibus anteit
Omnibus, & pietatis habet cognomen in illis
Præcipuæ, quæ vox potuit magis vlla decêre
Pontificem? Nimis ille ferox auidusq; fuisse
Sanguinis humani legatus ab vrbe videtur
Ad Pœnas Fabius, qui cùm mandata Senatus
Effari iussus Tyrijs præsentibus esset,
Facto è veste sinu, bellum hîc pacemq; tenemus:
Sumite de medio vobis vtrumlibet, inquit:
Tu, verò acclamant, vtrum placet elige. Bellum

Effuso

Effuso ſimul ille ſinu ſe tradere, dixit.
Mallem equidem pacem. non tot pòſt nominis Afri
Italiciq; malo perijßent millia letho.
Attamen eſt noſtri ſermo reiectus ab hoſte
Pacificatoris. Quid nos ignauius arma
Cepimus, eiecti ſpe pacis, an acrius, ipſos
Auxilio nobis ſperantes affore Diuos?
Semper enim ſuperi reges odêre ſuperbos.
Supplicibus parcunt, pacemq́; petentibus vltrò.
Quid? qui præſidium capta dimiſit ab vrbe,
Emiſit ciues cum matribus atq; puellis
Saluos incolumesq́;, fidem ſeruauit, & omne
Præſtitit officium charis quod ſueuit amicis,
Non tibi maior erit, quàm ſi iugulaßet inermes
Armatosq́; ſimul, venum aut captiua dediſſet
Corpora, & in cinerem vertiſſet tecta domoſq́;?
Quare magnificis, fratrum celebrandus vterq;
Laudibus, ille quidem mihi ſemper & omnibus horis
Huic ſeruatori patriæ, finesq́; regenti
Francorum veteres, vos ô quibus aurea pleno
Egregij vates fundit ſe copia cornu,
Concinite æternos meritis pro talibus hymnos.
Nec tu Rex Henrice, tenax & parcus honorum
Erga illum fueris, tibi qui diuerſa trophæa
Hoſtibus à victis ſtatuit duo maxima, paucis
Menſibus. Hic te Rege fuit digniſſimus vno:
Hunc fortuna ducem meruit tua. reſpice quantum
Terrarum ditione tenes, quas finibus vrbes

Ille tuis, qui rura vel agros addidit: omnis
Oceanus tibi seruit, & omnis ripa Mosellæ
Proxima Treueris, Germaniq; hospita Rheni.
Hoc duce, præterito recreati corda timore
Incipimus sperare etiam, nos posse recentem
Aspersam maculam Quintino abstergere bello,
Dij te longæuum nobis Henrice, ducemq́;
Hunc tibi longæuum seruent: vt & ipse requiras
Extinctum nunquam, te nec desideret ille.

IN FRANCISCI ILLVstrißimi Franciæ Delphini, & Mariæ sereniss. Scotorum reginæ nuptias, Carmen.

ME ne etiam cantare iubes & ludere versu
Nec dum maturæ teneros ætatis amores,
Quos insueta Venus lasciua compede vinxit
Ante diem, thalamoq́; pares sociauit eburno?
Digna magis placidis vatum quos educat aula
Res erat ingenijs, vel docta Lutetia fundit
Quos gremio fœcunda suo. mihi publica rerum
Cura gerendarum sensus effecit amaros:
Lætitiamq́; omnem vetula grauis abstulit ætas.
Ipse quidem satis vsq; satis fecisse videbor,
Attulero causas properati fœderis huius
Reges & populos inter duo. nanq; malignè

Quidam

Quidam homines etiam hæc vulgò connubia rodunt.
Non quo more solent humiles de plebe mariti
Expectare, pilus dum mentum mollis inumbret,
Et iustæ vigeant robusto in corpore vires,
Sic Reges faciunt. licet illis ducere lectas
Quandocunq; volunt, quacunq; ætate puellas
In magno numerò. Personis regia paucis
Progenies, paucis domibus concluditur arctè.
Vnde semel neglecta prior quæ se obtulit istis
Conditio, frustra similis venientibus annis
Quæritur. hinc natis quandoq́; superbia patrum
Obfuit: innuptæq́; domi mansere puellæ,
Et solæ in vacuo longùm gemuère cubili,
Nulla expers adeò prorsus fortuna maiorum est.
Sed par non aliud conuenit pulchrius vnquam
Nobiliusúe. Puer vultu facieq́; decora
Iam magni fortisq; futuri principis olim
Dat clarũ specimen: super hæc quoq; plurima in illo
Semina virtutis sunt non obscura paternæ.
Illa autem præstat reliquis pulcherrima forma
Virginibus, comitesq́; suas supereminet omneis:
Aspectu veneranda, putes vt numen inesse,
Tantus in ore decor, maiestas regia tanta est,
Accessere etiam diuinæ Palladis artes,
Et maior sexu prudentia, maior & annis.
Quæ bona, si posita in mediocri sorte fuissent,
Per se magna tamen poterant atq; ampla videri.
Lucent illa quidem mage Regibus insita magnis:

Tum decus accipiunt à Regibus ipsa vicißim,
Splendidior gemma vt meliore inclusa metallo.
Accipe nunc quid opum vel vterq;, vel altera doti
Contulerit. Puer Henrici spes magna parentis,
Vnus & imperij Francorum ac nominis hæres
Designatus: at illa suo regina marito
Scotorum tabulis Regnum dotalibus affert.
Paruum (inquis) paruum. fateor, componimus illud
Si nostro. sed cuius opem sensitq; paratum
Non semel auxilium labefactis Gallia rebus.
Cùm bellum gererent nostris in finibus Angli,
Desertam illorum patriam simul agmine facto
Scoti incursabant. metus hic sua protinus illos
Respicere, & nostris cogebat cedere terris.
Quinetiam tellus his tam fœcunda virorum,
Tamq; ardens animus belliq́; incensus amore,
Vt cùm alius præmeret vicinum exercitus hostem,
Suppetias alius nobis laturus eodem
Tempore, cærulei transmitteret æquora Ponti.
Pro quo rex Scotus frater sociusq; vocari
Regibus à Francis meruit: stipantq́; frequentes
Semper adhuc Scoti Francorum corpora Regum.
Nunc quondam socia, & longo diuisa locorum
Atq; maris tractu, viuent & legibus ijsdem.
Et discent vni domino parere libenter
Regna duo. At medij qui sunt vtrisq; Britanni
Forsitan hostiles animos, odiumq́; remittent:
Hæredíq; ferent materni sanguinis vltrò

Impe-

Imperium. vel, si malint contendere bello,
Discent quid virtus poßit coniuncta duorum.
Magna quidem memoro, sed enim Dij cætera, Guinis
Excisis, captoq; iubent sperare Caleto.
At vos lætitia, Galli Scotiq;, solutos
Exhilarate animos, atq; omnem ponite curam:
Tuq; Errice parens, & tu Catharina bonorum
Tot Regum genitrix, & tu Soror optima Regis:
Vos etiam fratres duo gentis lumina nostræ,
Clari ambo studijs ciuilibus, alter & armis,
Quorum pulchra soror regi est enixa marito
Hoc decus. Ille quidem moriens hæc tanta videre
Gaudia non potuit. natorum cura suorum
Si qua tamen reliqua est patribus iam lumine caßis,
Ipsum credibile est lætari virgine tali,
Et tanto genero: grauiter neq; ferre vetustum
Gentis adoptiuo cognomine crescere nomen.
At mater regina libens spectacula cernat
Hæc oculis, nec ferre viæ cursusq; laborem
Extimeat, nec se rapidis committere ventis.
Sed potior pietas, & rerum publica cura
Distinet, inuitamq; locis consistere cogit.
Omnes præterea quibus aut bona, vel quibus æqua
Mens fuit, hunc faustis fortunatisq; diebus
Inseruêre diem: atq; eius meminisse nepotes
Præcipiunt. Ipsi reges, quos ordine stanteis
Cernimus ex altis fora despectare columnis,
Exultasse mihi, signumq; dedisse videntur

Lætitiæ. tantò mage ferrea corda quibusdam
Sunt hominum, quàm vel statuis è marmore ductis.
Nam quid iactatas memorem per compita voces,
Multorum & fictas lacrymas, perijsse ferentum
Omnia: & abscissam longos spem pacis in annos,
Si Francis illæsa fides, Scotisq; maneret?
Quinetiam, versis animis, noua fœdera Regem,
Atq; alias aliasq; nurus spectare iubebant:
Vnam autem gemina (credo) iam prole parentem,
Bis totidem natam quot Regis filius annos.
Quæ res visa parùm, vel iniquis auribus, æqua.
Idcirco regi confingitur esse Philippo
Nubilis & matura viro iam filia, nobis
Quam spondêre velit, finemq; imponere bello.
Hæc primùm fabella creauit Regis amicis
Inuidiam: detecta, aliquo pòst tempore, risum
Commouit populis: tam vana & turpia liuor
Sæpe malus stultos adigit prorumpere verba:
Quos ego commoneo, perfectis deniq; rebus,
Desinere in vulgus pueriles spargere nugas:
Desinere &, quæ visa Deis sunt, tendere contrà.
Nũ studijs, genere atq; opibus, num deniq; forma
Inuenient aliam, quæ se huic componere posit?
Quid promissa fides, cùm flens regina puellam
Mater adhuc teneram Regi transmisit: & illo
Pignore firmauit tabulas & pacta futuri
Coniugij? vel tot precibus votisq; petitam
Perfidiosa suis nunc Gallia reddat amicis?

Illa

Illa viro despecta alij cùm nupserit, omnem
Semper agat vitam non immemor antè repulsæ:
Et iustum cupiens vlcisci irata dolorem,
Cum ducibus nostris gerat implacabile bellum:
Aut fœdè populetur agros, aut nauibus ignes
Inijciat, nostriq́; infestet littoris oram.
Vt nec commoueat sese: tamen Anglia nullum
A tergo metuens, conscensis nauibus, hostem
Tetra magis, belloq́; incumbat durior vni.
Sic nobis veniat cum damno dedecus ingens.
Dij tantum prohibete malum, atq; auertite nostris
Verticibus. nimis illa, nimis cum dote remissa
Gentis Aquitanæ coniux magno stetit olim
Regibus. hic nostras veterum malus error auorum
Erudijt menteis, & cernere fecit acutùm.
Vos inimicitias, odia aut priuata secuti
Non potuistis item perpendere, quid sit honestum,
Et quid damnosum, aut communiter vtile nobis.
Tempus erit, cùm leta domus se regia tollet
Natorum numero, & diuinæ stirpis honore.
Quot dabit illa viros, tot erunt tribuenda viritim
Regna superstitibus. continget Gallia primo:
Proximus Insubrûm populos, omnemq́; tenebit
Italiam, Alpinis à montibus vsq; Tarentum.
Hic Scotis & iura dabit: reget ille Britannos.
Accipient alias alij mox ordine sedes.
Sic totum natis genitor dispertiet orbèm.
Hæc mihi nanque suo vati prædixit Apollo.

Quæ mea posteritas (vt spero) læta videbit:
Et dicet (si nostra manent modò carmina) dicet,
Ista olim iam noster auus ventura canebat,
Maxima pars hominum fieri cùm posse negaret.

AD CAROLVM CARDInalem Lotarenum, de pace, Carmen.

SI pacem tecum referes, tua munia Regi
Et populo non grata minus promittere possum,
Quàm fraterna fuit nuper victoria pulsis
Hostibus, & capto magna cum laude Caleto.
Ingenium tibi Dij, *sermonem & verba dedêre,*
Queis animos regere, & quôuis impellere possis.
Nec renuunt hostes, nec pacem nolle Philippus
Dicitur. At *Christerna sui cupidissima nati,*
Nonnunquam teneris missura amplexibus illum est,
Quem bello speret nequicquam posse teneri.
Quo sit nostra loco, quo res (neque te fugit) hostis.
Opprimimur Celtæ *pariter,* Belgæq; *malorum*
Ingenti cumulo, quæ nos accersimus ipsi.
Iam nimiùm longo vexatur lassa duello
Gallia: iam rerum damnosa mole fatiscit.
Præcipites coguntur agris migrare coloni,
Atque alio sub sole nouas sibi quærere sedes:
Ipsa quoque immodicis plebs vectigalibus impar,
Oppida, certatimq; domos & tecta relinquit.

Nobilitas

Nobilitas longæ sumptus, & ferre laborem
Militiæ se posse negat. nec iam locus vsquàm est,
Pressa mali videas vbi non vestigia tanti,
Quis modus irarum, finisve aliena petendi?
Hoc animis odium, lacrymosi & semina belli,
Iandudum, iam tempus erat deponere Reges:
Iam satis experti bello, quid possit vterque,
Quasq; trahat secum & quantas in prælia vires.
Barbarus externis ideò conscribitur oris
Miles, vt obuersa Turcis statione relicta
Ferrum in nos amens, in nostraq; viscera vertat?
O cæcas hominum mentes: dum mutua stulti
Pastores odia exercent, lupus intrat ouile:
Seq; super caulas saltu iacit, & pecus omne
Dentibus infrendens laniat, pecorisq; magistros:
Namq; malum hoc domibus si nondum adrepere vestris
Sensistis, moueant aliena pericula saltem:
Et Rhodus, & patruo non pridem erepta, Philippe,
Buda tuo, & miseræ bis iam tentata Viennæ
Mœnia: quæ tristem dederint si versa ruinam,
Pugnandum hic nobis vicini ad flumina Rheni
Cum Turcis erit, atque Schythis, cum milite Græco.
Forsitan huius erunt tot tantaq; præmia belli,
Vt valeant abolere metum victoribus omnem:
Nempe aliquod positum est opulentum & nobile regnum
In medio, lateq; patens prouincia, parti

Alterutri

Alterutri cessura Deûm quæ munere vincet.
Huc ades, atq; ex præteritis venientia rerum
Collige: non obscura dabunt se signa futuri
Temporis. Istorum donec vixêre parentes
Triginta totos bellum gessêre per annos:
Exhausêre suas profusis sumptibus vrbes,
Multa virûm turpiq́; dederunt millia letho.
Et quid post tantos morientibus vsq; labores,
Quid lucri rediit? prorsus nihil. vtraq; multis
Sæpe malis concussa, steterunt finibus iisdem
Regna tamen: nec quicquam alter decerpsit ab agro
Alterius. tam sæpè cadunt conamina Regum
Irrita. Quinetiam senior iam plenus honorum,
Cùm iuuenem amisso regem genitore superbus
Despiceret, nec stare paterno fœdere vellet:
Illi congressus malè, fugit: & arma coactus
Ponere, & infelix patriis decedere regnis:
Vt viuens funus sibi duceret, atq; sepulchri
Vltima in Hesperia solennem conderet aram.
Vertit pòst paulò fortuna, vicemq́; Philippus
Reddidit Errici ducibus. nec longa fuêre
Gaudia victori, capta mox vrbe Caletûm,
Et penitus nostro depulsis orbe Britannis.
Nunc iterum summis bellum reparatur vtrinq́;
Viribus, acsi primùm hodiè noua prælia tentent.
Quando igitur sine pace nequit manus vlla mederi
Tot tantisq́; malis, adhibe vim pectoris omnem,
Ingenii, linguæq́;, ac vocis melle fluentis,

Suauius.

Suauius. hanc nobis optatam confice pacem
Lotarene, tibi debebit Gallia multum.
Nil te, pontificis cura nil dignius vnquam
Suscipies: mandata tui suprema magistri,
Promißam pueroq́; fidem seruare memento.
Hoc faciens, querna in reditu cingêre corona,
Et meritum Patrispatriæ cognomen habebis.

AD MARGARITAM, REgis sororem, Epistola.

EN toties noua cura subit tibi pectus honestum
Regia virgo, subit veteris noua cura clientis,
Excipiunt alios alijq́; subinde labores:
Cura mei non digna tuo, non virginis ortæ
Regibus ingenio, Regis non digna sorore.
Et quid enim damni Respublica fecerit, aut tu,
Ignotum mihi perpetua si nocte prematur
Nomen, & hic noster consistat cursus honorum?
Quanquam non obscura nimis sunt tempora nostræ
Prima iuuentutis, vitæq́; haud pœnitet actæ:
Forsitan & veniens fuerit nec innutilis ætas.
Non tamen est nobis tanti decus, aut honor vllus,
Vt grauis vsq; tibi vel debeat esse molestus:
Et pudet, in nostra tantum te ponere caussa
Temporis & studij, tantum cepiße laborem:
Pergere continuò benefacta recentia primis

Accumu-

Accumulare, nouoq́; tibi me obstringere nexu.
Quinetiam ambitione mala peccare, nimisq́;
Gnauiter & cupidè prensans offendere poßim.
Nec cogi, precibúsve adigi, vult summa potestas,
Nec se pulsari patitur: mala nomina tanquam
Creditor appellet, strictoq́; reposcat auarus
Iudicio: semper nec largitoribus idem
Est animus, non mens eadem, non vna voluntas.
Regibus & mos est regumq́; vetustus amicis,
In sublime suos nullo discrimine primùm
Tollere, diuitijs opibusq́; explere beatos:
Inde subit satias cum nil superaddere poßunt.
Sæpe vel indignos tot honoribus, aut malè grates
Prouexisse piget, serumq́; haud tempore sumunt
Consilium, aut mores quos prima ætate probabant
Incipiunt odisse senes, & protinus ipsos
Quos habuere duces olim, scelerumq́; ministros:
Vlcisciq́; deinde viros fit ludus, & alto
Exturbare gradu: sequitur grauis ecce ruina,
Horrendumq́; malis intentat visa pauorem.
Vt taceam peregrina, domo producere poßum
Nomina non ignota virûm, quos Gallia valde est
Altius euectos prius admirata, iacenteis
Non minus afflictosq́; solo mirata subinde est.
Id verò visum meritò cecidisse quibusdam,
Pro quo Fortunam nescissent ferre secundam.
Tristis & aspectu miserabilis vsque bonorum
Casus erat: tum si qui aut nullo crimine certo

Conciderant, aut caußa minus cum nota fuißet.
Nam cui sunt hominum satis explorata Deorum
Consilia? aut quænam superis sit caußa premendi
Huius, & illius tollendi? Nostra vagatur
In tenebris, nec cæca potest mens cernere verum.
Sæpe bonos dictis, aut suspitione maligna
Insonteis premimus, culpandos sæpe tuemur.
Siue tamen dignas meriti pro crimine pœnas
Legibus exoluunt, iniusta siue grauantur
Inuidia, leuitate bonorum siue datoris:
Tam fœdi rerum euentus, tam tristia debent
Torpenteis nobis animos exempla mouere:
Sollicitos etiamq; futuri, & reddere cautos.
Sunt & apiscendis in honoribus atq; gerendis
Sunt quædam præcepta, quibus ratione docemur
Lætari modicè partis, modiceq; dolêre
Amißis, cupido communem poscere curam
Non animo. rursus nec detrectare laborem
Militiæ, aut alium, patriæ si postulat vsus.
Imprimis, moneo, vires examinet antè
Quisq; suas tacitus, ne quem minus aptus & impar
Delatum capiat, neu' sponte inuadat honorem,
Si valet ingenio, confidit & arte regendi
Vtiliter populos, patriæ si feruet amore,
Cur operam præbere suis, cur ferre recuset
Ciuibus acer opem? quin & bonus offerat vltrò
Si melius rem auctore geri se posse putabit.
Vt si quando atra cum tempestate coorta

Forte regat nauem rudis ignaruſq; magiſter,
Iactatamq; mari ſcopulis illidere tendat
Neſcius, huic tu cùm poßis occurrere damno
Expectes, dum te ſocij comiteſq; requirant
Auxilium, & dubites clauum extorquere ſedenti?
Armatus vel cùm ſuccedat mœnibus hoſtis,
Præfectuſq; loci fugiat ſtatione relicta,
Non hunc tu retrahas obtorto ad mœnia collo,
Arma vel indigno cripias, tibi ſtrennuus aptes,
Priuataq; manu patriam tutêre ſalutem?
Ille decus laudemq; tulit, qui tempore lectum
Non opportuno, terror cùm maximus eßet
Perſarum belli, tantùm ciuilibus aptum
Prætorem ſtudijs, nullo caſtrenſis at vſu
Militiæ, ignauumq; ducem ſubmouit honore,
Perſuaſum multo prius vt decederet auro:
Imperiumq; ſibi fortißimus ipſe recepit,
Quo patriam, & pulchras victor ſeruauit Athenas.
Nec minor illa fuit Thebani gloria ciuis,
Qui ſucceßorem caſtris excluſit: & vltrà
Legitimum tempus vetitos produxit honores,
Exemplo fortaßе malo, ſi praua nepotum
Mens animuſq; foret: ſed tum reuerentia legum,
Iudicijq; metus patriæ conceßit amori.
Impoſuit bello finem, Danaumq; per vrbes
Conſtituit dominas victa Lacedæmone Thebas.
Ergo recuſandus labor vllus, honoſq; gerenti
Rem benè, præſtantiq; viro non eſſe videtur.

Eſt

Est tamen est aliquis tibi suffragator honoris
Relligione fideq; excellens antè legendus,
Cui velut innixus firmo consurgere trunco
Possis, atq; leues omneis contemnere ventos.
Bellum est nanq; viris, & crescere rebus honestis.
Ipse vide, quo sis animo, qua mente capessas
Publica: sæpe bonus petijt qui ciuis honorem
Oblatum cepitúe libens, corruptus adepto est.
Sit via plana licet, faciliśq; ascensus in altum,
Difficile in summo pedibus consistere rectis:
Lubricus, & partem locus est procliuis in omnem:
Caligant in luce oculi, nec ferre nitorem
Aut Solis possunt radios. magis optima quæq;
Ingenia esse solent obnoxia casibus istis.
Vt paulùm se sustineant, pòst illa videbis
Alterius cadere impulsu, ferriq; deorsum.
Præterea studium nulli satis, aut sua constat
Conditio: nunc his animus, nunc ducitur illis.
Semper & vlterius vani splendoris amore
Progreditur, semperq; nouas festinat ad artes.
Ante senex perfusa videt sua tempora canis,
Supremumq; instare diem, quàm lassus eundi
Tandem fixa loco vestigia ponat in vno,
Quàm secum statuat cuinam sese applicet arti.
Vt qui Dædalei conclusus carceris intra
Ancipites flexus indeprensośq; viarum,
Hoc dubius modò carpit iter, modò nescius illud:
Cumq; diu multos errans confecerit orbes

Hh Huic

Huc ſeſe referet, primùm diſceſſerat vnde.
Tanquam aut Callipides, qui crura pedesq; mouendo
Aßiduè, nunquam tamen eſt procedere viſus.
Talis homo, plerumq; ſolet traducere vitam
Irrequietus, inops rerum quibus intus abundat:
Et poſita ante oculos conquirens trans mare longè.
Erroris qui fortè modum ſi fecerit vſquam,
Atq; habitare domi volet ambitione relicta:
At vicinus ei lites, & bella mouebit:
Et neq; longa ſinet cum dulcibus otia natis
Carpere. ſic noſtra aut aliena peſte grauamur.
Inuidiæ flamma eſt nulla vitabilis arte,
Nullis conſilijs. Tantùm illud, ne quid & ante,
Et poſt delatos nequid peccemus honores,
Poſcendum à Superis, & nos pro parte virili
Nos toti debemus in hanc incumbere curam:
Præcipuè nobis animos ne gratia turbet,
Alteriusúe odium, ne verba minæq; potentum,
Néue preces, ne turpis auaro in iudice quæſtus.
Quæ mala iam multas verterunt funditus vrbes:
Et vertent alias, niſi quis Deus exigit iſtos
Vrbe foroq; lupos, & pacem reddit ouili.
Sic facilè euentus rerum quoſcunq; feremus,
Si praui nullius erit mens conſcia facti:
Si noſtro neq; partus erit, neq; perditus vllo
Dulcis honos vitio: ſi rectè geßimus illum.
Quò minus iſta mihi dudum promiſſa, laboro
Vt tandem veniant, & quæ tu debita dicis.

Cætera

Cætera nec vereor, tua ne leuis acta retractes:
Aut nostri pertæsa vetes me longius ire,
Deijciasúe gradu, quo me paulò antè locasti.
Note mihi tua summa fides, prudentia multis
Nota mihi rebus, nota est constantia morum.
Nemo tuas vnquam verbis fallacibus aures
Delator, nemo simulatus cepit amicus.
Libertas vrbana tibi iucundior omni
Obsequio: semper facilis venientibus ad te,
Et comis, non blanda: grauis, non dura fuisti.
Scilicet adiutrix inopum, tu sola bonorum es
Perfugium, tua sancta domus: tibi regia circùm
Mensa frequens hominum laudatis cœtibus omnem,
Quàm longa est, cœnam vario sermone trahentûm.
In medio Regina sedes, velut arbitra rectè
Dictorum, aut pleni moderatrix vna theatri,
Audis sermones, audis mala scripta, poëtæ
Vel bona quæ recitant: & præmia diuidis æqua
Omnibus: aut fratrem nunc maxima bella gerentem
Concilias potiora colentibus otia Musis.
Sic bona communi vobis delata parente,
Sic ambo tenuistis, vt in te pacis amorem
Vulgò omnes, belli studiumq; mirentur in illo:
Et dubitent hodiéne togæ, plus laudis, an armis:
Nobilior lauri folijs, hederáne corona.
Me paruum atq; humilem, vix fama & nomine (notum,
Iudicio surrexère tuo, dignumq; tuarum
Esse habitum cura, longo iam tempore, rerum,

Quanti, virgo, putas, quantum mihi laudis ab illo
Accessisse die, quo me Regina vocasti?
Nam si principibus placuisse quibuslibet, amplum &
Magnificum est: quid ei, Regis quæ filia, Regis
Et soror est? quæ tam reliquis & lumine mentis
Præstat & ingenij, quàm Luna minoribus astris?
Hoc magnum satis vsq; satis, nimiumq; videri
Debuit: hoc fretus contemnere cætera possum.

MICH. HOSPITALIS IN Andream Tiraquellum.

QVi *nondum planè tersus, nondumq; politus*
Olim imprudentis domini liber ænea claustra
Ruperat, effracto veluti qui carcere fugit
Hinnulus, & spacijs decurrere gaudet apertis:
Tandem opera magna, studioq; retractus herili
Sub clauem tristesq; foros, ibi tempore longo
Oppressus latuit: Nunc multò quàm fuit antè
Diuitior, plenis & iam maturior annis
Redditur in lucem: qui tantum distat ab illo,
Quàm grauis & sapiens annis iuuenilibus ætas.
Vtq; scias planè perfectum, authore libenti
Prodit, iudicium, lector, graue cuius apud te est.
Multa quidem monumenta tuæ virtutis habemus
Andrea, multis venit tibi gloria rebus:
At te non alio tantùm iactaueris vllo,

Iudice me, nullo ingenium tibi se mage tollet:
Quàm quo vincla doces animis aptare duorum,
Et quibus ille roget verbis, quibus illa sequatur.
Quæ sint coniugij stantis, quæ iura soluti:
Vno cuncta simul conclusa volumine iusto.
Scripserit haud dudum quanuis opus vtile, nostro
De conseruandis in nomine rebus auitis:
Quæ vel nequitia, vel dura sorte propinqui
Mutarunt dominum, atq; alieno iure tenentur.
Ipsa tibi fœcunda licet natura, nouarum
Quotidie rerum species, formasq; ministret,
Mox alium iungens, alio defuncta, laborem:
Ingenij specimen nequeas tamen edere maius.
Sic etenim macra & sterili versatus es in re,
Tot dotes istuc, bona tot peregrina tulisti,
Vt nihil vberius, meliusúe hoc viderit ætas
Ea dici quod sæpe solet; præstantia posse
Ingenia è paruis elephantos reddere muscis.
Sic culicem noster, sic Græcus lusit Homerus
Prælia ranarum nunquam pugnata duello.
Tantò est humanis maior mens ignea rebus,
Quæ penetrat cœlos, & tartara tendit adima
Dilatat, constringit, adauget, diminuit res.

FINIS.

IO. AVRATI LE-MOVICIS, REGII GRÆ-

carum literarum in Academia Parisiensi professoris,

Poëmatia.

IN IO. AVRATVM LEMOuicem. Ex Allusionum ipsius Libro primo.

Carmina cùm facias præsentibus aurea Musis
Conueniens meritis nomen adepte tuis
Diceris Auratus: diceris at alter Aratus,
Nomine si fuerit littera dempta tuo.
Sic mihi tu geminæ decoratus munere linguæ
Auratus Latius, Græcus Aratus eris.
Ni satis hoc (auro tua namq; poëmata certant)
Virgilius Latius, Græcus Homerus eris.
Carmine Mæoniden, Latium si vincet Homerum
Vllus in hoc æuo, Ianus Aratus erit.

Aliud in eundem.

Vt nihil est fului pretio pretiosius auro
Sic nihil est pretio quod tua scripta premat.

Carol. Vtenhouius F.

IOAN.

IOHAN. AVRATI

Regij Græcarum literarum professoris, Poematia.

AD ILLVSTRISS. PRINCIpem Carolum Cardinalem Lotharingum.

Portat in auratis Victoria Carole pennis
Henricum ad cœlum, Guisiademq́; tuum.
Et mea nunc præter solitum temeraria Musa
Ad cœlum audaci nititur ire via.
Sed si blanda tui subuexerit aura fauoris,
Quos canit, astra super Musa secuta canet.

IN GVISII DVCIS REDITVM EX ITALIA.

SOLVANT *Camœnæ triste silentium,*
Soluant: & acri Guisiadem lyra
Cantent, remoto iam Britanno
Mœnibus à patrijs tumultu.
Nuper secundus dum terere Annibal
Fastus superbos tenderet Alpium,
Ausi feroces tum Britanni

Gallica sunt penetrare rura
Orbata tanto præside, tot virûm
Cùm cæsa fœdè millia, proh nefas:
Tot vincta ductorum pudendis
Brachia nobilium catenis.
Iam gloriari quidlibet insolens
Iactabat Anglus, celsa Lutetiæ
Se templa fundo diruturum
Sacrilegis spoliata dextris.
Sed Guisiani fama ferociam
Gentis superbæ contudit ocyus:
Vix ductor auditur redire
Guisius, & fugitant Britanni.
Vt fortè viso cùm cane Theßalo
Immanis ausi conscius aufugit
Agna lupus laxis remißa
Faucibus horribiliq; dente.
Nec mirum, agebat nõn stimulus ducem
In bella simplex: mixtus erat dolor
Acer pudori, capta signa
Gallica, se rouocatum ab ausis.
Vt pœnus olim, Scipio cùm vreret
Arces Elisæ, iam Capitolio,
Cuncto timente iam Senatu,
Signa domum reuocare iussus.

DE CA-

DE CALETVM VRBE NVper à gallis Guisio duce recepta, Carmen alternum Aurati.

Loquuntur inter se

NVNTIVS ET VVLGVS GALLICVM.

N. CLAMATE GALLI NVNC
ter io io.
V.Quæ læta Gallis instat ouatio?
N.Capti Caletes.V.Multa paucis
Digna nouo memoras triumpho.
N.Vicêre Galli, sed duce Guisio:
V.Io triumphe, nunc ter io io.
N.Vicêre victores Britannos:
V.Nunc ter io, ter io triumphe.
N.Annos ducentos serua Britanniæ
Vrbs libertata est.V.Nunc ter io io.
N.Migrate iam prisci coloni.
V.Nunc ter io, ter io triumphe.
N.Illinc Philippus pulsus Ibericus.
V.Pulsus Philippus antè Valesius.
N.Vt nominum, sic fata rerum.
V.Nunc ter io, ter io triumphe.
N.Rex pulsus Anglis antè Valesius:

Rex

Rex nunc repellit ecce Valesius
Henricus Anglos. V. Est nepos, est
Vltus auos: ter io triumphe.
N. Medi feroces Ecbatana ob sua.
V. Angli minaces ob sua Risbana.
N. Sed capta Græcis illa, Gallis
Viribus hæc. V. Ter io triumphe.
N. Non iam Britannos ardua mœnia
Seruant Caletûm. V. Nunc ter io io.
N. Non æstuarij fossa clausi.
V. Nunc ter io, ter io triumphe.
N. Quâ nuper Anglus oppida Gallica
Trux aßilibat liberius vagans:
Hac aßilit nunc Gallus Angla.
V. Nunc ter io, ter io triumphe
N. Nunc præda prædo factus. V. io io.
N. Victusq; victor. V. Nunc ter io io.
N. Nunc prouocator prouocatur.
V. Nunc ter io, ter io triumphe.
N. Henricus author tam subiti boni,
Qui Guisium cum fulminibus suis
Misit Caletes territurum
Igne suo. V. Ter io triumphe.
N. Hispanus hostis non semel hunc ducem
Sensit valentem. V. Túncne Valentia est
Cùm capta? N. Et ad Rantina castra,
Atq; Mosellica. V. Io triumphe.
N. Olim puellæ vis Lotharingicæ

Pellebat

Pellebat Anglos (mira, sed acta res)
A Gallia: nunc Gallia Anglos
Vis iterum Lotharinga pellit.
V. *Fatale quoddam ius Lotharingiæ est*
Gallos ab armis asserere Anglicis
Quondam puellari, virili
Marte recèns: ter io triumphe.
N. *Rex, ánne dux est ipse beatior?*
V. *Ambo beati, Rex duce, Rege dux.*
N. *Ambobus ergo ambo canamus:*
V. N. *Nunc ter io, ter io duobus.*

AD HENRICVM VALESIVM Regem inuictiss. DE CALETICA VICTORIA.

Alternis loquuntur duo de plebe Gallica.

GALLVS I.

Audax Iberus coniugio nouo,
G. II. *Dotalis audax imperio Insulæ,*
G. I. *Henrice te tentârat vltro,*
G. II. *Nunc timet ante tuos Caletes.*
G. I. *Sic vltro Atridem voce lacessere*
Ausus superba vxorius ille Phryx:
G. II. *Sic mox lacessitum refugit*
Coniugis in gremium recurrens.

G. I. Iur-

G. I. *Iurgauit vxor tunc reducem Parin:*
G. II. *Iurgabit vxor nunc reducem virum:*
G. I. *Quòd turpiter ceßißet ille:*
G. II. *Quòd modò turpiter iste ceßit.*
G. I. *Ergo (inquiebat tunc Helene suo)*
Victus redis tu semiuir à viro:
G. II. *Ergo redis tu (dicet Angla)*
Victe viris vir Ibere Gallis:
G. I. *At non eras id pollicitus tuæ:*
G. II. *Non, sed subactæ iura Lutetiæ:*
G. I. *Et sceptra regni Gallicani:*
G. II. *Pollicitis leue pondus amplis.*

DE REGE HENRICO IN EQVO veredo ad Caletes vecto, Duo Viatores.

V. I. *Quem tam citato fert leuis impetu*
Sublimem in auras Persea Pegasus?
V. II. *Henricus est quem fert volantem*
Nunc equus ad domitos Caletes.
V. I. *Nunquid resectæ Gorgonis in manu*
Colla, & cruentas exuuias quatit?
V. I. *Non colla sed raptum Medusæ*
Ille quatit spolium Britannæ.
V. I. *Quis iunctus illi purpureo volat*
Fulgens galero, & purpurea stola?
V. II. *Non tu sacrum noscis galerum*
Mercurij, similesq; vultus?
V. I. *Num Perseo iste Mercurius dedit*

Falcatum

Falcatum & ensem, & verba salubria?

V. II. Quidni? dedit sed fratris ensem,

Ipse suos monitus salubres.

DE DVCIS PARMENSIS COPIIS à Ferrariano Principe nuper fusis fugatis.

DVm Guisiani feruet adhuc recens
Plausus triumphi, plausus adest nouus:
Ferrarij quem dextra nuper
Martia Marte tulit secundo.
Ergo trophæum dux geminus duplex
Vno excitauit tempore, de domo
Vna: iugalis namq; tæda
Vna duos sociat penates.
Ferrarianam Laurea filiam
Duplex coronet: quam meruit suus
Illinc vir, hinc frater, receptis
Ille Caletibus, hic Iberûm
Cæsis virorum tot modò millibus
In montium radicibus, oppidum
Ad Rhegij: quos infidelis
Parma ducis malè protegebat.
Ferrariani ô ferrea dextera:
Quæ tot cruores sparsit Ibericos
Vno sub ictu: vt lata campos
Sanguinis obrueret procella.
Qualis frementi murmure proruit
Torrens supinis collibus in cauas

Valles;

Valles: vt horrendam propinqui
Diluuiem trepident coloni.
Vnis beata ô Gallia sat nouis
Esses opimis: sed cumulat Deus
Pæane Pæanem, rependens
Damna lucris tua fœneratis.
Hic expiabit annus (vt incipit)
Anni prioris dedecus: accipe
O Gallia omen: sed Deûm quis
Vestra trophæa Duces ligauit?
Idémne qui vos antè ligauerat
Connubiorum nexibus aureis,
Nunc ferrei iunctos triumphi
Infragili religat catena?
Tam forte quæ vis soluere vinculum
Poßit? quis illud diruere impetus?
Est magna vis affinitatis,
Maior erit socij trophæi.

IN CONVENTVS AB AVGVstißimo Gallorum Rege Henrico II. Parisijs habitos Nonis Ianuarijs 1558.

ALLEGORIA.

AVdacis iuuenis cùm temeraria
Virtus patris equis vsa proteruius,
Flammasset superum templa, nouos sacris

Ignes ignibus inferens:
Casu sollicitus Iupiter ætheris
Compescit prius ignem, atq; deûm metus:
Tum circumspiciens cuncta perambulat
Regni læsa sui loca.
Postquàm intacta rogis cætera & integra
Deprendit solito more perennia
Stare à perpetuis nexa adamantibus,
Præter si qua vorax vapor
Iam consumpta auidis carpserat ignibus,
In partem vacuam labe deos vocat
Omnes, semideosq́;, & simul infimæ
Plebis præcipuos duces:
Communisq́; super clade periculi
In commune iubens subsidium dare,
Sic ipse in medijs ora resoluere
Sacris vocibus orsus est:
Res magna, ô Proceres, nunc agitur, salus
Omnis vestra meis nixa palatijs,
Quæ læsa à subita conspicitis face:
Nam quæ vestra Dei salus.
Si seruantia vos tecta Iouis ruant?
Vos ergo in medium consulite, & meis
Vestrisq́; exitium pellite sedibus
Pro se quisq; fideliter.
Certè summa fides ac pietas mea
In vos semper erit: huius & obsidem
(Si fas dicere, sed fas mihi) fatum

Do communiter omnibus.
Dixit, nec mora Dij verba Iouis suis
Excepêre sonis: prima Iouis fides
Hermes, purpureis cinctus honoribus
His Regem resecutus est.
Quis non de superis tam placido & bono
Regi præstiterit, quam meruit, fidem
Tot tantisq́; suis ille laboribus
In communis opes boni?
Cuius primus honor, quòd reuerentia
Dijs templisq́; deûm salua sua est adhuc
Contra barbara tot monstra Gigantium
Cœlo bella minantium.
Alter proximus illi hic Iouis est honor,
Non siuisse rudi secla silentio
Torpere, & varijs artibus ac sonis
Instruxisse hominum genus.
Et nunc quanta animi sollicitudine
Coniunctum superumq́; atq; hominum decus
Incumbit reparare, ignibus impijs
Tentatas superas domos?
(Sed quo iam vlterius, quò ruis ô procax
Musa âugusta deûm consiliantium
Paruis dicta modis attenuare? age
Adduc interius rotas.)
Hæc Hermes superûm digna fauoribus
Diuina ambrosio gutture fuderat
Verba, & quicquid opum diuitibus latet

Templorum penetralibus,
Offert ad reparanda vsta palatia:
Pubis robora Mars, gnauaq; brachia
Fabrorum alma catas artificum Themis
Mentes: æquoreus deus
Largam materiam, marmor, ebur, rubro
E ponto lapides, quicquid ab vltimis
Terris turba refert alta secantium
In vastis onerarijs.
Laudatis pariter vox Iouis omnibus,
Conuentumq; deûm, vnaq; silentium
Soluit: cuncta fremit murmure plausuum
Intus Regia Cœlitum.

AD MARGARIN VALEsiam Regis sororem,

De Guiniana arce recens capta.

Qvis tot recentes sufficiat tui
Fratris triumphos Margari dicere?
Non fessus ille hostes domando:
Fessus ego domitos canendo.
Capti Caletes, captaq; Risbana,
Et capta nunc arx Guinia, & altero
Alter super rumore rumor
Lætus ouans venit à Britannis.
Sed Guinij nunc præcipuus labor
Cantu canendus præcipuo mihi est,
Absente quo de Rege curas

Sollicitæ minuam sororis.
Absens receptas ille Caleticas
Turres recenset, templa, vias, domos:
Absens recognoscit suorum
Vulnera, facta, trophæa, prædas.
Hostes Britannos vrbis agens pudor
Gallis receptæ post duo secula,
Pro Guinianis præliari
Mœnibus acrius incitabat.
Multi furebant intus Iberici,
Fortesq;, forti cum duce, milites:
Gallos & vrgebant Britanna
Durius integra signa fessos.
Sed Rege viso, castra recentia
Pugnare credas: tam celeri impetu
Intratur arx tum Guiniana
Vi, sine conditione, capta.
At dederes te (si saperes satis)
Sicut Caletes, Guinie: & à duce
Mox impetrares tam benigno,
Ne rigidos caderes in enses.
Punire quos vult pro meritis Deus,
His mentis aufert consilium bonæ.
Cæsi rebelles: nunc superbæ
Pœna alias monet vrbis vrbes.

DE

DE POETIS, ET PRINCIpibus victoribus Poëtas amantibus,

AD EVNDEM PRINCIPEM *Carolum Lotharingum Cardinalem,*

Carmen Pindaricum.

STROPHE I.

Prisci, Lotharinge, Poëtæ
Quos coronatos comam
Simplici lauro, nec auro,
Duxerunt antra in sua Pierides,
Nouerant solos amores
Ad calamos modulari,
Si qua puella decens, aut si qua nympha
Dulce florentis iuuentæ ver agebat.

ANTISTROPHE I.

Fului nec enim nitor auri
Rusticis adhuc erat
Cognitus Musis: nec vllus
Rex amandis carminibus pretium
Dixerat: testudinem nec
Tum decorabat eburnam
Aurea lamina: sed vili tabella
Pauper è ligno dabat cantus acerno.

EPODOS I.

Tunc quoq; Thessalicas
Te, Phœbe, ferunt pecudes ad fistulæ

Murmur arundineæ duxisse pastum,
Aureos præter capillos
Nescium quid esset aurum, nec solitum
Auream gestare manu pharetram,
Gemmeaúe tractare plectra.

STROPHE II.

Quis præside & auspice vatum
Sic egente & sordido,
Cultiores tunc fuisse
Credat ipsos? versibus aut aliqua
Constituta tunc ab vllis
Regibus esse vetustis
Præmia? diuitijs reges & ipsi
Cùm carentes, in toris herbæ virentis

ANTISTRO. II.

Sub fronde virente cubarent:
Sceptra nec ferrent manu
Vlla præter quàm recisa
Matre silua: quæ tamen, vt Styga dij,
Sic timebat peierare
Simplicitas vetus: at nunc
Aurea sceptra ferunt nostri potentes
In manu Reges & aureas coronas.

EPOD. II.

Qualis erat Siculus
Rex, aut Hiero, aut Polybulus frater, aut
Tu Thrasybule, Gelonq; clara proles
Illius potentis omneis

Et velut dulces quadrigæ Dinomenis:
Qui tenebant ſub ditione ſua
Regna totidem fœderata.

STROPH. III.

Nam Græcia tempore quodam
Diues armis & viris,
Et triumphis ac trophæis,
Atq; partis cuſpide manubijs
Clara florebat, beatam
Sed ſtolidam populata
Barbariem. nec enim ſat tuta lanæ
Pellis aureæ carens cauto dracone.

ANTISTRO. III.

Sic Perſia præda doloſæ
Facta quondam Græciæ,
Victa victores beauit:
At coronæ ſceptraq́; frondea mox
Sorduerunt: atq; cœptæ
In phalerasq́; rotasq́;
Perſides Argolicas frangi tiaræ,
Et comæ gemmis manusq́; illuminari.

EPOD. III.

Nec mora, cùm ſtudijs
Plebs arſit equûmq́;, virûmq́;, qui ſacris
Pulueruſenta nouarent rite ludis
Luſtra: feruidisq́; cautè
Flecterent metam quadrigis axifragam.
Hîc videres omnia diuitijs,

Omnia coruscare gemmis.

STROPH. IIII.

Conferta coibat ad illa
Græca gens spectacula,
Parq; maior Barbarorum
Solis ex ipsis propè carceribus
Vsq;, concurrensq; metis:
Cerneret vt decorata
Curricula atq; rotas fuluis Pyropis,
Et virentibus Smaragdis & Topazis.

ANTISTRO. IIII.

Sed non opulentior vlla
Visa equum solennibus
Pompa ludis: quàm potentes
Quas Tyranni ducere sunt soliti,
Insulæ Reges Triquetræ:
Nec domus vlla coronas
Tot vel Olympiacas, vel tot Nemeas.
Pythiasúe, aut Isthmias sortita plures.

EPOD. IIII.

Gloria sed fragilis
In frondibus arboreis est: & nocet
Dente suo caries longæua signis
Aureis argenteisq;:
Nec vigeret viua virtus lausq; virûm,
Qui feribant sydera verticibus
Dijs paria quondam per acta:

STRO-

STROPH. V.

Ni prouida cura potentum
Diuitumq; Principum
Id timens, fibros vocasset
Qui perennes arte sua statuas
Elaborarent, Eposq;
Perpetuum, numerosq;
At citharam modulandos. tunc Poetæ
Rure regales in aulas demigrare

ANTISTRO. V.

Iussi, manibus repulerunt
Stridulas arundines:
Vt Minerua cùm foratam
Tibiam, deformiter os tumidum
Et genas diuaricantem
Cerneret amnis in vnda,
Se velut in speculo spectans in illa,
Fertur abiecisse fractam: sic & ipsi

EPOD. V.

Ligna paludigena
Cera pariter, serie sed dispari,
Rite ligata relinquunt: gemmeasq;
Ad lyras testudinesq;
Admouentes dædaleos articulos,
E cauerna sculptilis aut eboris,
Aut tenuè clangentis auri,

STROPH. VI.

Auro similes modulatus

Ediderunt: atque ita
Masculo sunt cœptas cantu
Inclytorum fortia facta cani
Principum simulq; Regum,
Posthabita pecorosi
Delicijs Galatea Tityrilli:
Pallas & Pali, palatia alta syluis

ANTISTRO. VI.

Prælata, iugoq; bicorni.
Nam sues Bœotias
Pauerat qui sub vetustis
Pastor olim Pindarus ilicibus:
Aureo tunc cœpit arcu
Eminus eiaculari
Tela volantia, ceu canos olores
Quæ sacros Reges tulerunt astra supra,

EPOD. VI.

Præcipuè Siculos:
Quos Iuppiter vt genuit, sic editi
Regibus ex atauis horum nepotes
Principes, armis & ipsi
Nobiles, suoq; digni genere.
Sicut & nunc gens Lotharinga probat
Se Siciliæ Rege natam.
Charos pia quæ sibi Gallos
Mente tutans & manu,
Vt suæ testes Poetas
Laudis ornet Regia dextra facit:

Vnde

Vnde sese aurata plectra,
Aurea fila chelynq́;
Noster habere superbit nunc Apollo,
Hos habens dulces apud Regem patronos.

ANTISTRO. VII.

Se, qui volet, eßse creatum
Optet illo seculo,
Falcifer quo Rex egenos
Temperabat atq; rudes populos:
Me iuuat nunc esse natum,
Cùm decorata nitensq́;
Diuitijs & honore docta Clio
Exuit turpem situs prisci veternum.

EPOD. VII.

Dos alit ingenium,
Augetq́; bonas honor artes: sunt vbi
Præmia digna, grauis pondus laboris
Quæ leuent. nam laßat aruum
Pingue, sed fessos iuuant frumenta boues
Mellis instar, tristis amaritiem
Pabula minuunt aratri.

STROPH. VIII.

Certè propè manca sit omnis
Vis virorum fortium:
Ni sit vnde bellicoso
Comparentur arma munusq́; virûm
Imperatori duciq;.
Tempore sicut & illo,

Quo

Quo sibi Guisiades tantum suisq;
Dux parauit nominis, tantumq́; famæ,
ANTISTRO. VIII.
Virtute quidem duce, verùm
Cui comes fortuna, tu:
Meta nam Metensibus
Ille terris firma tenaxq́; manens,
Transitum præclusit hosti
Gallica tecta minanti
Ignibus atq; globis raptim rotatis
Fulminis sese modo mox diruturum.
EPOD. VIII.
Sed minuit rabiem
Hostis gemina stimulati Erinnyde,
Bile pudoreq́; tabendi pruinis
Ante murorum moras, dux
Vrbis obsessæ fidele præsidium
Atq; custos, Guisius ille vigil
Consilia fraudesq; tectas
STROPH. XI.
Vulpis vetulæ speculari:
Non minus quàm strenuus
Ire cominus periclis,
Cùm vocarent horrida signa tubæ,
Nec pauere sibilatus
Hinc simul hincq́; per aures,
Et caua tempora raptim transmeantum
Plumbearū glandium, & ferri volucris.
ANTI-

ANTISTRO. IX.

Ergo domus illa beata
Semper est, semper fuit,
Quæ viros sortita tales,
Tamq́; forti pectore conspicuos,
Tam simul largis abundat
Diuitijs proauitis:
Iuncta quibus faciles occasiones
Gloriæ virtus habet sibi parandæ.

EPOD. IX.

Sæpe suis opibus
Gens auxit opes Lotharinga Gallicas:
Non ego ficta, nec intestata canto:
Testis est amnis Mosellæ,
Altera Rhenusq; ripa potus equis
Gallicis, ô Carole docte, tua
Non sine toga, & fratris armis.

STROPH. X.

At nuper item sua fratrem
Quò tulit virtus tuum,
Gallicæ robur iuuentæ
Montium per nubiferos apices
Transferentem? qualis olim
Annibal acer aceto
Igneq́; sulfureo domare saxa:
Quà truces Vestæ focis inferret Afros.

ANTISTRO. X.

Dispar modò causaq; duxq;

Perforan-

Perforandarum Alpium.
Infideles tunc Iberi,
Infideli sub duce, Romulea
Templa, Tarpeias & arces
Diruere igne manuq;
Per rabiem indomitam stulti parabant:
Sed sua in contrarium spes vertit ipsis.

EPOD. X.

At Lotharingus agens
Agmen iuuenum (pia castra) principum,
Ibat vt horribiles arceret ignes
A Quirini mœnibus: quæ,
Turca tum tanquam prophanus, hostis Iber
Trux furebat sternere fracta solo,
Omnia Deo non probante.

STROPH. XI.

Iam tela retorta volabant
In manus quæ torserant:
Vt Gigantes cùm sepulti
Sub ruinis procubuêre suæ
Molis affectantis ad astra
Scandere more nefando:
Nam genus est hominum sensu carentum,
Qui nefas pugnare dijs non esse ducunt.

ANTISTRO. XI.

Quæ quantaq; Tibri videres
Impiorum funera?
Quot rotares non inanes

Sub cruentis vorticibus galeas?
Quas resecta fronte plenas
Guisiaci furor ensis
Demeteret, dominis raptasq; truncis
Fluctibus mandaret Hetruscis ferendas.

EPOD. XI.

Sed properauit Iber
(Tandem sua per mala vir stultus sapit)
Sancire fidem populo cum Romuli,
Et pedem referre Roma,
Te timens, Henrice, cuius Guisiades:
In Latinos pro Latio populos
Signa cruce portabat alba.

STROPH. XII.

Annibal alter iens tum
Fregit Alpes Guisius:
Pace Romanis sed acta,
Dum rediret, cautus erat Fabius
A' dolis Florentianis
Agmina salua tueri,
Atq; tuis ô Ibere fraudulente,
Punica cui vetus est fides in armis.

ANTISTRO. XII.

Contra tua vota minasq;
Guisius reuersus est:
Et reuersus est vocatus,
Vt Britannas pelleret hinc pharetras;
Sic & à Roma retractus

Annibal

Annibal, vt patriæ vrbi
Subsidium, sed mane ferret: ast hic
Ancora sacra suis Gallis refulsit.

EPOD. XII.

Gallia iam penitus
Flammis & erat populanda cædibus.
Clade tot antè virum Gallis ducumq;
Accepta, & inflatis secundo
Prælio, vrbis atq; direptæ spolio
Hostibus: cùm grata superueniens
Guisiàs hasta, sua vmbra terret Anglos:

STROPH. XIII.

Vt, cùm lepores capreæq;
Agmine lasciuiunt
Ludibundo per patentis
Aequor arui, vere nitente nouo,
Siqua visa trans volantis
Vulturis accipitrisve,
Quæ citò pingat agros, nigrans imago:
Terror imbelles feras in antra cogit:

ANTISTRO. XIII.

Sic territa tum reuocauit
Guisio viso gradum
Vis Ibera, vis & Angla,
Seq; clausos continuêre suis
Mœnibus, qui nuper vltrò in
Mœnia nostra ruebant.
Hos tamen arce Caletum, apes vt alueis,
Guisius

Guisius eruit igne, acriq; fumo.
Nec remorata virum est
Natura, nec ars loci inexpugnabilis:
Improba non hyemis bacchantis ira.
Spreuit Iccij pruinas,
Alpium qui iam niues non horruerat.
Vndecim quæ mensibus vrbs fuerat
Capta, totidem nunc diebus

STROPH. XIIII.

Est Marte recepta volucri
Regis, & gnaui ducis,
Regis Henrici, ducisq;
Guisiani: quorum ego sæpe libens
Iuncta cantabo trophæa.
Sæpe Ioui suus est Mars
Dulciter associatus à Camœnis,
Ille fulminum vi victor, hic sed hasta.

ANTISTR. XIIII.

Galli Iouis hinc quatiebant
Sæua muros fulmina:
Inde Guisius pauens nil,
Dux agebat mille secuta ducem
Agmina irruptura turres,
Mille simulq; frementum
Sub duce fratre suo turmas equorum:
Tertio cum fratre Neptunus parabat,

EPOD. XIIII.

Classe manuq; frequens,

Per mille virûm fodientum brachia
Mille tridentibus armata atq; palis,
Aggere exæquare fossas.
Sed receptui vrbe capta iam canitur:
Bella, Clio, mitte iubente tuba:
Et cane triumphum, arma differ.

IN TVMVLVM IANI Brynonis.

I. AVRATVS.

O*Ccidit, heu* MVSAE! *Mœcenas Gallicus alter*
Extinctusq́; pari carpitur inuidia.
Si pudor est DIVAE, *patrem defendite vestrum,*
Qua licet, vlcisci certè ego nitar, ope.
Mirentur reliqui, tacito vel crimine damnent,
Quòd tantas BRYNO *tam citò carpsit opes:*
Mille mihi testes, & testis millibus ipse,
Quæ dederit doctis munera, quotq́; viris.
Extant accepti tabulæ, monumenta librorum,
Quæ Mecœnati quisq; dedêre suo.
Scriptaque si numeres BRYNONIS *habentia nomen,*
Et quasi Musarum ritè dicata patri,
Vix de principibus, & vix de Regibus *ipsis,*
Plus expensum illis qui ferat, vllus erit.
Tale hominis fuit ingenium, nullum vt genus artis.
Nullum non coleret nobilium artificum.

Sumpti-

Sumptibus his, ac non nugis leuioribus, arca
Munifici exhausta est, magnificiq́; viri.
Sed quò non adeat liuor prælustria carpens
Semper, & infami splendida dente petens?
Et Mecœnatem vatum columenq́;, decusq́;
Liuor edax laxos dixit habere sinus.
Hic quoq; Mecœnas nostri rarißimus æui
Aequat quem meritis, æquat & inuidia.
Sed tandem morietur & hæc: at gloria rerum,
Vt solet, à summo funere maior erit.

Idem.

Florebas quondam BRYNO, *sed flore caduco,*
Cui tam splendida res Præside patre fuit.
Sed iuuenile calens pupilli diuitis ætas
Vtilis ab alijs, visa nocere sibi est.
Nunc deferbuerat postquam calor ille iuuentæ,
Et poteras damnis cautior esse tuis:
Nunc cùm supplicibus iam iamq́; præesse libellis,
Labentem poteras & stabilire domum,
Occidis ante diem, nec in hæc te tempora seruas,
Infelix, vitæ prosperiora tuæ
O' nunquam sors æqua tibi, puer inscius vti
Diues eras: vti cùm poteras, moreris.

Eiusdem Choriambicum.

Omnes qui tumuli cernitis hunc fossilis aggérem,
Quo BRYNO *domitus continuæ febris ab æstibus*

Nuper conditus est ante suum legitimum diem:
Nam tricesima vix acta viro quintaq; meßis est,
Dignus qui fuerat per numeros ire Phrygis senis,
Omnem fatidicæ dignus anus viuere puluerem:
Hoc qui cernitis (inquam) facinus tam miserabile,
Si quid vos miseret conditionis miseræ & grauis,
Qua sunt nati homines, præcipuè si quis honestior,
Si quis commodior pluribus & munificentior,
Ad mortem properans vt præeat deterioribus:
Ne libare pias relliquijs sit graue lacrymas,
Et mistas lacrymis ad superos fundere tot preces.

MVLTIS QVI BENE FECIT, FACIANT HVIC BENE MVLTA DII.

Idem.

Nota domus nulli magis est sua, quàm tua, BRYNO,
Nota fuit doctis omnibus vsq; domus.
Hîc epulæ, hîc epulas inter doctißima mille
Colloquia à claris sunt agitata viris.
Quæ si fortè loquax paries recitare valeret,
Non foret in terris doctior hoc paries.

Idem.

BRYNO *iam fuit, eiulate Musæ:*
BRYNO *iam perit, esurite Vates.*
Nam Musas hilarabat ille viuus:
Viuus pascere suetus ille Vates.
At nunc, nunc vbi desijt esse BRYNO,

Omnes

Omnes incipiant, licet, licebit,
Musæ, flere, sed esurire Vates.

Idem.

Remouete iam priora,
Remouete iam lauacra
Lacuumq; fontiumq;
Aganippides misellæ.
Satis hic, sed ille salsus,
Liquor artubus fouendis
Oculis cadens piorum
Super ossa BRYNONINA.
Lacrymis natans sepulcrum
Sat erit superq; cunctis
Graue, sed pium lauacrum.

Idem.

Has dedit inferias tibi nunc pro tempore BRYNO
Impetus: at ratio grandius vrget opus.

Idem.

Turbida de lacrymis lugubribus Hippocrene
BRYNO *hodie fluxit, dum cadis ante diem.*
Pro frigente calens, pro dulci euasit amara
Illa nouena lauans numina fontis aqua.
Qui fuit ante latex argenteus, is lutulentus
Confuso non iam est gurgite perspicuus.
In tumulum manibus violas dum tondet iniquis
Musa, fit ipsa suis mollibus orba comis.

Orba comis fit Musa suis. nam tu quoq; Musam
Orbâsti moriens BRYNO *parente pio.*

IN IO. STRACELI REGII professoris Epulum funebre, postridie Regalium seu Epiphaniæ celebratum.

Quàm varia incertæ quàm fallax alea vitæ
Humanum versat speq́; metuq́; genus:
Lusus heri fuerat conuiuia ducere regum,
Regaliq́; epulas exhilarare ioco.
Lux subiens conuiuia sed funebria præbet
O Straceli, socijs te moriente tuis.
Humanos casus homines perpendite, lusum
Et luxum, à luctu separat vnica nox.

Eiusdem ad Carolum Lotharingum Cardinalem.

Hebraicis, Græcis, Latijs lectoribus, anno
Carole debentur præmia pro triplici:
Hæc numerare velis, aut aßignare calendis,
Sed Latijs, Græcis nolo, nec Hebraicis.

Ad Sideridem.

O lentum mihi tormentum ferrata Sideri,
O animæ tristis carnificina meæ:
Te quidem amo, sed sic vt amat bos lassus aratrum,

Excru-

Excutere è collo quod nequit ille suo.
Quòd si vis in amore meo est, si cogor amare,
Non odi, quod amo, sed nec amo, quod amo.

Basium petit ab amica.

Cinnama quod fragret, quod roret balsama, nardum
Quod spiret, mihi da, lux mea, basiolum.
Basiolum, quod me tali perfundat odore,
Olfacere vt videar mille Arabum segetes:
Deniq;, quod semel è cœlo si olfecerit ipso
Iupiter, hoc sibi nos thure litare velit.

Ad Brynonem.

Si cœnare potes non luxuriantia Bryno
Fercula, nec mensis æquiparanda tuis:
Non ego cœnatum, sed te meus en vocat vltrò
Hortulus: ille toros instruet, ille dapes.
Nam licet herboso super aggere terga reclines:
Poneturq; cibi nil tibi, præter olus.
Qualia, vel pulmenta suis Epicurus in hortis
Discipulis, solitus vel dare Pythagoras.
Quòd si vina domo tuleris, prouideris aptè
Tu tibi: sola illic nam putealis aqua est.
Hæc te cœna meo mi Bryno expectat in horto
Sobria, sed de qua crudior esse potes.

De Bracca Brynonis cane, in eius horto sepulta.

Braccales manes, Braccali & tecta sepulchro

Ossa, arbor domui quâ facit vna nemus.
Nusquam vos melius poterat componere Bryno
Vester in hortensis quàm regione soli.
Nam sua dum cœlo canis Erigoneius astra
Promet, vt ardenti torreat arua siti:
Cognato parcet tumulo reuerentia flammæ
Cœlestis, canis est si modò cura cani.
Idq́; duobus erit communiter vtile, frondens
Hortus erit semper, semper erit tumulus.

In Albertum fidicinem Regium.

Iampridem coalescebat tibi renibus imis
Causa tuæ fidicen calculus ille necis.
Iampridem gracili lapis ille coibat arena,
Vocis & vrinæ qui tibi clausit iter.
Et periturus eras citius, nisi quòd tua donec
Testudo digitis personat icta tuis,
Vsq; remolescens rigidi natura lapilli
Non poterat tenera mole nocere tibi.
Sed dum iam senior solido de more remittis
Pangendi totos cantica docta dies:
Protinus in durum rediens lapis ille rigorem
Cœperat aßueto sæuior eße tibi.
Ignarus tacitæ tu pestis, auensq́; dolorem
Solari, repetis fila canora manu.
Nec mora cùm lapidis iam mollior altera pars est,
Altera dum fieret mollior, ecce peris.
Dicta probat demptus vesica calculus, vna

Qui

Qui iam parte tener, nunc quoque parte riget.
Qualia quorum pars latet, & pars fluctibus extat,
Incertum lapis an planta, Coralla rubent.
Qualia conspecta modò transformata Medusa
Nec iam tota viri, nec simulacra virûm.
Talis forma manet lapidis, talemq; manere
Testem Alberte tuæ dij voluere lyræ.
Cuius magna, licet fuerit te gloria viuo,
Te tamen extincto nunc ea maior erit.
Nunc tu morte tua felix Alberte, probauit
Quem lapides, mortis causa, mouere lapis.

AD IOACHIMVM Bellaium, De eius reditu ab Italia.

Sit satis Italiæ, Bellaium, quod procul vnum
Detinet, & Gallis inuidet vsq; suis.
Ille regat Romam: Romanos, qua valet arte,
Ille regat proceres, purpureosq; patres.
Ille sit externis gratus præstantibus actis:
Res iuuet & patriæ, quâ licet, inde suæ.
Pontificem leuet ille graui, sicut leuat vsq;,
Pondere: sit meritis charus eiq; suis.
Hæc ita sint, Italis tantummodo ne minor oris
Sit quoque Bellaius, se viduetq; suos.
Italides nymphæ nostri vos vatis amore
Captas non mirum est hunc tenuisse diu,
Vos magis est mirum iam permisisse reuerti,

Et vestro

Et vestro auelli non vetuiße sinu.
Et vetuißetis credo, sed certa voluntas
Illius ad patriæ tecta redire fuit.
Ille quidem pius, & senioris amore propinqui
Qui Scythica vellet in regione mori.
Aeneam pietas, pietas quoque misit Vlyßem
Subter humum, vt matrem hic viseret, ille patrē.
Te quoque, Bellai, Bellaij cura videndi
A patria potuit deripuisse tua.
Grata seni pietas iuuenem spectare propinquum
A patria Romam se voluisse sequi.
Nunc satis officio factum & gentilis amori:
Et pietas numeros nunc habet ista suos.
Nunc tempus patriæ te iam seruire relictæ:
Aeui quod superest vendicet illa tui.
Tu quoq; dulce puta, quod & ipse putabat Vlyßes,
Fumantes patriæ cernere poße focos.
Ille moras habuit gratas, sed gratius illis
Se patriæ reducem restituisse fuit.
Omnia tentauit Circe, pariterq; Calypso,
Dilectum vt poßent detinuisse virum.
Omnia sed frustra tentarunt: maluit eße
Ille vir in patria, quàm procul inde Deus.
Immortalis eris dicebat amanda Calypso,
Si mecum vitæ quod tibi restat ages.
Dixerat, & frustra tot dixerat illa frequenter:
Ille tamen miserè semper abire cupit.
Semper eò spectat, quo ventos flare ferentes
Aspicit

Aspicit ad patrij littora grata soli.
Illuc respiciens, illuc sua lumina flectens
Plorabat totos flebilis ille dies.
Donec mota viri precibus, miserataq; fletus
Nympha dedit victas in pia vota manus.
Dimisitq; virum, quamuis inuicta volentem:
Et te inuita tui Roma remisit amans.
Nunc vos erronem Bellaium admittite vestrum
Sequanides nymphæ, Parisijq; chori.
Ille dabit numeros vestris, velut antè, choreis:
Illius ad solitos membra mouete modos.
Non quia Thuscana lentus descedit in ora:
Thuscanos patrijs inseruitq; modos:
Non quia cum veteris Romæ contendit honore,
Peligno certans versibus ingenio:
Idcirco patria est oblitus carmina voce
Cantare, emeritus qualia cantat olor.
Vos ea nunc etiam, mihi credite, plectra iuuabunt.
Quæ tam iuuerunt hoc modulante prius.
Nunc quoque Bellaij discentes carmina Galli,
Hunc aliquid dicent addidicisse noui.

AD FONTEM ARCVLII siue Herculij pagi in agro Parisino. I. Aurati Carmen.

O Fons Arculij sydere purior,
AEstum marmoreo frigore qui domas:
Quamuis arua furens Erigones canis

Lentis

Lentis excoquat ignibus:
Seu tu nomen habes arcubus à tuis:
Quorum relliquiæ, semirutæ patent
Moles, quæ geminus nũc quoq; cornibus
Iucumbunt geminæ tibi:
Magni forsan opus regis apostatæ,
Qui missus Latij finibus, aduena
Sedes hic posuit, iugera Gallici
Princeps multa tenens soli.
Seu fors grata tibi causa vetustior
Huius nominis est, atq; libentius
Audis Herculij fons, & ouans tui
Crescis laudibus Herculis.
Nam fama est & in hæc clauigerum loca
Aduenisse patrem, siue tricorporis
Cùm monstri domitor gente ab Iberica
Victorum retulit pedem:
Seu tunc Hesperidum cùm decus auferens
Syluis ac pretium, ditibus aurei
Mali ponderibus tardus, Atlanticis
Vix vndis caput extulit.
Hinc Graijs etiam Gallicus Hercules
Notus, cuius erat forma, catenula
Aures quæ traheret pensilis aurea
Vulgi orator & eloquens.
Forsan cultus & hîc Herculeus pater
Quondam, non minus ac Gadibus in suis
Quâ fons Herculeo par tibi nomine
Templum

Templum dicitur Herculis
Perfudisse sacris rite liquoribus:
Qui (mirum) mare cùm cresceret æstuans
Decrescebat: vbi deficeret, suo
Exundabat ab alueo.
Huius tu veteris fontis imaginem
Seruas, namq; duplex imminet arx tibi
Illis æqua columnis, tuus Hercules
Quas finem statuit viæ.
Fors & nunc Nemees terror vbi furit
Vrens cuncta suis syderibus Leo,
Te numenq; tuum vitat, & Herculis
Arcus horret adhuc sacros.
Fons tu nobilium gloria fontium,
Quotquot Naiadum Sequanidum sacra
Semper voce sonant, semper amabili
Nympharum strepitant choro.
Nec te vincat honos famaq; gurgitis,
Quem pendentis equi protulit vngula:
Sic te celsus & hinc claudit & hinc duplex
Vmbo structilis aggeris.
Instar montis, aquas qui gemini tegit
Vmbra verticis, & Pegasidum nemus:
Hæc Phœbo sacer, hæc non vlulatibus
Vnquam Bacchæ carens tuis.
Sunt hic & sua Baccho, & sua Apollini
Consecrata loca: est numinibus suis
Non indigna quies, seu genium soli,
Artem

Artem siue quis exigat.
Hinc Blandina patent tecta salacibus
Gratas in latebras capripedum iocis:
Lasciuiq; gregis, qui sequitur Deum,
Cui colles virides placent.
Illinc Aonidum lusibus, & patri
Phœbo cara domus stat Seguieria:
Non auersa viris numen amantibus
Et musarum & Apollinis.
Tu dum nostra tuo flumine temperas
Exsiccanda pijs pocula vatibus,
Nos circùm vada, circùm latices tuos
Has laudes canimus tibi.

IN IO. VÆVRÆVM RE-cens cooptatum in Collegium Canonicorum Heduen-sium.

AVgusta tellus, & vetus vrbs simul
Augusta & ingens nomine, sed viris
Augustior, quos vsque gignis
Artibus ingenioq; claros.
Tu Galliarum penè potißima
Pars dicta quondam, tu populis potens
Armisq;, summum Gallicarum
Credita tu caput esse rerum.
Sed nihil perrenni robore cernitur
Ineße terris: perq; suas vices

Humana nunc tolluntur astris,
Nunc subita trepidant ruina.
Troes fuerunt, & fuit Ilium
Ingens: fauillis creuit ab Ilij
Superba Roma, mox & ipsa
Nil nisi grande futura bustum,
Bustive grandis relliquiæ putres:
(Namque & senectus vrbibus est sua
Et gentibus) nec tu priores
Semper eras habitura vires
Augusta moles. Quanta tamen fuit
Olim tuarum nobilitas opum,
Testantur ipsæ nunc ruinæ.
Et vetus ambitus ille muri.
Sed mitte mœstas iam querimonias,
Iam mitte Clio: Nunc quoq; maxima
Et digna tanti restat vmbra
Nominis vrbs veteriq; fama.
Latam vetustæ falx licet amputet
Syluam cupreßi, multa manet tamen
Sospes prioris pars odoris
In reliquo mutiloq; trunco
Et nunc in vrbis stat veteris solo
Antiqua gentis plurima gloria,
Seu quis requirat firma pubis
Pectora, siue animos & artes.
Sed quid Camœnæ cum lituis? quid est
Bello potentis cum populi asperis

Pugnis?

Pugnis? inermes nunc ſat artes
Arte mei celebrare plectri.
Væuræ dulcis, tu decus artium
Ingens bonarum, mens tibi callida
Non vnius linguæ: nec vnam
Diſcere ſedula diſciplinam.
Græcas, Hebræas, & Latias ſimul
Tu res amáſti: tu ſacra literis
Miſcere, quâ fas eſt, profanis
Me ſolitus ſocio atq; teſte.
Ob quæ ræmotis te tua finibus
Non immerentem patria deuocat,
Væuræ, tellus Heduorum,
Vt meritos ineas honores,
Virtutis vnis quos licet artibus
Auguſtoduni, nec petere ambitu
Fœdo: decoris tanta rebus
Laus & honos apud hoſce montes.
Et nunc amico non ego gratuler
Tanti fauoris nomine? non bonis
Muſis apud vos tam beatis,
Tam celebres meritis fauores?
Iam vos Camœnæ fidere, iam decet
Rebus ſecundis tollere ſpiritus:
Iam digna veſtro ſunt labori
Præmia docticolas per vrbes.
Vobis & ipſis non ego gratuler
Cœtus fouentum recta ſodalium?

Per quos

Per quos viris virtute claris
Est sua non sine dote virtus.
Iam te reportent in patriam tuo
Væuræ cœtu sospite sospitem
Leues fauoni sibilantis
Blanditiæ, volucrumq; plausus.
Vt gratulantum gratus in agmine
Docta salutes voce sodalium
Cœtum, suas doctos quòd vltrò
Amplificas vocet ad cathedras.

IN OBITVM F. Duareni.

O Mihi solo, Duarene, note
Nomine, & libris, celebriq; fama,
Quæ volat de te varias per vrbes,
Per populosq;.
Sed tamen longo quasi iunctus vsu,
Sic piè dilectèq; diligende
Et mihi, quamuis leuis vmbra, quamuis
Nomen inane,
Quas tibi possim inferias remotus
Infero, liboq; tuo sepulchro
Pauculos versus, lacrymasq; nostri
Pignus amoris.
Tu meas olim solitus Camœnas
(Vt ferunt qui istinc veniunt) amare,
Et fauere illis, & amica multa
Dicere de me.

Nunc & has à me tibi denegari
Sit nefas. Galli veteres solebant
Cuiq; quod chari foret, hoc perempti
Busta piare.
Sit per exemplum mihi fas vetustum
Ire: quos viuus numeros amabas
Nuper Aurati, tibi libat idem
Auctor eosdem.
Hanc habe binis tibi pro tabellis
Gratiam, quas (Iupiter) elegantes
Et perornatas memini mihi te
Mittere binas.
Quam vicem viuo tibi mors vetat me
Reddere, hanc saltem tumulo rependam,
Nil sonans plectro tumidum, sed vt tu,
Dulce & amicum.
Nec tibi tantùm mea Musa munus
Hoc dabit: doctam simul admonebit
Margarim fati Duareniani
Fata secuti
Regis. hic Regis fueras sorori
Tu cliens, contrà illa tibi patrona:
Forsitan fratris tua nunc & vmbræ
Seruiet vmbra.
Hoc tibi mors nunc dedit, at recentes
Non dedit tædas Dominæ videre:
Quid tamen refert? nihil inde damni
Est tibi factum.

Nupsit

Nupsit hæc, nubens peperitq; pacem
Galliæ: sed dira Megæra nocte
Ditis emergens thalami triumphos
Funere vertit.
Viueres si nunc simul ipse mecum,
Hunc heræ casum miserum querelis
Dulcibus plores: simul ipse mecum
Carmina libes.
Nunc ter ô felix Duarene tu, cui
Non heram fas est miseram, & beatam,
Morte fraterna, proprijsq; tedis
Luce sub vna
Cernere: ignoscas, sed ego inuidere
Hoc tibi possum, tibi si inuidere
Prosperi quicquam pius accidiße
Poßit amicus.
Quid, quòd & dulcis procul hinc abibit
Margaris nostra, & cupidum sequetur
Coniugem, Musas abiensq; linquet
Matris egenas?
Tu iaces ergo reliquis dolende,
Sed tibi feliciter & beatè:
Lacrymas non has tibi, sed tuorum
Nomine fundam.
Tu iaces, inquam, cariturus illo
Funeris primùm miseri dolore:
Et iaces illo cariturus altero
Haud leuiore.

Ille vocalis sine voce nunc es:
Ille tu nunc es sine mente, cui mens
Tam capax legum, varijq; iuris
Extitit olim.
At tuam vocem pariterq; mentem
Nuper absentem iuuenes requirunt,
Teq; nunc orbi duce, iuris errant
Per labyrinthos.
Qualis amisso pecudum magistro
Grex egens olim ducis, huc & illuc
Cursitat palans temerè per atræ
Deuia siluæ:
Nocte nec sera meminit redire
Ad sibi notum stabulum, tacente
Fistula certo sibi dante flatu
Signa receptus.
Alterum nunc tu Biturix dolorem,
Alterum nunc es graue passa vulnus,
Quale cùm fecit tuus Alciatus
Te prius orbam.
Ille sed viuusq; vidensq; liquit
Te suam dulcem patriam reuisens
Hospes externusq; tuo hunc tibi mors
Sanguine cretum
Abstulit: nec spes iterum videndi
Vlla, sed nox hunc & opaca regna
Ditis æternùm sua dura doctum
Iura docebunt.

Si q

Si qua nam vitæ memores prioris
Ars adhuc vmbras tenues fatigat,
Ille non ſella procul adſtat illic
A Rhadamanthi.
Stans ibi ſpectat noua, ſed ſeuera
Et fora, & ſubſellia, calculosq́;,
Ipſe quos quaſſat rigidus capaci
Prætor in vrna.
Nam ſcholas iuris nec habere Manes,
Iura nec qui perfidioſa vafrè
Explicent, credas: procul omnis illinc
Et dolus & fraus:
Nuda lex nudis perarata verbis
Vna, nudatas animas reorum
Pelle detracta, has citò damnat, illas
Crimine ſoluit.
Inde diuerſos via ſecta Manes
Ad beatorum loca amœna partim
Ducit: aſt illos tenebras ad imas
Flebilis Orci.
Te quidem diſcreta manent piorum
Arua, ſic purum ſceleris doliq́;,
Sic tuo gaudentem aliquid de acervo
Promere amicis.
Quamlibet Cres in tua facta quæſtor
Acer inquirat, tua iam ſeuero
Non minus cenſore ſub Hoſpitali
Vita probata eſt.

Ille non te Margaridi clientem
Traderet quondam, nisi te esse dignum
Principis cura optima deligentis
Rite notasset.
Pœnitet nec iudicij sui illum
Iudicem de te, tua sic amicè
Fata deplorat, tua sic amicè
Nomina laudat.
O probum quem tam probus approbauit:
Labis ô purum, sine labe quem vir
Ille selegit, dominæ deditq;
Labe carenti.

AD CAROLVM VTENHOuium patritium Gandauensem.

Ioan. Aurati Lemouicis Elegia.

SI tibi pauca legi permittit carmina morbus
Nunc licet Aurati carmina pauca legas:
Carmina missa tui morbi lenire dolorem,
Nam mihi de morbo maxima cura tuo est.
Non quia discipulo mea nunc sit rarior vno
Turba Sophocleis erudienda modis:
Vnus eras mihi tu gregis innumerabilis instar,
Te schola semper erat nostra frequente frequens.
Vtenhouina mihi pro multis auribus auris,
Vnicus Vtenhouius densa corona fuit.
Nunc quoq; cùm solita circunder plebe meorum,

Solus

Solus te videor deficiente mihi.
Non tamen iſta mei nunc maxima cauſa doloris,
Hæc vtinam curæ ſit mihi ſumma meæ.
Acrior ipſa tua ſuper eſt mihi cura ſalute,
Quam nollem morbo ſuccubuiſſe graui.
Atq; vtinam potius ruri tu ſaluus abeſſes,
Quò modo dicebas triſtius ire tibi.
Illic te potius vellem tuus ille Morellus
Abductum proprios inter haberet agros,
Illic comportare ſuas te in lintribus vuas
Cogeret, & muſto tingere crura nouo:
Diſcipulasq; tuas ſpectare caduca legentes
Grana, ſibi comitis matris ad arbitrium.
Illic te Vtenhoui potius ceſſare Valentem
Optarim à libris longius & ſtudijs,
Quàm nec opinato ſic contabeſcere morbo,
Dum nimium Bacchi muſta lacusq; fugis.
Forſitan exemplo te nunc iubet ille Lycurgi
Diſcere contempti quanta ſit ira Dei.
Ille, niſi fallor, læſi tibi tormina ventris
Immiſit, tela hæc illius eſſe puta.
Nunc premit inde feri rabies tua viſcera morbi,
Alui proluuies inde cruenta venit.
Sed puer ille Deus, pueri placabilis ira eſt,
Mota truces pueros cymbala flere vetant.
Cymbala tu quate nunc, pueri quò numina places,
Ille puer malus eſt, eſt tamen ille puer.
Ille puer potuit ſua ſub iuga ſubdere tigres,

Ille suo Lyncum sub pede colla premit.
Quid: non & puer alter Amor puerilibus armis,
Et pharetra & paucis intus arundiinibus.
Atq; homines domat atq; feras, licet ipse columbas,
Nec sua subdiderit sub iuga dura feras.
Carminibus quoq; gaudet Amor, gaudetq; Lyæus;
Mirum ni pueris sint ea grata Deis.
Carmina tu noua da, quorum tibi copia magna est,
Quæ tua tu partim, partim aliena tenes.
Sin tibi nunc solitæ desunt in carmine vires,
Nec satis ingenij, nec satis oris habes:
Ad partes veniat Lucretia, & ipsa Camilla
Graijsq; & Latijs vtraq; docta modis:
Voce puellarum pueri placabitur ira,
Et tibi te reddet discipulisq; tuis.
Discipulis saluum te reddet vt ille duabus,
Sic mihi pro multis redditus vnus eris.
Quod si te incolumen rursus schola nostra videbit,
Quæ sine te vasta est penè videnda sibi:
Bina Deo inscribam, cui nostra Tragœdia seruit
Iuncta Sophocleis carmina carminibus.
Bacchus amat Sophoclem, cui dum desiderat vnum
Antipatrum, incolumen reddidit Vtenhouum.
Hæc ego septembri tecum sum mense iocatus,
Conueniunt nostris lector & hora iocis.
Aeger erat lector, lepida nouitate iocorum
Cogendus morbi non memor esse sui.
Horaq; nunc anni est scriptis iocularibus apta,

Dum grauis Autumnus, dum malè tuta salus.
Dum sua clamosus differt vadimonia Prætor,
Dum schola iusticio plurima clausa suo est:
Dum pueri per agros mixtæ puerisq; puellæ
Cursantes Bacchi depopulantur opes,
Dum cadus ipse cado dum corbi corbis & æreæ
Aerea falx falci pulsa repulsa crepant.
Deniq; dum plenis feruet vindemia prœlis,
Inde caput feruens, suasit inire iocos.

1 5 5 8.

Distichon in quendam.

Carmina non vendo, tibi do qui carmina vendis,
Tu tua qui vendis tam bene, vende mea.

Ιωαν. τοῦ Αὐράτου

ὡς Κάρολον τὸν ΟΥΘΕΝ—Ο—ΒΙΟΣ αὐτίπατρον αὐτοῦ.

Πολλά συ νῦν θαῤῥῶν ἐπιγράμματα Κάρολε γράψεν,
πάντα γὰρ ἃ γράψεις ἔσεται ἀντιπάτρου,
Ἀντίπατρος σὺ γὰρ ἦσθα, καὶ ἀντιπάτρου γράφα ἔσχε
ΟΥΘΕΝΟΒ', αὐράτου μάρτυρες, ὅσσα γράφεις.

Κ. τοῦ ΟΥΘΕΝ—Ο—ΒΙΟΣ εἰς αὔρατον.

Χρύσειον ἴς σοι κάλεσσιν, ἐτήτυμος ὁ πόλε πάμπαν:
Χρύσεος ὁ σὺ πέλεις, χρυσεῖς ἀφ' αὐτότατος.

εἰς καλλίμαχον ὑπὸ Κ. τοῦ Οὐθὲν—
ὁ—βίος εἰς τὴν ῥωμαίων φωνὴν
μετα νεχθέντα.

Τίς κε τὸν ὑμνογράφων τὸν καλλίμαχον μέγ' ἄριστον
ὃ φύσει ὕμνων ἄξιον ἀντιτυχεῖν;
Οὔτις ἂν ὧδε μανείη. ἐγὼ δὲ μάλιστα γε πάντων
φημὶ τὸν ὑμνητὴν ἀξιουμνοτάτον.
Ἀλλ' οὐχ εὑρετὸς ἄλλος ὁ καλλίμαχος κατὰ γαῖαν
ὅστις ἂν ὑμνήσει ἄξια καλλιμάχου.
Κάρολε νῦν σε λαχὼν ὕμνων ἔθεν ἑρμηνευτὴν,
ἄξιον ὑμνοπόλον δεύτερον αὖθις ἔχει.

Ἰω. τοῦ αὐράτου.

ODES AD CAMILLAM Morellam Commatrem fragmentum.

O nec paterni degener ingenî,
Et matre docta filia doctior,
Si tu Morelli vera proles,
Veraq; filia Deloinæ es:
Diuina sed vis mentis & indoles,
Diuinus artes inpetus ad bonas
Vnam iubent te suspicari
Mnemosynes Iouis & puellam.
Non tu, puellæ ceu reliquæ, quibus
Mortalis ortus, parua pueritiam

Inter colos lanasq; viles
Inter acus neq; transiisti.
Sed nec Camillæ more, tibi dedit
Quæ nomen, altis in siluis feras
Sectans, puellarem exuisti
Turpiter ambitiosa sexum.
Paternos inter sedula sed libros
Materna versans inter & optima
Præcepta, dum tractas viriles
(Facta vir es velut Iphis) artes.
Nec iam Camillam dicere sed mihi
Te fas Camillum, non patrio solo
Qui reppulit Gallos, sed illos
Qui decus in patrium reducet. &c.

* * *

Collega quod si tertius ad duos
Accedet illos doctor, item tuus,
Spes magna Flandrorum, domusq;
Vtenhouæ rediuiua virtus:
Tam dulcis ibit, tam mihi candida hæc
Commatre Lux te & compatre Carolo,
Quàm Carolus qua summus ille
Compater est mihi luce factus.

Aliud ad Carolum Lotharingum Compatrem suum.

Carolus Auratus tua Carole nomina seruans
Munera parua puer dat tibi, magna petit,

Magna

Magna petit, nec dat magno, tibi, nam dare magnos
Munera magna decet, non decet accipere.

EIVSDEM IN CAR. VTENhouium Nonni Dionysiacis insudantem.

Vtenhouius Nonno nonam dum noctis in horam
Incubat, Aurato concubius esse cupit:
Sed negat Auratus, quia non putat esse decorum
Gallinæ gallos concubuisse duos.

IN ITALVM FVNAMBVLVM in Sequanam lapsum, Aurati & Vtenhouij colloquiuum

ἡμιστίχιον.

Aur. *Italus esuriës* Vtenh. *si spes modo iusserit auri,*
Aur. *Alter erit Phaeton,* Vtenh. *Icarus alter erit:*
Aur. *Ardeat vt Phaetõ* Vt. *mergatur vt Icarus vndis,*
Aur. *Ambustus* Vtenh. *medijs præcipitetur aquis.*

Idem græcè

Ἴταλος ὢν πινάρὸς, χρυσοῦ τις ἂν ἐλπὶς ἀνώγει,
ἴκαρος ἔσθ᾽ ἕτερος, καὶ φαέθων ἕτερος,
Ὡς φαέθων φλεχθῇ, ὡς ἴκαρος ὕδατα δύῃ
κεκρύφθω μέσσοις ἡμιφλεγὴς ὕδασιν.

Idem aliter

Ἴταλε χρυσομανὴς χρυσοῖο κενέλπιδα βόσκων

ἄλλος

ἄλλος ἔσῃ φαέθων, ἴκαρος ἄλλος ἔσῃ,
Ὡς φαέθων φλεχθεὶς, ὡς ἴκαρος ὕδασι βαρυθεὶς,
[illegible] πυρπληγὴς τε ὕδωρ.

τοῦ—ΟΥ̓ΘῈΝ—ὉΒΙ'ΟΣ.

AVRATI AD MARGARItam Francicam Henrici ſecundi vnicam ſororem,

τετράστιχον.

Lætus vt hic annus læto tibi ab omine ſurgat,
Accipe de lætis omina connubijs.
Exitus in dijs eſt, ſed ſeu præſagia vatum
Sunt aliquid, vel nil, quid bona verba nocent?

Ad Ianum Auratum.

Aurate, Aoniæ decus cateruæ
Aurate, aureolis tuis Camœnis
Nobis aurea ſecla qui reducis,
Putabam ipſe quoq;, id quod & putabat
Ilio, & pelago miſer tot annos
Vlyſſes ithaca è ſua reuulſus,
Dulce ſcilicet eſſe vel fauillam
Fumantis patrij foci videre,
Gaudebam atq; mihi ipſe gratulabar,
Circes pocula, munera & Calypſus,
Sirenum inſidias, trucem Charybdim,
Fauces Antiphatis, domoſq; diras
Cyclopum potuiſſe præterire:

Sed (ô spes hominum leues) reuersum
Per tot heu pelagi æstuantis vndas,
Per tot flumina, saxeasq; rupes,
Per tot aërias niues, proterui
Edunt mille proci, procos vocare
Si curas liceat, malasq; lites,
Quæ nostrum malè corculum perurunt,
Quæ nostras penitus vorant medullas.
His, Aurate, malis premor misellus,
Hæc Aurate meam domum frequentat
Turba, sic patrios lares reuiso.
Saltem si qua mihi domi pudica
Foret Penelope, piusq; natus,
Longæuus genitor, sagaxq; nutrix,
Qui læti exciperent, pijsq; fessum
Fouerent manibus: nihil sed horum
Repertum mihi: ne vetus quidem
Agnouit dominum canis. quid vltra?
Iam spes nulla mihi, mihi salutis
Nulla iam misero via indicatur,
Ni quem, Aurate tibi dedere Musæ
Arcum, mî dederis, malos necare
Procos qui valeam potente dextra.

Ioach. Bellaius. And.

IDEM IN IO. AVRATVM

Aurea quòd Phœbus dictet tibi carmina Iane

Aurati

Aurati nomen fata dedere tibi,
Aurea carminibus sed si det munera Princeps,
Aureus ex vero tunc tibi nomen erit.

AD CAROLVM LOTHA gum Cardinalem Mich. Hosp. de rato in Regiorum professorum numerum cooptato 1556.

ἑξάστιχον.

Auratum, cui nihil fuit auri, præter honestum
Nomen, inaurasti: sibi nunc bonus ille Poeta
Non auratus, vt antè, sed aureus esse videtur.
Pro quo non fuluo templum tibi construet auro,
Aureolis magis ille suis te versibus olim
Aurea cantando sublimem ad sidera tollet.

In eundem C. V.

AVrea cum non sint tua carmina Iane sed aurũ,
Te precor Auratum qua ratione vocas,
Quos facis Aurati, sunt Aureoliq; Poetæ,
Hoc cur dicaris nomine causa latet:
Ergo tui causam vel nominis ede, vel aurum
Tu mihi mutato nomine semper eris.

Eiusdem. In Io. Auratum.

ἀναγραμματισμός.

ARS EN NOVA VATIS.

Arte noua factum cum noster Apollo Poetam
Cerneret Auratum, quis stupefactus, ait,

Ille

Ille quis est Vates, ARS EN NOVA VATIS,*in illo*
Quisquis is est Vates ars noua Vatis inest.
Arte noua Vates en aureus aurea condit
Carmina quæ reris cælite facta nouo,
EN *ideo* ARS VATIS *noua dictus & ille nouorũ*
Arte premat vatum quod genus omne noua.

CAROLI VTEN-
houij F. patricij Gandauenſis,
XENIA ſeu

*Ad illuſtrium aliquot Europæ homi-
num nomina, Alluſionum, (intertextis
alicubi Ioach. Bellaij eiuſdem
argumenti verſibus)
Liber primus.*

AD ELIZABETHAM SERE-
niß. Angl. Franc. Hib. *&c.* Reginam.

AD CAR. VTENHOuium F. G. In effigiem Reg. Angl. Franc. Hib. &c.

Morte carent superi, superis par cætera Diua est
Saxonidas iusto quæ regit Imperio:
At morte vt careat mortali stirpe creata
Nō dare Lysippus Praxitelesue potest.
Musa potest fati domitrix, quæ pectora vatum
Enthea fatidico Musa furore quatit.
Te manet UTENHOUI decus hoc, decus hoc manet illam,
Ut celebris numeris fiat vterq; tuis.
Solus enim vates es tali Heroide dignus,
Hæc sola ingenio est area digna tuo.

Georg. Buchananus Scotus.

AD

Ad ſereniſsimam iuxtà ac doctiſsimam Angliæ, Franciæ, Hiberniæ, &c. Reginam. D. Elizabetham patronam optimè de ſe meritam.

Quam penes eſt operis potior laus totius vnam
Hoc tibi ſacratũ rupit & author opus.

Sereniſſ. Maieſt. T. Addictiſſ. Cliens.

CAR. VTENHOVIVS F. Gandauus.

Baſileæ Rauracorum, Anno 1563. Calend. Ian.

Ioach. Bellaius Ca. Vtenhouio suo.

Iam tandem saxum & truncus esse desii, mi Carole, factus sum enim ex surdo surdaster. Itaque vellem te paucis, si vacat. Iandudum, vt scis, parturio illas meas, vel potius tuas Allusiones. Verum nisi & hic mihi obstetricem præstes vel Lucinam potius, citius Elephanti parient. vale.
1559. LVTETIÆ.

ADR. TORNEBVS PAVLO Foxio Gall. Regis in Anglia Oratori.

Tametsi de hominibus illis de quibus me interrogas melius per te iudicare potes, quàm ego te docere, tamẽ quando iudicium requiris meum: non committam vt id temerè desideraße videaris. Ego de Car. Vtenhouio *sic sentio:* Egregiũ *esse iuuenem in vtraq; lingua, cuiq; paucos comparare poßis, vix vllum anteponere. Carpẽtarius in philosophia facilè primas tenet, vt cùm ab eo disceßeris, vix quenquã in eo genere reperias quẽ probes, cumq; philosophi nostri indiserti ferè sint, solus ferè ex omnibus orationis nitorem sequitur &c.* Hos homines *si in familiam*

tuam

tuam adſciueris, Academiam noſtram ſuis luminibus ſpoliaueris, nihilq; ferè ei reliqueris, quod vel iuuentus noſtra, vel exteri homines admirentur. Vale. Lutetiæ. 1563.

ΚΑΡΟ´ΛΟΥ καὶ ΞΥΛΑ´ΝΔΡΟΥ διαλογισμὸς ἐξάστιχος εἰς τοὺς Ο´ΥΘΕ`Ν—Ο´—ΒΙ´ΟΣ.

ΚΑΡ. Πῶς ὁ φίλος μακάρων ΞΥΛ. φιλέει μακάρων θεράποντας,

ΚΑΡ. πῶς ὁ φίλος τέκνου ΞΥΛ. καὶ πατρός ἐστι φίλος.

ΚΑΡ. Πῶς ὁ φίλος μουσέων ΞΥΛ. φιλέει μουσέων ὑποφήτας.

ΚΑΡ. πῶς ὁ φίλος χαρίτων, ΞΥΛ. καὶ χαρίτων ἔραται.

ΚΑΡ. Ο´ΥΘΕ`Ν—Ο´—ΒΙοβίοιο. ΒΙ´ΟΣ πέλει νόσφι θεοῖο.

ΞΥΛ. Ο`ΥΘΕ`Ν—ἄτερ μουσέων καὶ χαρίτων Ο´—βίος.

IN CAROLVM VTENHOuium Iuniorem Gand. Ioach. Bellaius Andinus.

Nunc etiam magnusq́; adeò iam cedat Homerus,
Nunc aliquid maius naſcitur Iliade:
Ille tuus vates NONNVS, *tua gloria* Bacche,
Ingentes Graiûm depopulatus opes,
Hactenus infelix, longa ſub nocte ſepultus,
Vtenhouî *ſtudio nunc rediuiuus adeſt.*
Hinc velut ex horto (vincat quòd Adonidis *hortos,*
Cuiq; hortus cedat nobilis Heſperidum)
Aonidum flores, dulceſq; excerpere fœtus
E *Charitum ſacris fas erit arboribus.*
Hunc hortum coluit Nonnus, *cuſtoſq; recludit*
Germani Vtenhouus *gloria prima ſoli.*
Hinc etiam Vtenhouus Latijs Hortenſius. HOVE
Nam quod Germanis, Hortulus *eſt* Latijs.

Aliud in eundem I. Bellaij.

Et κάρα ſi Graijs caput eſt, ὅλος integer, ipſe
Totus eris cerebrum, totus & ingenium.

AD

AD SERENISS. ANgliæ Franciæ, Hiberniæ, &c. Reginam Elizabetham, Xenia. Calend. Ianuar.

זה השיר מיתר ותנועה ושלוש תנועות
ותוכל לקרא הרוז משלש:

בלבי מתנת לתתה לך מלכת
בראשית השנה בדרך באנשים:
ואינני יכול להוסיף לך דבר
באין לך חסרון כל מאשרת נשים:
לבורא מכלי מת לעליון אתפלל
בעולת העלמות בתולת אם ישים:
למען נר אורך לעולם לא יכבה
ותמליכי לברך באיי האישים:

ועוד הן משלי בי בתמים אעבור לך
והיה כי תרכבי וגם תם לי ראשים

מְשָׁרֶת כֹּל אַחֵר מְקַנֵּא לְחָמְשִׁי
אֲנִי לֹא בִּי אֶחַר אֲשֶׁר בֵּין לִי בְּנָשִׁים׃

בְּעִיר בַּסֶל בִּשְׁנַת ס״ח
לִפְרָט קָטָן
בְּחוֹדֶשׁ יַנוּאַר
יָנוּאָרִיאוּס הוּא
שְׁבָט׃

בְּלִי עִמָּנוּאֵל אֵין־הַחַיִּים׃

קָרוֹלוּס אוּטֶנְהוֹבִיאוּס׃

IDEM AD VERBVM SOluta oratione

In corde meo est donum	*Vt dem ipsum tibi* Regina,
In principio huius anni	*Iuxta morē inter homines.*
Sed nequaquam valeo	*Adiicere tibi quicquam,*
Cûm non sit tibi penuria vllius rei	*Felicissimæ mulierum.*
Creatorem (ergo) ex nihilo	*Sublimē orabo,*
Vt vxorē, quæ virū non nouit,	*Virginem matrem reddat.*
Quò lucerna luminis tui	*In æternū nō extinguatur,*
Et regē cōstituas filiū tuū	*In insulas præstantium virorum.*
Et præterea, ecce, imperium habe in me:	*Cum sinceritate seruiā tibi.*
Et fiet, cùm aucta fueris,	*Vt etiam illi (sint) mihi prin*
Seruus quilibet	*Inuidet libero (cipes.*
Ego minimè, sed gaudebo	*Quòd tales mihi sint exactores.*

Εἰς τὴν τῆς Βρεττανίας Φραγκίας, καὶ Ἱβερνίας Γαληνοτάτην βασίλισσαν Ἐλιζαβὴθ μελύδριον Ἀνακρεόντειον.

Δόμεναι θέλοιμι δῶρον
βασίλισσα σοὶ τὰ Κροίσου,
ἔτεος νέου πρώτῃ,
ἔθος οὖν ὃν φυλάττων.
ἀτὰρ οὐδὲν ἂν δυναίμην
ποτὶ χρῆμα σοι κομίζειν,
πανανενδεεστάτῃ σοι,
ἀφνειοτάτῃ γυναικῶν,
ἀφνειοτάτῃ τ' ἀνασσῶν.
Θεὸν οὖν θεῶν, ποιητὴν
χθονὸς, οὐρανοῦ, θαλάσσης
πανυπέρτατον λιτοίμην,
ἵν' ἀσυνδύαστον οὖσαν
ἄλοχόν σε παρθένον τε
καθαρωτάτην, τεκοῦσαν
γονιμωτάτην τελέσῃ.
σέθεν ὥστε λύχνον αἴγλης
ἀμάραντον ἄφθιτόν τε
ἐσαεὶ χρόνον φανῆναι,
σβέσεως ἄτερ τε λάμπειν.

τάχ᾽ ὅπως ἄνακτι θείης
σε θὲν υἱὸν ἀρχὸν ἀνδρῶν
ἐν ἀγακλέεσσι νήσοις
κρατερῶν τε καὶ μαχητῶν.
Ἔπι δ᾽ ἰωΐδ᾽ ὦ ἄνασσα
καὶ ἐμοὶ θέλοις ἀνάσσειν·
ἐθέλω δ᾽ ἑκὼν ἐφετμαῖς
ἐσαεὶ τεαῖς πιθέσθαι,
ἀνυποκρίτως, δοῦλόν τε
Δίχα σοὶ διακονήσων.
ἔσεται ποθ᾽, ὁππότ᾽ ἄνδρα
ὁπόταν λαχοῦσα παῖδας,
Γονόεσσαν αὔξιδ᾽ ἕξῃς,
σέθεν ἀνδρί, σοῖς τε παισὶ
τεκέων τε σῶν τέκεσσι
μετόπισθε, νῦν τε κ᾽ αἰεὶ
ἅτε δεσπόταις λατρεύσω.
θαμ᾽ ἐλεύθεροι φθονοῦσιν
ἀνελευθέροισι δούλοις,
μὰ Δί᾽ οὐκ ἐγώ γε, πάμπαν
φθόνον ἦτορ οὐκ ἔχει μου.
φιλέω μάλιστα πάντων
βασίλισσα συγχαρῆναι
ἅμα συγκροτεῖν ἐμαυτῷ
ἐνὶ καρδίῃ, κιχόντι
θεόθεν γέρας τοιοῦτον,

θεόθεν

θεόθεν τόσῳ ἄνασσαν,
(θέμις εἴ τ' ἔτος πεφύκειν
πανετήτυμον) λαχόντι
θεόθεν θεὸν τοσαύτῃ,
σχεδὸν ἀμβρότοις ὁμοίαν,
φιλέουσιν ᾗ ἀοιδαὶ
λάτιαι τε καὶ πελάσγαι,
φιλέουσιν ᾗ ἀοιδοὶ
λάτιοι τε καὶ πελάσγοι,
μεμελημένῃ ἀοιδαῖς
λατίαις τε καὶ πελάσγαις,
πεφιλημένην ἀοιδοῖς
λατίοις τε καὶ πελάσγοις,
κρατερῶν ἄνασσαν ἄγγλων
ἅμα δεσπότιν κ' ἄνασσαν.

ΚᾺΡ—ΟΛΟΣ, θεῷ ξὺν, ΟΥΘῈΝ
—Ο—ΒΙ'ΟΣ πέλω θεοῖο.

Ad eandem omnib. modis incomparabilem principem idem Latinè redditum ex Ebręo.

Vellem equidem Iani munus tibi ferre Calendis,
Mos apud antiquos nobis vt extat auos:
At tibi (qua non est fœlicior altera) quicquam

Quis

Quis, (nisi sit Crœso ditior) addat opum?
Te penes est unam melioris portio mundi,
Me penes est, versus excipe, penè nihil.
Ergo Creatorem cœliq; soliq; supremum
Vt tibi quod desit fas sit habere precor,
Reddat vt vxorem de cœlibe, virgine matrem,
Quô micet æternùm mentis imago tuæ,
Imperioq́; tuo nascatur filius Hæres
Insula cui magnis pareat alma viris.

Néue dedisse nihil videar, Regina, meorum,
Me tibi do, sceptris subijcioq́; tuis.
Adsere subiectum tibi me, tua iussa capeßam,
Imperijq; sequar iura verenda tui.
Tempus erit, (cum proie beata, beata marito
Creueris,) illi olim sint mihi forsan Heri.
Inuidet ingenuis seruorum natio. Tantæ
Principis imperium non mihi ferre graue est.

IDEM A' CAMILLA MOREL-lide Latinis expressum Elegis. Ex Ebr.

Fert animus de more anni redeuntis in orbem
Principio quædam munera ferre tibi.
At tibi (qua mulier vix vlla beatior vsquam est,
Cuiq́; nihil desit, nil dare, Diua, queam.
Ergo Deum supplex, quem cuncta creasse fatemur
E' nihilo

E nihilo, tota mente animoq; precor:
Reddat vti nuptam de cœlibe nempe puella,
De sterili matrem virgine prolificam.
Insula quò natum ex te Regem læta salutet,
Luminis & careat fine lucerna tui.
Præterea, Regina, tibi me trado, paratus
Ex animo imperij frena subire tui.
Auctaq; cum fuerit proles tua prole nepotum,
Hi quoq; erunt domini fors aliquando mei.
Quæritur à seruo libertas quolibet: illam
Non ego: Paruero talibus vsq; libens.

LE MESME EN VERS
Francois à sa dicte Maieste.
par. C. V.

ESTRENES.

I'ay grand desir de te faire vn present
De l'an nouueau pour le commencement,
En ensuyuant la coustume ancienne:
Mais adiouster à la Maiesté tienne
Rien ie ne puis: Tu n'as faulte de rien,
Pleine d'honneur, de grandeur & de bien,
Si qu'en bonheur & richesse en ce monde
Femme il n'y a aultre qui te seconde.
Moy qui n'ay rien, que te puis-ie donner
Qu'vn bon souhait que ie te voy sonner.

Madame

Madame au Ciel pour toy doncques ie crie,
Le Createur treshumblement ie prie
De t'enrichir tant seulement d'vn poinct,
C'est à scauoir, de ce que tu n'as point,
C'est d'vn mary qui te doit rendre femme
Et mere aussi de pucelle sans blasme,
Affin qu'ainsi ne s'esteigne le feu
Dans ton esprit diuinement conceu,
Qu'ainsi tousiours reluise la lumiere
De ta clemence & bonté coustumiere,
Qu'ainsi le filz qui doit naistre de toy
Se puisse vn iour voir en estat de Roy
Pour commander éz Isles bienheureuses
Des nations en fait d'armes fameuses.

Mais tu me dis, tu ne me donnes rien
Fors que de vers, Vtenhoue, du tien.

Pardonne moy, Madame, ie te donne
Ioinct ces vers miens mõ cœur & ma personne,
Et mon seruice aussi: Commande moy,
Ie te promets en saincte & bonne foy
Qu'en moy verras aultant d'obeissance
Et loyaulté enuers ta grand' puissance

Qu'homme

Qu'homme viuant soubs ton sceptre Royal
Ne soit vers toy, peult estre, plus loyal.
L'heure viẽdra lors que maint & maint Prince
Issu de toy, & né dans ta prouince
T'honoreray de nom de Mon-seigneur
Comme ie fay maintenant ta grandeur.
Tout seruiteur au libre porte enuie,
Mais non pas moy. Ie veux vouẽr ma vie
Et mon seruice à toy & tes nepueux
Et à tous ceulx qui apres naistront d'eux.

SANS LA CRAINTE DV SEIGNEVR,
Rien—la—vie que malheur.

De vostre Royale Maiesté le treshumble,
tresobeissant & plus obligé seruiteur.

Charles Vtenhoue le filz Gantois.

Ad Serenißs. Angliæ Reginam, &c.

Cum meus extremos iret præceptor ad Anglos
Exigua mecum talia voce queror:

Que

Qua merui culpa ne sit, Regina, videndi
Te quoq; iamdudum copia facta mihi?
Me miseram, cur non velocibus euehor alis,
Cur mihi non genitor Dædalus alter adest?
Cur non virgineos freno virguncula currus
Pallados, aut bijugo Colchidos angue feror?
Deniq; si vero sim nomine dicta Camilla,
Patria cur et me non vehit hasta volans?
Semideam vt visam, qua, (qui videt omnia Phœbus)
Nil videt in terris doctius & melius.
O' fortunatam me, virgo Regia, virgo
Tantula si tantæ dicar Herilis Heræ.

Anno 1563 Parisijs.

Camilla Morella.

In Allusionum librum ad
Lectorem.

Postpositum nobis uel omissum nemo queratur,
Se uel honorato non satis esse loco.
Finge Ducem geminos Comites circundare, dextrum
Hic latus, et læuum clauserit ille Duci.
Crescet in immensum liber indelebile æuum,
Donec erunt homines, carmina donec erunt.
Plurima carminibus debentur nomina nostris,
Plura secuturis carmina nominibus.

C. V.

CAR. VTENHOVII F. Patricij Gand. Xenia, seu, ad Illustrium aliquot Europæ hominum nomina, Allusionum Liber primus.

ELIZABETHA ANGLIAE, Franciæ, Hibern. &c. Regina.

ELIZABETHA *caput regni columenque Britanni,*
Te quibus in cœlum laudibus vsq; feram?
Principe qua nostro nihil est augustius æuo,
Quaq; capax doctum nil magis orbis habet:
Quam Charis Ambrosiæ pauit lepidißima succis,
Quam fouit gremio docta Minerua suo.
Nectareis cui blanda fauis os Suada rigauit,
Quæ simul & linguam finxit & ingenium.
Quæq;, (quod est rarum) calles idiomata linguæ
Plurima principibus non bene nota viris.
Argolicam, Latiam, Thuscamq; & Iberida præter,
Tam bene quàm Galli Gallica verba sonas.

Allusio.

Vnius in Christi iurare addicta magistri
Verba tui, sanctum nominis omen habes.
Acria pro Christi quia nomine bella capeßis,
Abiurasq; nothi dogmata falsa Dei.

Te duce Papicolæ verumq́; suumq́; fatentur
  Quam iurata Deo nomina ritè colunt.
Orbe quod exacta tandem feritate triumphet
  Christus, & erecta fronte verendus ouet,
Reddita iamq́; suo vigeant quòd sacra nitori,
  Inq́; suo pretio sit pietatis honos,
Quòd pius, exilij, patria procul exul, asylum
  Quilibet inueniat, muneris omne tui est.
Deniq; Iurando, compellis Iure Britannos
  Innocua soli mente litare Deo.
Elzabet hinc etiam Ebræis es dicta vetustis,
  Quis Iusiurandum vox sonat ista Dei.

Aliud in eandem.

ἘΛΙΖΑΒῊΘ Ἡ ΒΑΣΊΛΙΣΣΑ.

Anagrammatismus.

ΖΑΘΈΗ ΒΑΣΙΛΊΗΣ ΛΙΒΆΣ.

Ὀκτάστιχον.

Ζίπτε Λιβὰς Ζαθέη βασιλίης ἡ βασίλισσα
  Ἄγγλων Ἐλιζαβὴθ ἐς ἀναγραμματικῶς;
οὐ θαυμαστόν. ὁρᾷς κρήνης ἐξ ἀενάοιο
  ἀέναος ξηροὺς ὡς βρέχει ὄμβρος ἀγρούς;
Ὡς καὶ Σαξονιδῶν βασίλισσα Βρεταννίας ἀρχὴν
  πάνσοφος ἀρδεύει σεμνοχαριπρεπίῃ.
Τοὔνεκ' ἄρ' ἧς τελέθουσα λιβὰς νήσοιο καὶ αὐτή,
  θεσπεσίη λέγεται τῆς δὲ Λιβὰς τελέθειν.

LE

Le mesme en Francois sur son nom tourné en Grec.

LA DIVINE FOMTAINE DV ROYAVME

Dizain.

Pourquoy est-ce, dy moy, qu'Elizabeth la Royne
Du Royaume se dit La Diuine Fontaine?
N'en sois pas esbaby. Ne vois-tu pas comment
De la Fontaine sourd l'eau qui diuinement
Abbreuue les beaux champs tout à l'entour de l'Isle?
Tout ainsi maintenant ceste Nymphe gentile
Ceste Diuine Source, és lettres & scauoir
Et en toute vertu arrose son terroir,
De son Royaume estant la Diuine Fontaine
En vertu, en scauoir & beauté souueraine.

Encore à la Royne presenté à sa Maiesté le iour de S. George. l'an 1564. à VVinsor.

Tout ainsi que iadis la guerriere Camille,
L'honneur des Volsciens, superbe apparoissoit,
Lors que parmi son camp hardie elle froissoit,
La presse des soldars en tuant mille & mille:
Tout ainsi maintenant ceste Nymphe gentile,

Ceste Nymphe aux beaux yeux porter le chef on voit
Vainqueur, contre le vice ennemy, haut & droit,
Au milieu des plaisirs que luy donne son Isle.

Quel presage est cecy? c'est que le siecle d'Or
Son entrée ores fait en ce pays encor
Changeant en bonne Paix la malheureuse Guerre.

Mais qu'est-ce que ie voy en sainct George monté?
Il tient ie ne scay quoy de la Diuinité:
C'est la fleur, c'est la vierge Astrée d'Angleterre.

Encor à sa Maiesté sur la paix faicte auec le Roy de France l'an 1565. Acrostichis.

E n paix on voit par elle l'Angleterre,
L oing des Francois par elle le Discord,
I usqu'aux enfers abysmée est la mort,
Z ephyre on oyt doulx venter sur la terre.
A' tout iamais bannie soit la Guerre,
B ellonne soit poussée dans son fort,
E n lieu la paix, la ioye le confort
T ost vienne icy son entrée refaire.
H abite icy Paix fille du grand Dieu,
R oyne des cieux descen en ce bas lieu,
O ù trouueras des Anglois la Princesse.
Y vois-tu pas qu'ainsi que sur la nuict

Naistre

N aiſtre Venus on voit, qu'ainſi reluit
E n corps mortel ceſte noble Deeſſe?

Encore à ſadicte Maieſté.

Odelette. Eſtrenes.

Qui t'amenera Madame
Pour ſa femme
Le mieux eſtrené ſera
Car l'heritier ſe verra
D'un Royaume:

Et mary de trois Princeſſes,
Et Deeſſes
De Iunon Roine des cieux,
Minerue & Venus des dieux
Les maiſtreſſes.

De Minerue ſur ſa face
Luit la grace,
De Iunon la maieſté
Et de Venus la beauté
Elle paſſe.

In effigiem eiusdem Reginæ.

Cuius imago Deæ facie cui lucet in vna
Temperie mixta Iuno, Minerua, Venus?
Est Dea quid dubitem? cui sic conspirat amicè
Mascula vis, hilaris gratia, celsus honos.
Aut Dea si non est, diua est quæ præsidet Anglis
Ingenio, vultu, moribus æqua Deis.

G. Buchananus Scotus.

Idem Græcè, C. V. Interpr.

Τίς τινὸς ἠὲ θεᾶς εἰκὼν πέλει ἧδε προσώπῳ
ἧς ἐνὶ συλλάμπει Ἥρα, Ἀθῆνα, Κύπρις.
Νητρεκὲς ἐστὶ θεά. φιλικῶς ὡς ἧγε συνᾴδει
Ἄρσενος ἶς, χαρίεν κάλλος, εὐκλεΐη.
Ἢν θεὸς οὐ τελέθει, νύμφη πέλεν, ἥτις ἀνάσσει
Ἄγγλοις, ὦπα, φυὴν καὶ τρόπον ἰσόθεος.

In eiusdem effigiem.

Quæ manus artificis tria sic confudit, vt vno
Gratia, Maiestas, & decor ore micent?
Non pectoris opus fuit hoc, sed pictoris, vnde
Diuinæ in tabulam mentis imago fluit.

Buchananus.

Idem

Idem Græcè.

Χείρ τινος ἀρχετύπου τρία τὼς κατέχευε, προσώπῳ
Ὥστε συναστράπτειν σεμνοχάρει πρέπειν;
Ζωγράφου οὐ τέλεν ἔργον, ἀπὸ ρ μάλα στήθεος, ὅζ᾽ οὐ
Θεσπεσίοιο νόου ἐς πάλιν ἄγαλμα ῥέει.

C. V.

En Francois par le meſme.

Par quel peintre, dy moy, ſont ſi treſbien encloſes
Au pourtraict d'vn viſage enſemble ces trois choſes?
La Maieſté, la Grace & la rare Beauté?
D'vn peintre, croyez-moy, cecy n'a point eſté
L'œuure, ains de ſa poitrine & de ſon ſainct courage,
Dont dans ce beau tableau va decoulant l'image.

MAXIMILIANVS II. Romanorum Imperator Inuictiſsimus, &c.

Imperij cùm Iura tui ſint Maxime Cæſar
Maxima, Germani qua patet ora ſoli,
Maxima diuini reuerentia numinis, æqui
Maximus, & puræ relligionis amor.
Maxima Conſilij vis, belli cura gerendi
Maxima, pacificæ Maxima cura togæ.
Maxima Muſarum tutela Lycea ſequentum
Maxima doctorum ſpes columenq; virûm,

Deniq; cùm Paruum nihil Induperator in Amplo
Orbe, sed à superis Maxima poßideas,
Maximus—hinc nomen, Deus-Aemilianus auitum
Optimus imposuit Maximus ille tibi.

In eundem Imperatorem.

Maxime Christicolûm ductor, quo sospite nullum
Incutiet nobis Turca vel ipse metum.
Maximus es: Fies maior tamen auspice Christo,
(Ni mala parca manu Maxima quæq; legat)
Si studia ille regat tua qui Deus Optimus audit,
Maximus ille hominum, Maximus ille Deûm.

In eundem MAXIMIL. Imperatorem cum 23. Martij 1566. ad inchoandam de Comitijs Augustæ indictis propositionem proficisceretur ἐξάστιχον.

Cur Niue canet humus? Niuibus super omnia fusis
Candida cur Niuei tempora Veris eunt?
Candida quod Verè sint Cæsaris omnia cœpta,
Candidus vt foret hic, Dij voluere, dies.
Cur igitur Phœbi non fulget in æthere lampas?
Lampade Cæsarea terra polusq; micant.

In eundem.

Cur hodie Cana Niue tempora Veris inhorrent,
Sithoniaq; Ceres Canet amicta toga?

Fallor

Fallor? an hunc Niueo superi voluere lapillo,
Et Niue signari Candidiore diem?
An potius Niueo signentur vt acta lapillo
Omnia quæ Niueæ Relligionis erunt?

PHILIP. AVSTRIACVS Hispaniarum, &c. Rex.

Cùm tibi cura minor sit Equi quam Iuris & Aequi
Nomine dicendus Philodicæus eris.

A TRESHAVLT ET TRES sillustre Prince Philippe d'Austriche Roy d'Espaigne, &c. sur l'Epitaphe, par luy fait sur le trespas du Roy Henry II.

Sonnet.

Ne te pouuant donner encores ces reliques,
Pourtraict tresancien d'vn poëte Gregeois,
Qui fit deuant mill'ans triumpher des Indois
Ce bon pere Bacchus en beaux vers Heroiques:

Ouurage le plus beau des ouurages antiques,
Ouurage qui ne cede au poete Smyrnois,

Cestui-cy va chantant Bacchus, *l'autre les* Roys
Au reste fort pareils éz vertus poëtiques.

Ie te prensente icy Roy *le tumbeau d'vn* Roy
Pren le doncq si te plaist, pren le doncques de moy
Au mylieu des ennuis qui troublent mon courage.

Mais si tost que les ans de tout soucy vainceurs
Auront donné relasche à mes grandes douleurs,
Mon treshumble deuoir t'en promet dauantage.

C. V.

HERRICVS VALEsius II, nuper Galliæ Rex Christianissimus.

Herricus Ebræis Placidum *sonat*, ἦρος, *Achæis,*
Teutonibus, *gemino* Diues Honore, *sono.*
Valesius Vallum, *gemino sic nomine* Vallum
Præ*sidiumq́; duplex* Herricus *vnus erit.*

Aliud in eundem superioris tetrastichi paraphrasis.

Ab Ioue *principium veteres duxêre* Poëtæ
Et mihi ab Herrico *sit quoq́; principium.*

Cuius

Cuius facta meis cupiam si intexere chartis,
Nomine laudabit se satis ipse suo.
Nam si Germana ducas ab origine nomen
Herrici, Herrichus Diues Honoris, erit.
Sin id ab Ebrea libeat deducere voce
Quæ Lenium Ausonijs, quæ sonat & Placidum.
Ipse erit Herricus Placidúsq; & Lentus ad iram,
Qualem animum veri principis esse decet.
Quòd si græca magis placeat vox, Ἕρκος ἀχαιῶν
Mæonidæ vt fortis dicitur Aeacides,
Finibus è regni depulsis victor Iberis
Vallum erit Herricus Præsidiumq; suis.

Ioach. Bellaius.

In obitum eiusdem & M. Antonij Histrionis Anno MD. LVIII.

Comica cum strueret nuper spectacula Marcus,
Iamq; Theatralis pompa parata foret,
A' seruo iugulatus obit, scenaq; cruenta
Mutauit tragicis comica verba modis.
Dum populo præberet ficti spectacula Martis,
Cristatum Henricus ludit & Aeaciden,
Heu cadit, & valido traiectus lumina conto,
Regali infelix sanguine tinxit humum.

Disce

Disce hinc humanæ qualis sit fabula vitæ
Quam cum magnanimo principe Minus agit.

C. V.

FRANCISCVS SECVNdus Galliæ dum vixit Rex Christianiss.

Dicere Franciscus, quod aui successor, & hæres
Tu quoq; Francisci, Pallada vtramq; colas:
Pallada, qua doctæ gaudent ceu præside Musæ,
Et simul armigeram Pallada fortis amas.

Aliud in eundem.

Quòd fera Barbaries nostris procul exulet oris,
Francisco debet Gallia docta Suo.
Aemulus ast olim qui sis virtutis Auitæ,
Hinc Francisce refers tu quoq; nomen Aui.

I. B.

CAROLVS NONVS Galliæ Rex Christianissimus.

Carole quo Regum vix Iunior alter, auiti
Hactenus Imperij Regia sceptra tulit,

Nemo tibi nostro Regum non cesserit æuo
Si quod es, id studeas ΚΑΡ—Ο ὅΛΟΣ, *esse Dei.*

Ad eundem Galliæ Regem Carolum Nonum Christianissimum in Europam Ger. Mercatoris.

Europa loquitur.

En ego totius quæ sum pars tertia mundi
Me tibi do, cui pars subdita magna mei est.
CAROLE, *si tota cupias me posse potiri,*
Id re quod Titulo diceris esse velis.
Sic neq́; me sola, toto potiere sed orbe,
Totius & Princeps vnicus orbis eris.

C A. *Morella.*

In eandem & Europam & sententiam.

Offeror hac Europa tibi spectanda tabella
Carole quem penes est portio magna mei.
Assere sacratam tibi me, pariterq́; tuendam,
Χριστιανώτατος ὡς φραγκογενῶν βασιλεύς
Postmodò me sola sic non potiere, sed vnus
Ipse triumphator totius orbis eris.

C.V. *Aliud*

Aliud in effigiem eiusdem Caroli IX. ad Regem.

Effigiem Regis Regina Britannica Galli
Vidit in Honsdoni, cuius erat, manibus.
Suspiciensq́; tuam dignam Ioue Carole frontem,
(Sic desiderio carpitur illa tui)
Huc ades Vtenhoui, meq́; auxiliaribus armis
Vt mea sit regis, dixit, imago iuua.
Huic ego: si quicquam mea vota precesq́; valerent,
A' superis peterem nomine Diua tuo,
Non vt imaginibus. (Regum licet atq́; Deorum)
Duxerit in tabula quas manus artificis,
Sed quia Imago iuuat, te donet Imagine Regis
Finxit ad effigiem quam Deus ipse suam.

Londini. C.V.

CATHARINA MEDICES Regina mater, adhuc superstes. Anagra matismus in CARA DIIS HAC MENTE.

Casta quod, & nulla es violabilis arte, pelasgi
Nomine te Καθαρὰν hinc Catharina vocant.
At Medicam miseris quod Opem mortalibus adfers,

AMedi-

A Medicis Medices nomen & illud habes.

In eandem.

Quòd vel Purgato mens sit tibi Purior auro,
Nulla animo labes insideatq; tuo,
Si sua conueniunt rebus data nomina, nomen
Ex re vox καθαρὸς dat Catharina tibi.
Nam Medices tibi pulchra dedit Florentia nomen
Vnica quòd nostris sis Medicina malis.

I. B.

MARIA STVARTA Scotiæ Regina.

Si dedit Ebraicè Ratio tibi Mystica Mystar
Nomen, erit ratio nominis illa tui.
Porticus est Graijs σοὰ, Martem Graius ἄρηα
Sermo vocat, fueris sic Stoarea mihi.
Marte Deo belli toto procul orbe fugato,
Porticus es Musis vna reperta sacris.

Idem gallicè in eandem ferè sententiam.

Si ce mot Ebraique
(Mistar) le nom antique

Porte

Porte de ta maison,
Et de ton hault lignage
Qui en commun langage,
Vault autant que Raison.
Des Stuarts l'origine
Ne cherche en lieu plus digne
(Princeße de renom)
La Raison, la Constance
Le Conseil, & Prudence
Qu'en toy & ton sur nom.
Encor que l'ancienne
Secte Stoicienne
Agréer ne te doit
Aucunement, si est ce
Qu'vn beau porticq en Grece
Stoa nommé se void.
Mars, qu'Ares on appelle,
Auec Stoa se mesle
Pour ton nom acheuer.
O heureuse iournée
Lors que la destinée
Te fit ce nom donner.
Car, (apres que Bellonne
Et sa trope felonne
Bannies à iamais
De l'Ecosse & de France
S'est fait vne alliance
Instrument pour la paix)

Toy seule de nostre aage
D'vn sainct & hault courage
(Loing de ce cruel Mars)
Loges, nourris, addresses
Et cherement caresses
Les Muses & les Arts.

In eandem Scotiæ Reginam.

Si Στοὰ quis dicat, post huic subiungat Ἄρηα,
Nominis inueniet quæ sit origo tui.
Martia cui gens est, grauibusq; exercita Bellis
Scotia, cui coniux Martia progenies.
Quæ Musis bello profugis ceu Porticus ampla est,
Porticus hæc Martis quàm bene dicta fuit.

A elle encore.

Sonnet par C. V.

Royne d'Escosse Isle la plus fameuse
Qui soit au tour de ce grand vniuers,
Comment sçauroy-i'entonner par mes vers
De tes vertus la troupe tant heureuse?

I'en suis confus: ta grandeur glorieuse
Ioinct le sçauoir sont que mes lauriers verds
N'osent or-mais de vergongne couuers,
Plus se monstrer à Princeße si preuse.

Ne pouuant donc exprimer, ce me ſemble,
De tez vertus le comble tout enſemble:
Ie publiray ta Liberalite,

Digne vertu d'vne Princeſſe telle,
Riche, ſcauante, & par ſus toutes belle
Qui ſont ſeront, & ont onques eſté.

A' elle encore Sonnet.

Madame tu m'as fait ſi bon recueil a l'heure
Que ie receu ceſt heur de me voir pres de toy,
Qu'encores auiourdhuy grand aiſe ie recoy
A penſer ſeulement au lieu de ta demeure.

Buchanan eſt heureux pour autant qu'il demeure
Chéz celle qui le rang, tient de Royne & de Roy,
Et elle heureuſe auſſi d'auoir celuy chez ſoy
Qui fait que de Dauid l'Harmonie ne meure.

Celuy qui auiourd'huy par vn nouueau ſentier
Incognu à noz yeulx aux Romains le premier
A monſtré la facon d'eſcrire en leur langage.

Deſen Phœbus deſen, pren la querelle en main
Puis que ton Buchanan ſurmonte le Romain
Que le braue Eſcoſſois ne ſoit plus dict ſauuage.

IM-

IMMANVEL Philibertus Allobrogum Dux, Pedemontijq́ princeps.

Donec erit bonus hic Vobiscum, Gallia, princeps,
Stabit & à Vestra, Gallia, Parte Deus.
Scilicet ille Deus, si fas est dicere, sed fas,
Amphitryoniades Gallicus alter erit.
Si Deus est, homini quisquis prodeße laborat,
Non malè Nobiscum dicitur ille Deus.
Attulit optatam Pacem Deus optimus orbi,
Reddidit hic Pacis, numinis instar, opus.

Margarita Francica HENRICI II. soror vnica, Allobrogum Dux, &c.

Diues Margaridas licet India mittat, & aurum,
Margaris Eoas gemmea vincit Opes:
Margaris vna sui secli decus, Vnio sexus
Fœminei, Franci spes columenq́; soli.

Aliud in eandem.

Sit licet Eois diues Pactolus arenis,
Ostentetq́; suas India Margaridas:
Margaris vna tamen Felix quam Gallia iactat,
Margaris vna æui lausq́; decusq́; sui,

Lucidior gemmis, fuluo pretiosior auro
Margaris Eoas Gallica vincit opes.

Io. Bell.

A Ioachim du Bellay à la louange de madame de Sauoye.

Ce n'est pas sans propos, en chantant l'Hymenée
Du Prince Piedmontois, & de la sœur du Roy,
Que chacun estonné tienne les yeux sur toy,
Te voyant honorer ceste heureuse iournée.

Si la mesme Vertu espouse estoit menée
A quelque Demi-dieu, Phœbus (comme ie croy)
N'eust sceu mieulx celebrer sa nuptiale foy,
Tant tu es bien disant, & elle Fortunée.

La trouppe des neuf Sœurs à tes vers cedera,
De tous hommes viuans nul ne t'esgalera
A chanter son bon heur, sa vertu, son merite.

Et qui pourroit (bons Dieux) assez louër son nom,
Si ce n'est du Bellay le second Apollon?
Car la mesme vertu est ceste Marguerite.

Eiusdem in Epithalamij à Ioach. Bellaio in nuptias Marga-

r itæ

ritæ ſcripti, Argumentum.

Anna, Camilla, Lucretia, Concinit, Intonat, Ornat,
Artemin, Arma, Hymen, Carmine, Voce, Lyra.

Anna Eſtenſis Dux Guiſiana Ducis Ferrariæ filia.

Anna nouenarum decus immortale Sororum,
Anna fouet gremio quam Charis alma ſuo:
Gratia quam niueis decorataq́; moribus ornat,
Gratia vel magnis æmula, Nymphа, Deis.
Ἑστιὰς & Graijs Veſtalis, & Ἑστία Veſta eſt,
Gratia quæ Veſtam, te quoq; rara beat.

Aliud in eandem.

Vox Ἄννα dat princeps proprium tibi nomẽ & Anna,
Cognomen tibi dant Ἑστιὰς ESTq́; ſimul.
Vox Ἄννα te magnis vt Regibus indicat ortam,
Sic Anna acceptam te probat eſſe Deo.
EST quoq; vt Eſtenſem firmat fauſto omine gentem,
Ἑστία ſic Veſtæ te docet eſſe parem.

I. B.

Car. Card. & FRANCISCVS Guisius Lotareni FF. Carolus Lotaringus
ἀναγραμματικῶς.
Orator Gallicus vnus.

Lotaridæ noti quà sol oriturq́; caditq́;,
Vnde sed hic nomen, nactus & ille suum est?
Ille, quod eloquij vincat dulcedine Lotum,
Hic, quòd Ἀρηΐφιλος Martia bella gerat.
Incolumes vno florent hoc præside Musæ,
Vberior studijs hoc duce surgit honos.
Carolus eloquio Pylium vel Nestora vincat,
In bello Belli Guisiadesq́; Deum. C. V.

In eosdem.

Mæonides cecinit Loti dulcedine captos
Et patriæ immemores, immemoresq́; sui:
Λωτὸν Ἄρης sequitur, quæ tu si nomina iungas,
Hinc poteris geminos ducere Lotaridas.
Dulcior est illi dulci facundia Loto,
Hunc similem belli dixeris esse Deo. I. B.

M. Hosp. Galliæ Cancellarij, in mortem Ducis Guisiani πεντάστιχον.

Hunc belli rabies Ciuilis & abstulit æstus,
Dignum post tantos, fato meliore, triumphos.
Dignum qui nobis venturis esset in annis

Præsidia

Præſidio contra Francorum nominis hoſtes
Perpetuos. At tu mea dormis Gallia, nec tot
Orba viris, Ducibusq; domeſtica vulnera ſentis
Aemula nec Regum circumſpicis arma potentum?

Le meſme traduit en Francois par. C. V. Sonnet.

Ceſtui-cy fut raui d'vne flambante rage
D'vne guerre Ciuile (ô malheureux deſtin)
Digne qu'il euſt attainct vne mellieure fin,
Pour auoir emporté tant de fois l'auantage.

Digne qui nous ſeruiſt vn iour, parmy l'orage
Des combats furieux, d'vn ſeur rempart, affin
De domter des Francois l'ennemy le plus fin,
Qui ia de ſi long temps leur va faiſant oultrage.

Dors tu? Reſueille toy mon Pays, il eſt ores
Il eſt ores ſaiſon. Ne ſens tu pas encores,
Ayant ia tant perdu des Chefs & des ſoldats,

Ne ſens tu pas encor' ta domeſtique playe,
Ne vois tu pas des Roys puiſſants la troupe gaye
Enuie auoir ſur toy pour te mettre toſt bas?

Odetus Caſtilioneus Cardinalis.

At tibi, quòd triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpicias, veri nominis omen ineſt.
Siue Via nomen, ſeu nomen adeptus ab Odis,
Ad ſuperos Odis iam tibi ſtrata Via eſt.

Siue Via nomen, seu nomen adeptus ab Odis,
Te duce Castalides vigeant quòd Odete Sorores,
Acceptum debet Gallia docta tibi.

In eundem.

Cur tibi nomen ὁδὸς *proprium dedit inclyte Odete?*
Vna tibi virtus quòd sit ad astra Via.
Cur tibi Castalia fluxit cognomen ab vnda?
Quòd tibi Castalijs ora rigentur Aquis.

Ioach. Bel.

Ianus Bellaius Cardinalis.

Bella quòd & Paces te sint penes, hinc quoq; nomen
Bellaij, & Iani Iane bifrontis habes.
Otia pacis amat Ianus Deus, otia pacis
Tu quoq;, ceu Ianus clauiger alter, amas.
Ante videt, Retroq́; oculis sua terga tuetur
Conspicuus geminis frontibus ille Deus,

Καὶ σύγε ἧμος καθὰ Ἰᾶνος, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω
Οἷα γέρων, λεύσσεις, οἷς μετέησιν, ἀεί.

In eundem.

Quòd Bellum Pacemq́; geras placidissime Iane,
Hinc geminum ex gemino nomine nomen habes.
Bella gerit Mauors, Pacis sunt munera Iani,
Tu titulis præfers tempus vtrunq́; tuis.
Dum placuit Bellum, Bellaius vsq́; fuisti
Consilio, & Genij Bellipotentis ope.

Nunc

Nunc petimus Pacem: verò sis nomine Ianus,
Et placidus sæuo vincula necte Deo.
Sic tua Romulei describant nomina fasti,
Et geminis aris annua sacra ferant.

Franciscus Oliuarius Galliæ, dum vixit, Cancellarius.

Cyprigenæ Myrtus, cedant hederæq; Lyæo,
Et sua sint Cereri, sint sua serta Pali.
Populus Alcidæ, Phœbo sua Laurea, non iam
Palladi: Francisco cedat Oliua suo.

Aliud in eundem.

Non mihi Phœbea cingantur tempora lauro,
Nec virides Bacchi mî placeant hederæ,
Alba nec Alcidæ nostræ sit gloria frontis
Populus, aut magno Quercus amata Ioui.
Sint sua serta Pali, Cereri sint & sua, Cypris
Imponat capiti Myrtea texta suo.
Ipsa suo vati Glaucam sed Pallas Oliuam
Præbeat, & quondam præbuit illa mihi:
Præbuit illa mihi nostrum cum pectus Oliua
Vreret, æternos vrere digna Deos.
Altera sed nobis posthac celebretur Oliua
Franciscus Gallæ gloria prima togæ.
Vnus Cecropias nobis qui reddit Athenas,
Artibus erudijt quemq; Minerua suis.
Illa fuit iuueni castis celebrata Camœnis,
Hæc celebranda viro est, hæc celebranda seni.

Michael Hospitalis Galliæ magnus Nomophylax.

Hospitio profugas hac tempestate Camœnas
Excipis, Hospitibus nec sua iura negas.
HOSPITA—LIS *gemina non hinc mihi voce, sed (vna es,*
Exulat Hospitio LIS *mala nanq; tuo.*
Hospitij nupsere tibi pro munere Musæ,
Nomen & hinc Xenij iure parentis habes.

ὡς αὐτόν.

καὶ πολιὴ μούσῃσι φίλη ζαθέῃσιν ἐτύχθη,
καὶ γὰρ ἔπη πολιοῖς οἷα μέμηλε νέοις.

Idem Latinè.

Est quoq; Canicies, quis credat? amica Camœnis,
Nanq; facit Iuuenum carmina more senex.

In eundem.

Cum bonus excipias doctos doctißime uates,
Et tua sit Musis semper aperta domus,
Quis neget ex ipso contingere nomina cœlo,
Hospitij nomen nec tibi sorte datum?
Ξένιος *est priscis dictus cognomine Graijs*
Iupiter, Hospitibus iura quod ipse daret.
Ergo parua meos Xenie accipe munera uersus,
Parua placent Xenio munera sæpe Ioui.

I. B.

Magda-

Magdalena Hoſpitalia Anagrammatiſmus.

GALLA DEO SATA NYMPHA.

Ad Mich. Hoſpit. patrem.

Gallia quam genuit, Scuit Deus, vbera Nymphe
Cui ſua lactanti Pieris ipſa dedit.
Galla Deo Sata Nympha, mihi non omine læuo,
Nomine non falſo filia dicta tua eſt.

Gulielmus Cliuorum Iuliacíq; Dux.

Te quoq; Cliuorum Dux auguſtiſsime noſtro
Carmine laudatum poſtera fama canet.
Quo duce Virtuti ſuus eſt honor, aurea mundo
Quo duce conſpicimus ſecla renata, Duce.
Quo duce per Cliuos ductantibus agmina Muſis
Cernitur accliui Pieris ire via.
Hinc tibi (Cliuoſo quem ducit ad æthera uirtus
Tramite) Cliuorum contigit eſſe Duci.

Chriſtophorus Dux Vuirtenbergenſis.

Dum tua, luſtratis regionibus, arua peragro,
Arua ſitu nullis inferiora locis:
Arua meri, Cereris, patulæq; feracia ſyluæ,
Nominis haud potui non meminiſſe tui.
Quod tibi, Chriſticolûm cum ſis tutela piorum,

Chriſticolis

Christicolis solitus ferre benignus opem:
Cœlitus, & Christo nomen manauit ab ipso,
Cuius & in terris signa notasq; geris.
Acria pro Christi quia nomine bella capeßis,
Abiurasq; nothi dogmata Christophori.
Eia Pij gaudete, Pij ter ouate ministri,
Christophorus Christi signifer alter hic est.

ALBERTVS Bauariæ Dux: Acrostichis Rhythmis Musicis ab Orlando donata.

A nteuenis virides raris qui dotibus annos,
L audibus & sortem quamlibet eximiam,
B auarici Dux magne soli, post fata superstes
E ffugiat Stygias vis tua fama domos?
R espice fatorum domitrices, respice Musas,
T utor & illarum, ductor & eße velis.
V t celebris patulum virtus tua compleat orbem,
S ola dabit domitrix Musa potentis Heræ.

Augustæ 1 5 6 6

Hermannus. Comes à Noua Aquila. & Mursa, D. in Bedbur, &c.

Cur Aquilæ de gente Nouæ sis nomen adeptus
Accipe quod dictat docta Thalia mihi.

Inter a

nter aues Aquilam sublimi nulla volatu
Præterit, hinc & aues inter honora volat.
nter & Heroas, præstas quibus omnibus vnus,
Exeris ingenij dexteritate caput.
Hinc tibi, si nescis, gentis cognomen auitæ
Contigit, hinc celsa sidera mente petis.

Aliud in Aquilam Nieunariæ gentis insignia. τετράστιχον.

Ardua præpetibus cur surgit in æthera pennis
Ales imaginibus nobile stemma tuis?
Alite vi mentis, qua sidera tangere fas est,
Sidera sublimi vertice summa feris.

Epitaphium in obitum Magdelenæ à Nassavv. Illust. Comitis à Nieunaer & Mursa pientissimæ coniugis, &c. quæ obijt Anno 1 5 6 7.

Hendecasyllabi.

Quo sanctæ Charitesq; Charitasq;
Fides Spes & Amor Pudorq; sedem
Sortitæ placidam simul quietem
Carpunt, hoc quoq; Magdalena busto
Gentis Nassouiæ decus quiescit.
Norunt cætera, si quid est quod vltra
Quæris, Rhenicolæ, sed hi timentùm
Si qui de numero Deum supersunt

Imprimis

Imprimis:Reliquos nihil moramur,
Quos nec vnius æstimabat aßis,
Vt quæ duceret esse Christiano
Vni vel potius placere, plausum
Totius sibi quam parasse mundi,
Immundi nimis & nimis profani.
Hinc vitam quoq; & ipsa Christianè
Exegit posuitq; Christianè.
» *Vitam Namq; Solet Piè Peractam*
» *In Terris, Pia Mors Nouæ Creatrix*
» *Vitæ, Sed Domitrix Sequi Sui Mors.*
Felix quæ moriens frequenter illud
Mentem plena Deo, fideq; plena
Paulinum repetens sonabat: Optem
Dissolui modò, cumq; (CHRISTIANI
A' quo nomen habemus) esse CHRISTO.

In eiusdem obitum Acrostichis.

M *ole sub hac placidam capit Heroina quietem*
A *proauis clarum quæ trahit orta genus,*
G *loria Nassouiæ non ultima gentis, auiti*
D *egener haud animi, Nympha, nec ingenij.*
A *uraicæ gaudet qui nomine Principis, huius*
L *egitimo iunctus sanguine frater erat.*
E *cquid opus fratrum, quid opus numerare sororum*
N *omina, fœcundi pignora dena tori?*
A *t Genus, Ingenium Virtus doctrina mariti*
A *ltius in cœlum laude vehenda forent.*

Num

N unc satis est dixisse viro quod nupta per annos
  A ttigerit vitæ fata suprema suæ.
S ena bis indulsit vitæ, tria deme, marito
  S ena, duos annos excipe, lustra suo.
A nte diem fato, reor, hanc cessisse, cadentis
  V ulnera ne patriæ flebilis aspiceret.

Distichon Numerum anni 1 5 6 7 quò Mursæ obijt comprehendens.

hāC VbI MagdaLena laCet nassoVIa, Candor
  Cana fIdes, & honos, IntegrItasq; laCent.

L'Incarnation de l'année qu'elle trespassa.

Le Cer CVeIL, oV MagdaLene repose
Integrlté IoInt La foY tIent enCLose.

A mon Seigneur le Comte de Lecestre, Milord Robert Dudelay Sonnet.

Le Ciel cest heur à permis à tes yeulx
D'auoir trouué lieu en la bonne grace
D'vne Princesse illustre, dont la race
Ioinct le sçauoir vault bien celle des Dieux.

Milord Robert le plus chery des Cieulx
De tous ceux-la que ce grand rond embrasse,
Le plus parfaict soit de gest, ou de face,
D'honneur, de port, de maintien gratieux.

Qui

Qui d'vn clin d'oeil, d'vne ſeule parole
Qui de chéz toy vers ta Princeſſe vole,
Sans t'en ſentir, me peux faire de bien:

Fay moy ce bien que ie ſois quelque choſe,
Qui maintenant pour rien vanter ne m'oſe,
En ſuiuant Dieu, *qui ha fait* Tout *de* Rien.

A luymeſme ſur le nom de la Royne tourné ainſi

MA DAME ELISABETH ROYNE.

Anagrammatiſme.

LA ROSEE DE MAY M'HA BENIT.

Encore

A Milord Robert Dudelay Comte de Leceſtre, &c.

La Roſée De *May* M'Ha Benit *dict la* Roſe:
La Roſée De *May c'eſt elle qui arroſe*
La Roſe *du printemps de ſa grace & faueur,*
C'eſt elle qui accroiſt en comble de bonheur
La fleur de ſon pays, ſans mentir, la plus belle:
En eſpandant ſur luy la roſée immortelle,
Qui d'en hault decouler ſur la Roſe *ſe void.*
Quel myſtere eſt cecy? Celuy qui ſ'y cognoiſt,
Vous dira que ce Rond *qui ces mots enuironne,*
Madame Eliſabeth Royne *enſemble couronne.*
Vous dira que De May *la* Roſée *ha benit*

Celuy

Celuy que du printemps la Rose ores se dict,
Et non pas sans raison. Ce magnanime Comte
D'vn gracieux maintien, d'honneur, de port surmõte
Les Roses & les fleurs, & tout ce que de beau
La plus belle saison de ce printemps nouueau
Hors de terre produict. Car il ha tout ensemble
Et seul ce que le Ciel en mille hommes assemble.

A luy-mesme.

Estrenes.

Le Ciel celle pour estrene
Vous amene
Qui soit en grace & beauté
En grandeur & Maiesté
Souueraine.

Allusio ad Nomen Comitis & Ducis, Reginæ oblatum quo die Baro à Denbig & Lecestriæ Comes D. Robertus creatus est, Ad eundem Lecestriæ Comitem.

Cur titulo Comitis te Regia virgo beauit?
Te comitem vitæ poscit habere suæ.
Si titulum Comitis titulus Ducis amplior ornet,
Iamq́; comes vitæ, dux fuerisq́; viæ:
Duxq́; viæ factus, vitæ comes, ilicet, illam
Ducere quaq́; voles, quaq́; volet, poteris.

Le meſme en Francois par l'auteur meſme.

Pourquoy eſt ce dy-moy que la vierge Royale
S'eſt monſtrée enuers toy ſi courtoiſe & loyale
(Celle qui de noſtre aage eſt la perle & la fleur,
Celle à qui appartient le premier rang d'honneur)
Que de t'auoir donné ce beau tiltre de Comte?
C'eſt quæ faiſant de toy plus que nul aultre compte,
De toy,(de qui iadis en ſon aduerſité
A eu tant de ſecours)en ſa proſperité
Ores à bien bon droict ha deſir,& enuie
Que luy ſois Compagnon,& d'honneur & de vie.
Car de Comes le nom vault aultant en Francois
Comte que compagnō,Fellowe qu'Earle en Anglois.
Si te tiltre de Duc,lequel beaucoup plus monte,
Alloit accompagnant encor celuy de Comte,
(Eſtant ia Compagnon)Conducteur du chemin
Enſemble te ferois(ô quel bon heur)affin (Comte
Qu'(apres auoir gaigné ces deux poincts d'eſtre
D'eſtre Duc quand & quand) puiſſes faire ton cōpte
Qu'vn iour la Meneras qu'elle t'Accompagnera,
Par tout ou tu vouldras,par tout ou luy plaira.

A ſa Maieſté Eſtrenes.

Pour toy Royne d'Angleterre
Debonnaire
Ie prie le Roy des Roys

Qu'au

Qu'au bout de neuf-moys tu sois
Femnne & Mere:
Femme d'vn Illustre Prince,
Et Prouince,
Ou de celuy que cognois,
Combien à grè, dict l'Anglois,
Ie le prinsse!
Tu fis n'a gueres vn Comte
Fay qu'il monte,
Ainsi tresbien l'estrenant,
Que nul homme tant sort grand,
Le surmonte.
Ainsi puisses tu Madame
Voir ton ame
Trescontente en tes souhaits,
Tes subiects bien satisfaits,
Et sans blasme.

A Milord Robert. Comte de Lecestre Estrenes.

Dieu Vueille que le bonheur
Et l'honneur
Ou tu pretens, fauorise
Aux desseings & entreprinse
De ton coeur.

Sur le nom de Monſeigneur le Prince d'Orange anagrammatizé ou tourné en ceſte maniere.

GVILLAVME DE NASSAV

GVIDE L'AME EN VASSAL.

Le corps eſt le Vaſſal & le ſubiect de l'Ame,
L'Ame eſt la Gouuernante & du Vaſſal la Dame.
Guillaume de Naſſau Guide L'Ame En Vaſſal,
En bon Vaſſal du Roy contre l'aſtre fatal
Qui menace noz chefs, ſi tu n'es noſtre Guide.
Car ie voy des cheuaux qui gallopent ſans bride,
Sans raiſon, ſans pitié, pour maſſacrer les Geux,
Qui eſperent par toy voir l'Ennemy ſous eux,
Par toy qui es puiſſant en debonnaire Prince,
Et bon Vaſſal du Roy garder ceſte Prouince,
Eſtant plus que raiſon qu'vn bon Vaſſal du Roy
(Comme vrayement tu es) combate pour la Foy,
Et qu'en nous aſſeurant il ſoit Guide de l'Ame,
Et en loyal Vaſſal, Gouuerneur de MaDame.

Antuerpiæ. 1566.

Valens Coruiuotus H. Faciebat.

Sur le nom de Monſeigneur le Prince d'Orange, traduict de L'Anglois.

Quand Ceres vint à voir les beaux champs ou Flora

Trium-

Triumphante le Chef couronné de fleurs ha,
Et le Dieu Apollon sa teste tout-d'orée
Va cachant en la nue & en l'ombre sacrée,
I'aperceu que Ianus apprestoit vn festin
Riche des entremets delicieux, affin
De careßer Ceres: les arbres deschargeoyent
Soudainemēt tels fruicts qu'eux-mesmes engēdroiēt,
Pour monster à ces Dieux tout le plaisir des champs.
Diane s'y trouuà braue d'accoustremens,
Les Vestales außi chastes l'accompagnerent,
Et s'aßirent à table, & tout leur soul mangerent
De ces fruicts delicats, sauoureux & plaisans.
Or comme tous ces Dieux mãgeoyent ces mets friãds,
Sur l'heure vn certain Prince apportoit vne Orange,
Qui passoit en bōté les meilleurs fruicts qu'on mãge,
D'autant que le doulx sucre & le sel, & le miel
Va passant en douceur l'amertume du fiel.
Iupiter le grand Dieu le iuge en estoit, comme
Paris, au iugement de qui Venus la pomme
D'or iadis enleuant à Pallas arracha,
Dont la fiere Iunon si fort se courrouca,
Qu'elle osa menacer que d'espée ou de flamme
Ruineroit & Troye & le filz de Priame.
Qu'en di-ie dauantage? Entre le plus beau fruict
A ce festin seruy l'Orange eust seul le bruict.
La Princeße en goustant, print l'escorce en reserue
Pour y clorre son nom du Conseil de Minerue.

Gul. Nassouius Auraicæ princeps Margaritæ Duci Parmensidi Apr. 14. Antuerpia discedens.

In sua crudeli Populus ne viscera dextra
Margari conuersus sæuiret, & improbus illam
(Orbe vel in toto qua vix opulentior) vrbem
Dirueret, caui, nec me cauisse pigebit.
Nunc, quia discedo, Tu, (ne cumulata ferantur
Funera funeribus, ne strages strage, nouaq;
Cæde recrudescat iam iam coitura cicatrix)
Respiciens superos, Regem patriamq; caueto.

Le mesme en Francois.

Madame i'ay gardé (de quoy n' ay repentance,
Pour aymer le repos publicq, que l'insolence
D'vn peuple furieux n' ayt tourné les cousteaux
De sa cruelle main encontre ses boyaux:
Et par la i'ay gardé, que la ville du monde
La plus riche qui soit, & qu'autre ne seconde
N'ayt esté saccagée. Or' puis que ie m'en voy,
Madame, ie te prie humblement garde toy,
En respectant l'honneur de Dieu, du Roy, ensemble
Le bien de ce pays) que bien tost on n'assemble
Mille & mille tuéz qu'on portera dehors
Sur vn monceau combléz, & que par tant de mors

Deuant toy maſſacréz, d'vne playe nouuelle
La playe ne ſ'entreouure et deuienne mortelle.

Ducis Parmenſidos reſponſio.

Mutua ne ciues in vulnera cominus irent
Fuſtibus & gladijs, dominamq́; ferociter vrbem
Diriperent ruerentq́;, ferus cui parceret hoſtis,
Cauiſti: Tibi nos fateor debere ſalutem
Vrbis, & officij pretium diadema Philippo
Fors tribuente feres, meritis ſi talibus extant
Præmia, ſi de te mentiri fama veretur.
At memorem quod amice mones, placideq́; monendo
Vt caueam ſuades, viduem ne ciuibus vrbes,
Funera funeribus ne condenſata ferantur,
Neúe recrudeſcant quæ iam coijſſe videntur
Vulnera, (Fœmineum decorat Clementia ſexum)
Quantus amor ſuperum, Regis, Patriæq́;, cauebo.

Le meſme en Francois.

Monſieur tu as gardé que le peuple enragé
Ne ſ'eſt entretué, et qu'il n'a ſaccagé
Sa propre ville auſsi, la ville qu'eſpargner
Sur tout meſme deuoit l'ennemy eſtranger.
Qu'à toy l'honneur ſoit deu ſeul, il n'y a perſonne
Qui le nye: le Roy t'en doit vne couronne,
Qu'en leueras bien toſt pour toute recompenſe

Sans doubte, si le Roy tels biens-faicts recompense
Et de biens & d'honeurs, & que le bruit qui court
De ta valeur, au vray soit raporté en Court.
Quant à ce, mon amy, que tu vas m'exhortant,
Et si paisiblement que rien plus persuadant,
(Bien que ie me souuienne aßez de mon debuoir)
Que ie vueille garder, & de tout mon pouuoir
Si bon ordre y donner, que les villes du Roy
Nostre maistre & seigneur ne deuiennent par moy
Vefues des Citoyens, & que mille corps morts
Soubs vn monceau comblez on ne porte dehors,
Et que par ce meschef les playes ne s'entre ouurent,
Et le feu dangereux (lequel les cendres couurent)
Ne se r'allume außi: Ie te promets, Monsieur,
D'vser en cest endroit de Clemence & doulceur
Telle qu'à nostre sexe est propre, & le decore
Plus que chose qui soit, d'autant plus que i'honore
Et ayme le Seigneur, le Roy & la Patrie,
A laquelle ie doy & mon bien & ma vie.

Comes LVDOVICVS de Künig stein, id est, de Lapide regali, à Stolberg, &c.

Te (quoq;, cui Comes aßiduè est comes Inclyte virtus)
Cui comes Aonidum turba nouena, canam.
Cui comes it Charitum trias indiuulsa Sororum,
Cui comes it Clario iuncta Minerua Deo.
Cui comes it niueo probitas candore refulgens,

Et

Et Comitem comem qui facit eſſe, lepos:
Quo Comitem nullum comitatum Teutona cernit
Terra tot ac tantis dotib. ingenij.
Quiq́; adeò Heroas virtutibus anteit omnes
Regius huic nomen donat habere Lapis.

A Madame Madame la Princeſſe d'Orange Anne de Saxe, &c.

Sonnet.

Madame ie ferois à moy & à mon liure
Qui ſ'imprime grand tort, ſi ie ne te chantois,
Toy & de tes vertus le comble de ma Voix,
Vertus qui te feront dans le tombeau reuiure.

Car ie te voy deſia au beau chemin d'enſuiure,
Voire de ſurmonter, t'ayant veu pluſieurs fois,
(Apres t'auoir ouy hault louer mille fois)
Les femmes, dont les noms ſont engrauéz en cuiure.

Sus que doncques ormais oppoſer on ne vienne
Qu'on ne vienne oppoſer la Royne Carienne
A celle qui ne cede á perſone en grandeur:

Qu'on ne vienne oppoſer la diuine Sibylle,
Ny Eſter, ny Iudith, ny aultres mille & mille,
A toy qui de noſtre aage es la perle & la fleur.

D. Paulo Foxio. V. C.

Epigramma, cum colico morbo laboraret.

Me, latus & renes solitus tentare, reliquit
Colicus, admoto fomite, penè dolor.
Deserat vt penitus dominum quem poßidet, albi
Cantharus efficiet postus in igne meri.
Hinc mihi (sorbitio patrio quò more paretur)
Sufficiat venia, Condus amabo tua.
Sic tibi Socraticus, sic Atticus, optime Foxi,
Cecropio Xenophon perlinat ora fauo.

Ad eundem cum die veneris Homerum & Xenophontis ἀπομν. libros auspicaturus esset.

Socratis hac Dæmon visus mihi nocte, poëtam
Rhetoraq́; incipiat, rettulit, vna dies.
Quo sine nil fausto sibi vir bonus ille putauit
Omine cessurum, propitioq́; Deo:
Illius auspicijs iam iamq́; legendus Homerus
Differat in Martem, μῆνιν ἄειδε θεά.
Tuq́; tui causam Xenophon suspende magistri,
Non est conueniens litibus iste dies.
Interea Basiliq́; fauos, Nonniq́; legamus,
Mæonidæ hic partes, Socratis alter agat.
Annue: quam nullis expertus es antè diebus
Spondeo cum summa sedulitate fidem.

Sonnet

Sonnet au Roy de France CHARLES Neufiesme.

ire Dieu t'ha voulu d'vn Roy de France naiſtre,
Heureuſe en ſoit la France, heureuſe ſoubs tes loys
Puiſſe fleurir long temps en Paix, veu que de Roys
N'es iſſu ſeulement, ains as l'heur de Roy eſtre.

e comble de ton heur par eſcript ie vay mettre:
Heureux es d'eſtre né au temps que le Francois
Commence à louer Dieu, & de coeur & de voix,
Puis d'auoir rencontré Bellozane pour maiſtre

e ta ieuneſſe tendre, & plus heureux encor
D'auoir pour Chancelier ce Vieux-ſage Neſtor:
Le plus grand de ton heur c'eſt durant ceſte guerre,

D'auoir Seigneur de FOIX, *Sire, vn de ton conſeil*
En vertu & ſcauoir ez Lois le nompareil,
Ores Ambaſſadeur pour toy en Angleterre.

Ad Gulielmum Cecilium ſereniſs. Angliæ Reginæ primicerium.

ecilij ſat notus honos, ſat gloria: nomen
Vnde ſed hoc illi dicite Sicclides.
icclides Muſæ ueſtri præconia vatis

Dicite,

Dicite, de vestro nomine nomen habet.
Sic ego: Sicelidum contrà sic vna sororum
Sicelis à Siculis nomen adepta iugis.
Comica præcipuos inter quos Scena poetas
Laudibus in cœlum priscaq; fama tulit,
Cæcilio, (tenebris licet illius obruta cæcis
Pagina) Sedigiti palma fauore datur.
Cæcilius superat grauitate, Terentius arte,
Flaccus ait, Latiæ gloria prima lyræ.
Cæcilij grauitas Venusino dicta poetæ
Comica, notitiam posteritatis habet.
Et tua præconem grauitas pia nacta Poëtam,
Post tua, ne dubites, fata superstes erit.
Ille ego Cecilium qui Siclidemq; sonabo,
Ille ego qui tollam nomen ad astra tuum.
Quod seu Cæcilius tibi, Siclidesúe dederunt,
Sicelidum numen nomen & omen habes.
Cæcilio quantum Latio Comœdia debet,
Tantum Cecilio terra Britanna suo.

ἘΙΣ ἈΡΤΙΤΟΚΟΝ ΤΟΥ͂ ὙΛΕΡ-
μου Κικέλλου βρέφος θηλυκὸν, Ἐλιζαβὴθ
τ' οὔνομα, τετράστιχον.

Ἀρτίτοκον σὸν Ἴλερμε Θεοῦ, βρέφος ὅρκος ἀκούει,
ὅρκος γοῦν πελέτω τοῦδε Θεοῖο βρέφος,
Ὅρκια πιστὰ θεῷ θ' ἅμα χριστιανοῖσι τε μούνοις
(Οἷον ἔθεν γενετὴρ καὶ γενέτειρα) ταὐμοι.

Idem

Idem latinè.

Nata Dei Iusiurandum tua dicitur: Ergo
Sit Iusiurandum nomine, req́; Dei.
Vnius inq́; Dei doctrinam, verbaq́; iuret,
Filia sic patris, sic genitricis erit.

Idem Gallicè.

Ta fille, dont la Royne
Se dict estre marraine,
Est LE SERMENT *de* Dieu,
Fay donc qu'vn iour en elle
*De l'*Eternel *le zele,*
Et LE SERMENT *ayt lieu.*
Qu'en sa seule parolle
S'exerce, & se console
Au milieu des Chrestiens,
Ainsi comme son pere
Ainsi comme sa mere
Sa marraine, & parcins.

A Monseign. de la Chaise-Dieu Grand Prieur de France, Filz naturel du feu Roy Henry II. Contre ceux qui escriuent des Amours Sonnet.

Ce Poete *Thuscan en l'vniuers espandre*
De sa Laure *l'honneur venu tout le premier,*

De ses

De ſes premiers amours emport le Laurier
Bayf ſans ſa Melline eſtoit reduict en cendre.

Celuy que le Francois vante pour ſon Terpandre,
Le Myrte Idalien, du-Bellay l'Oliuier
Enleua quand & quand des amours le loyer,
L'vn de s'amie Oliue, & l'aultre de Caſſandre.

Laure Melline, Oliue & Caſſandre mourront,
Le Laurier, l'Oliuier, le Myrte fletriront,
Rien ferme ne ſeiourne en ce bas territoire.

Quant a moy Monſeigneur, ſans plus ie veux chanter
L'amour qui de l'oubly vous peult ſeule exempter,
C'eſt l'amour que portéz aux filles de Memoire.

Lancilotus Carlus Epiſcopus Rhegienſis.

Aurea mellifluæ comes eſt facundia Loto,
Lancea vim, eloquium Lotus & *ipſa notat.*
Quòd ſimul eloquio iungas quoq; Κάρτος, *origo*
Nominis oſtendit Carle diſerte tui.

In eundem.

Cùm tibi ſint Charites, veneresq; ióciq; leporesq;
Aonio cum ſis Charus & ipſe choro.
Cum populis tam Grata fluant tibi carmina Carle

Ia

Iam mihi non Carlus, sed Charilaus eris.

I. B.

Hieronymus Roborius tum Episcopus Tholonensis modò Archiep. Taurinas.

Robore cùm superes Iἱερὸς Hieronyme Vates
Ingenij, vatum tu mihi Robur *eris.*
Vt magis est Durum *nil* Robore, *mitius vsquam*
Sic nihil ingenio est Roboriane *tuo.*

Aliud in eundem.

Glandiferas Quercus *coluit veneranda vetustas*
Cum Cereris nondum munera nota forent:
Fatidicas etiam Quercus *responsa dedisse*
Testatur magno sylua dicata Ioui.
Laurigeros nondum spectarat Roma *triumphos,*
Cingebatq́; Ducum Querna *corona caput:*
Hæc quoq́; Pontificũ *geminos bona* Quercus *honores*
Seruat adhuc multis conspicienda locis.
Illa tibi nomen, tibi quod sit ad ardua quæq́;
Magnum animi Robur, Roboriane *dedit.*

Ioach. Bell.

Anto-

Antonius Heroëtus Episcopus Dinensis.

Seu canis Heroas, seu condis Ἐρωτικὰ, *verum*
Nomen Eroëti *fata dedere tibi.*

In eundem.

Non tua sit quamuis Gallis Heroica *Musa,*
Herois *nomen Musa tibi imposuit.*
Tam bene quod nobis verum describis Ἔρωτα,
Imposuit Graio nomine nomen Ἔρως.

I. B.

Ianus Auansonius.

Pierides vigeant auido sub Auansone Musæ,
Hauriat Ausonios Ianus Auanso sonos.

In eundem.

Cùm tot sustineas noctesq; diesq; labores,
Publica dum patriæ munia solus obis:
Ecquis Auansonio dulces mea carmina Musas,
Aut Clarium credat posse placere Deum?
Attamen ille placet, nec Phœbo gratior alter
Dulcia Musarum carmina voce sonat.
Ergo suum posthac non te Vir maxime dicat
Phœbus Auansonium, sed magis Ausonium.

Io. Bell.

Rober-

Robertus Huraldus D. de Bellebat amplifs.viri M.Hofpitalij gener. Regius Confiliarius.

Scilicet ingenij Roberte *quod omnibus anteis*
Robore,*ab ingenij* Robore *nomen habes.*
Quod genus οὐρανόθεν *ducas & nomina cœlo,*
Nomen & οὐράνιον *contigit inde tibi.*

C. V

Chriftophorus Candalius protonotarius Epifcopus Aerenfis.

Quòd totum linguaq; geras & pectore Chriftum,
Scilicet à Chrifti nomine nomen habes.
Tu quoq;,lacteolo cuius de gutture manant
Mella poetarum dulcia mifta fauis,
Κάνδυλος *à* Graijs *cognomen adepte,*Poetis
Lacteolum confers,mellifluumq; melos.

Ioannes Tencinius Comes Polonus.

Candide Tencini,*candore fimillime Cygno,*
Timfemet Ebræis,*tu mihi Cygnus eris.*
Tinfemet Ebræis *Cygnum fonat,ipfe* Poëtas
Cum foueas Cygnos,nomen & inde trahis.
At nebulis lucem referis quod ab orbe fugatis,
Iridis hinc patrio nomine nomen habes.

Iohann. Morellus Ebredunensis, Grynæi & Plessiaci D.

Scilicet hoc morum probitas, Morelle, tuorum
Imposuit nomen, Μωρία nulla tibi.

Aliud in eiusdem natalem.

Haud procul à Christi tuus est natalis, ab illo
Tertia nascentem te videt orta dies.
Illa dies luci te reddidit, illa'tueri
Facta dedit summi prodigiosa Dei.
Illa tibi Iani nomen dedit, illa Morelli,
Illa dies omen, nomen & illa dedit.
Illa dies nomen cœlo tibi misit ab alto,
Conueniens meritis Iane Morelle, tuis.
Illa, quid potius, nomen quàm dicere coner,
Nominis atq; omen, Iane Morelle, tui?
Vos mihi quæ Iani, vos quæ sit origo Morelli
Nominis, Ebrææ dicitæ Christiades.
Non ego de Graijs, non fontibus hausta Latinis
Illa sed Ebræis fontibus hausta petam.
Sic ego: sic contrà Christo sacra turba Sororum
Christiadûm, Iani percipe nomen ait.
Gratia cui tanta est Diuûm data munere Iano,
Gratia non falso creditur esse Dei.
Eloquij Morelle tui quis flumina nescit,
Quantaq; sit linguæ Gratia, Iane, tuæ?

Hæc

Hæc & amicitiam tibi conciliarat Erasmi
Gratia, Grynæum iunxerat illa tibi.
Hæc facit, vt meritò summis sis Gratus & imis,
Vt sis principibus Gratus & ipse viris.
Gratia te cœlo post funera, Iane locabit,
Gratia te cœlo rara Morelle beat.
Myrrhea de cuius stillant quoq; verba palato,
Myrrha Dei, M O R—E L, iure vocadus erat.
Ergo salutabo Iani, te Iane, Calendis,
Myrrha Dei (M O R—E L, Gratia, Iane Dei.
1558 Parisiis.

Antonia Deloina ex Græco C.V. Camilla Morella Interprete.

Credita quæ Phœbi Delus fuit insula nutrix,
Illa tibi nomen Deiloïna dedit.
Illa Deum, doctæ gaudent quo præside Musæ,
Nutrijt, Ambrosio Delus odore fluens.
Inde tuo Ambrosij distillant ore liquores,
Aonia Aonij lausq; decusq; chori.

Ad eandem.

Delius indulsit sua cùm tibi munera, nomen
Creditur hoc meritis attribuisse tuis.

Ad Ianum Morellum Ebred. de Ioach. Bellaio.

Nominis explorat dum quæ sit origo duorum
Herrice siue tui, seu Catharina tui,
Nominis ipse sui lateat quod in omine numen
Bellaius mira callidus arte tacet.
Scilicet excutias vt nominis ipsius omen,
Iane, vel excutiam forsan vt ipse monet.
Tu modo Bellaici cognominis ede vel omen,
Omen ab Ebræis nominis ipse petam.

Ad eundem In Commendationem Iohannę Othonidos Io. Othonis præceptoris sui F.

Pignora Mnemosynes, tria, Iane, nouemq; fuerunt
Et Iouis, Ascræi carmine dicta senis.
Tres iterum Charites, tres Aonidesúe renatas
Cernimus, vt pater es factus & ipse trium.
At quia, ceu perhibent, numero Deus impare gaudet,
Vel quia perfectus septimus est numerus,
Vna soror numero duodenas augeat impar,
Bis tribus accedat vel comes vna soror.
Omnibus hæc Musis dextris & Apolline dextro
Edita facundi filia vatis erit.
Hanc tibi quo potius commẽdem nomine quam quòd

Sit

Sit præceptoris filia Iane mei?
Nominis hæc vestri dudum excita laude, tuarum
Aonidum consors gaudeat esse. Vale.

Ad Isacum Morellum Iani Morelli Ebredunei F. Xenia. Anno 1564.

Δεκάστιχον.

Qui genus Isacidum de sanguine ducis auorum,
Nominis Isacidum sis generisq; memor.
Quod licet ambiguè Risum sonet, auspice Christo
Risus eris Matris, Deliciæq; patris.
Iamq; tuos melior facies ridere parentes,
Qui prius ærumnis ingemuere tuis.
Scilicet in Risum lacrymarum flumina vertes,
Quiq; sinister eras, postmodò dexter eris.
Hoc fore vaticinior, Iani voueoq; Calendis,
Dij faciant votis pondus inesse meis.

In Aulum quendam.

Desine mirari cœlumq; replere querelis
Quòd sit ad obsequium tarda iuuenta tuum.
Supplicium nec pœna vltrix manet Aule nocentes,
Præmiaq; innocuos rara bonosq; viros.

Pro Mildr. Ce.

Sollicitis quid agam tua quærit epistola verbis,

Verba sed à factis sunt aliena tuis.
Vix tibi vix digner redituro dicere Salue,
Quem piguit blanda dicere voce Vale.

Ad Camillam Morellam alumnam suam.
Xenia Cal. Ian.

Quid voueam his Iani maius tibi, Virgo Calendis
Pronuba quam vt talem det tibi Iuno virum?
Qualis & ingenio tu, qualis & ore Camilla es,
Qualem, (si cupiat nubere) Calliope
Posceret: optarem qualem me posse puellam
Ducere, si genitor sit vel Apollo mihi.
Si Deus inuideat talem tibi Virgo maritum,
Colla maritali subdere parce iugo.

Augustæ. 1566.

Ad eandem Ca. Morel. Xenia.

En Nouus annus adest, Noua protinus omnia fiant,
Exue squallentem Mens Renouata situm.
Omnia sint operata Deo, Nouus Enthea Christi
Pectora possideat Spiritus, atq; Nouet.
In Noua mutentur studia, at cœlestia, mores,
Inq; Nouos abeant toti homines homines.

Basileæ
Calendis Ianu. 1568.

E'Iac.

E' Iac. Sannazarij. Epigrammatum, Libro primo.

Calendæ Maij.

Maius adest, da serta puer: sic sancta vetustas
Instituit, prisci sic docuere patres.
Iunge hederam violis, Myrtum subtexe ligustris,
Alba verecundis Lilia pinge rosis.
Fundat inexhaustos mihi decolor Indus odores,
Et fluat Assyrio sparsa liquore coma.
Grandia fumoso spument chrystalla Lyæo,
Et bibat in calices lapsa corona meos.
Post obitum non vlla mihi Carchesia ponet
Aeacus: Infernis non viret vua iugis.
Heu vanum mortale genus, quid gaudia differs?
Falle diem: medijs mors venit atra iocis.

Antisannazaricum.

Calendæ Ianu. 1568.

Ad Mart. Perezium C. V. Marci F.

Ianus adest, haud vina puer mihi sacra sed affer
Biblia: fatidici sic voluere Patres.
Hoc Pater æthereus, Pater hoc tuus, hoc pia mater
Postulat, hoc studij Duxq; comesq; tui.
Hoc Germanarum trias indiuulsa tuarum
Poscit, idemq; tui patris amicus ego.
Iunge Fidem Precibus, Pietatem iunge Camœnis,
Verba verecundis seria pinge iocis.

Fundat inexhaustum tibi Christus amoris odorem,
Assyrij vincat qui vel odoris opes.
Enthea nil præter spirent præcordia Christum,
Imbibat & totum mens Renouata Deum.
Sic quoq; post obitum nihil in te iuris habebit
Aeacus: Infernis iura dat ille plagis.
Macte Noua virtute puer, Nouus incipit annus,
Viue Deo: sic mors Mors Noua Mortis erit.

A Madame de Praet, Beuere Vvœstine &c. sa Maistresse sur son nom.

CATHERINE DE BOETZELAER ainsi tourné.

L'Eternel Dieu nous ha dû ban rachetéz.

Acrostichis.

C *ombien Madame est cher & souhaitable*
A *ux gens de bien, aux meschans redoutable*
T *on nom ainsi Anagrammatizé*
E *n bon Francois, comme rebaptizé,*
R *ené, laué par le sang qui merite*
I *nnocemment espandu le merite*
N *on pas petit de tout nostre forfait,*
E *n Iesus-Christ, qui en ha satisfait.*
B *annis du Ciel nous estions, enfans d'ire,*
O *beissants à tout vice, à vray dire,*

Entiere-

E ntierement, nez au Siecle de Fer,
T ous par Adam Citoyens de L'Enfer.
Z ele ou amour n'estoit lors sur la terre
E n aulcun lieu, mais le Fort de la guerre
L' Eternel Dieu Du Ban Ha Rachetéz
A tout iamais nous qu'estions emportéz,
E t esloingnéz par Peché de sa face,
R endus ormais par Christ enfans de grace.

A elle encore, sur vn pourtraict de Iesus-Christ enchassé en or.

A' cause qu'on l'a veu, Madame, vouz voulez
Que ie l'oste, i'ay fait ce que me conseillez.
Or estant confisqué, ne cognoissant personne
Qui le merite mieulx que vous, ie le vous donne.
Vous le pourrez porter sans scandale, pourueu
Que le portiez ainsi que d'homme il ne soit veu,
Ny sceu que le portez: De moy ie vous asseure
Que long temps l'ay porté en conscience pure.
Ne le portez pas doncq au nom de Iesus-Christ
Non plus que moy, aincois pensez en vostre esprit
Que c'est le vray pourtraict (& non pas vne Idole
Ou relique d'vn Sainct ou chose plus friuole)
Mais d'vn pouure Chrestien gemissant soubs la Croix
Soubs laquelle iadis gemit le Roy des Roys,
Soubs laquelle fleurist son regne & sa parole,
Soubs laquelle viuront ceux qui sont mis au rolle

De ses plus chers esleuz comme les pouures Geux
Qui bien tost doiuent voir leur ennemy soubs eux.

Encore à la dicte Dame sa maistresse.

Si tresoultrecuidé ie ne suis pas Madame,
Bien que l'Affection que ie te ren m'enflamme
D'vn extreme desir de si fort m'oublier,
Quæ d'vn noeud si estroict ie me cuide lier
Auec toy si auant en parfaite amitié
De t'appeller vn iour ma plus chere moitié
Et femme: Ce seroit par trop se mescognoistre.
Tu me fais trop d'honneur me daignant recognoistre
Sans plus pour ton loyal & humble seruiteur,
Ains que ie puisse auoir du Ciel vn iour tant d'heur,
Qu'en te recognoissant pour Dame, ie puisse estre
De ton vnique Filz, & le Pere, & le Maistre.

Ioachimus à Berchemo patricius Antuerpianus.

Seu tibi Monticolæ cognomen Orcades istud,
Cultrices bifidi siue dedere Iugi,
Nomen ab Aonio potius traxisse (Sororum
Qui decus Aonidum es) Vertice debueras.

Idem Græcè.

εἴτ᾽ ἄρ᾽ ἐπωνυμίην σοι δῶκαν Ὀρειάδες, εἴτε
αἳ ποτὶ Παρνασῷ ναιετάουσι θεαὶ,
οὔνομ᾽ ἀπ᾽ Ἀονίου, (σὺ γὰρ ἀονίδων κλέος ἐσσί)
ὄρεος ὤφειλον γνήσιον ἄρ᾽ λαχέειν.

In

In eundem.

Montibus & siluis, Musis Bercheme dicatis,
Dedite, Berchemi quàm bene nomen habes?

Ioachimus Bellaius Andinus.

Bella canant alij Mauortia, Bella canentem
Carmina Bellaium sat cecinisse mihi,
Irrequieta gerat non Bella quòd ille, sed armis
Quòd procul & bellis, carmina Bella canat.
Nónne vides positis Pax surgat vt aurea Bellis,
Bellaio Bellis Bella fugante modis?
Auspice Bellaio pereunt & semina Belli,
Vt cecinit Bello carmine Bellaius.

Sui ipsius Epitaphium. I. Bell.

Clara progenie, & domo vetusta
(Quod nomen tibi sat meum indicarit)
Natus, contegor hac (viator) vrna.
Sum Bellaius, & Poëta, iam me
Sat nosti puto num bonus Poëta,
Hoc versus tibi sat mei indicarint,
Hoc solùm tibi sed queam (viator)
De me dicere: me Pium fuisse,
Nec læsisse pios: pius si & ipse es,
Manes lædere tu meos caueto.

Idem

Idem Græcè C. V. interp.

Ἀμφότερον, γενεήν τε φατὸν, μεγάροις τε παλαιῶν
Λαμπόμενον γονέων σῆμα νέκυν κατέχει.
Οὔνομα πάντας ἐμὸν ἢ κατ᾽ ἀνθρώπους ὀνομαστὸν
Τῆς γενεῆς δείξει σοι κλέος ἡμετέρης.
Οὔνομα Βελλάιος μετέπων καὶ ἀοιδοὺς ἀκούω,
Νῦν ἐμὲ γινώσκειν ξεῖνε τις οὐ δύναται.
Ἀλλά γ᾽ ἐμῶν ἐπέων (καλὸς εἴπερ ἀοιδὸς ἐτύ-
χθην)
Λείψανα πιστώσει σοι τό δε νητρεκέως.
μοῦνον ἐγὼ σοι τοῦτο λέγειν φίλ᾽ ἑταῖρε δυναίμην
Ἀμφ᾽ ἐμέθεν. γενόμην πρὸς ἐν εὐσεβίῃ,
Οὐδέν᾽ ἑκὼν ἀσεβὴς βροτὸν ἤκαχον, ἣν σὺ δίκαιος
Ξεῖνε πέλεις, ψυχὴν μὴ κακὰ ῥέξον ἐμήν.

Le mesme Epitaphe en vers Francois.

Le genereux lignage
Et le seul testmoignage
De l'antique maison,
Dont ie suis, fait cognoistre
Et assez apparoistre
De Du-Bellay le nom.
Or Passant, ie repose
Soubs ceste tombe close:
Du-Bellay me nommois,

Pour

Pour Poëte la France
Me saluoit, ie pense
Qu'ores tu me cognois.
Quel i'ay esté poëte
Si sçauoir tu soubhaite
Ne sera dict par moy:
Ma seule poesie
Sans que ie te le die,
T'en fera pleine foy.
De moy ie te puis dire
Que sans d'homme mesdire,
Ie me suis en tout lieu
Porté droict sans feintise
(Ce qu'en moy seul ie prise)
Vers les hommes & Dieu.
Par langue menteresse
Ou plume vengeresse
Nul ayant irrité,
Durant toute ma vie,
La faueur sans enuie
De bons ay merité.
Parquoy si debonnaire
Te veux monstrer, sans faire
A ma memoire tort,
Ne vueille ie te prie
Mon renom ny ma vie
Blesser apres ma mort.

Caroli

Car. Vtenh. P. patris sui viri Consula-ris adhuc superstitis sui ipsius Epitaph.

Iob 7. *Ecce nunc heîc in puluere dormio,*
Iob 14. *& expecto donec veniat immutatio mea,*
Psal 33. *Redimet enim Dominus animas seruorum suorum,*
Rom.8. *& Creatura liberabitur à seruitute corruptionis*
in libertatem gloriæ filiorum Dei.
Iob 19. *Reposita est hæc spes in sinu meo,*

Omnium versatur vrna.

Hoc Epitaph. ipse viuens sibi & post illius obitū cha-ra ipsius soboles parenti benemer. P. Statuêre.

Idem & à C. Vtenh. F. in suam ipsius mortem conuersum.

Hic & ego tandem capio ecce in puluere somnum,
Opperiorq́; diem mea qua Mutatio fiat,
Namq́; animas redimet famulorum Ioua suorum,
Ipse creaturamq́; suam seruire suetam
Asseret à carie corruptæ molis, in æuum
Libertate Dei soboles vt honora fruatur.
Hæc animo spes certa meò atq́; immota reposta est:

Θανάτῳ πάντες ὀφειλόμεθα.

Hoc & ipse C. Vtenh. F. patri ὁμώνυμος
etiamnum superstes Epitaphium sibi condidit.

In

In Bellaicæ Musæ & Latinæ & Gallicæ carmina.

Elegia.

Multa quidem lætæ, frontis quoq; multa seueræ
Sunt tua diuersis edita scripta locis.
Non tamen vrbanis ea sunt contraria dictis,
Omnia sunt lepidis mista seuera iocis:
Nil ea fellis habent, nocui nihil illa veneni,
Abstinet à salibus, candida Musa nigris.
Vtile iucundo doctus miscére, Poëtas
Omne ferens punctum, maximus inter eris.
Nam modò quod radat, modò quod demulceat aures,
Materia scripto conueniente canis.
Este procul tetrici, teneri procul este Poëtæ,
Quiq; canis Paphiæ furta nefanda Deæ.
Nil nisi Bellaius bella canit arte politum,
Nil nisi concessos, legitimosq; iocos.
Illius in flammis, nullus uel amoribus ardor,
Illius ignitus nullus in igne calor.
Ecquid ab his rigidi teneros prohibetis alumnos?
Hîc nihil est pueros quod vetet esse probos.
Hos licet, hos matrona potest sine crimine uersus,
Hos pueris fas est euoluisse iocos.
Virgo verecundi, puer, & matrona, pudoris,
Hic nihil obscœni quod doceantur, habent.
Vis igitur pueros sceleratis artibus uti?
Vis animum vitijs inficiantq; suum?

Non

Non ego: nulla bonos ego corrumpentia mores
Carmina discipulis proposuisse velim.
Forsan & extaret si vates, vate magistro
Quo puer ad vitium doctior esse queat,
Hunc tetigisse vetem, doleam vidisse poëtam,
Edidicisse scelus grande, nefasq́; putem.
Carmina Bellaij *(nihil esse disertius illis)*
Perlege, nil illis cultius esse feres.
Perlege Bellaij *non noxia carmina vatis,*
Vtilitate sua pagina nulla vacat.
Namq́; leues Elegos, *numeros seu surgit in altos,*
Concinit imparibus iunctáue verba modis,
Dulcia seu lepidis Epigrammata *mista* Phaleucis,
Gemmea seu Genij, Margari, *dona tui,*
Innumeris Pacem *potiorem siue triumphis,*
Seu canit heroa bella cruenta tuba.
Hunc modo Nasonem, *modò dixeris esse* Maronem,
Illius inuentum iamq́;, Catulle *tuum.*
Sic sua Bellaius *numeris polit omnia bellis,*
Nullus in illius carmine næuus inest.

C. V.

ΤΟΥ͂ ἈΥΤΟΥ ἘΙΣ ΙΟΑΧΕΙ͂-
μον τὸν Βελλάϊον Ἀνδεῖνον ἐπίγραμμα.

Μαιονίδης ζηλωτὸς ἀν' Ἑλλάδα πρῶτον ἀοιδῶν
Ἄνθος, ἐπωνυμίην Ἑλλάδος Ἑλλὰς ἔην.
Βιργίλιος Ῥώμης, Ῥώμην ἀνά, πρίν ποτε Ῥώμη
Ἔπλετο, ῥωμαΐκῇ πρῶτος ἐν εὐεπίῃ.

Βελλάϊος

Βελλάϊος Γαλλῶν μὲν ὑπέρτατός ἐστιν ἀοιδῶν,
Γαλλιάδος γλώττης Γαλλιὰς αὐτοτάτη.
Ἀνδίδος ἐκ νύμφης τὸν ἐγείνατο Μίγκιος, αὐδεῖ
Τῷδε καὶ Ἀνδεῖνον κυδιάνειρα πατρίς.

Ad Car. Vtenhouium Car. F.

Aeger eram, morbusq́; meos fœdauerat artus,
In facie pallor, corpore languor erat:
Cum mihi Carolidæ sunt reddita carmina vatis,
Carmina quæ Clarij dixeris esse Dei.
Morbus abit, totoq́; fugit de corpore languor,
Et vestit niueas purpura prima genas.
At redeat morbus, redeat pallorq́; fugatus,
Sæpius Vtenhouî dummodo scripta legam.

Ioach. Bellaius.

Ioach. Bellaij & Camillæ Morellæ Dialogismus extemporalis.

Bellaius.

Versibus alternis certemus Dîa Camilla.
Tu mihi, tu Pallas, tu Calliopea Camilla,
Ca. *At tu Musarum princeps, tu solus Apollo.*
Bel. *Omnes exuperas hominesq́; Deosq́; puella,*
Ca. *Exuperare queam si tibi sim similis.*
Bel. *Iamq́; Camilla Vale.* Ca. *Charitum decus ipse Valeto,*
Bell. *Musarum decima es,* Ca. *Tu pater Aonidũ.*

Ad Camillam Morellam.

Εἰς κόρας ἀμαλθείας.

Hæc ego, si nescis, tibi mittere dona parabam
Ante bis vndenos docta Camilla dies:
Cùm mihi, nescio quis, ne mittas Carole dixit,
Hoc fuerat Regis munere digna soror.
At mihi Morelidum pluris soror vna sororum
Regibus & Regum pluris imaginibus.
Ite procul Reges, Regum procul ite sorores,
Huc ades ô Charitum quarta Camilla Charis,
Hæc tibi dona fero: mihi vena beata Camillæ
Plena Caballina pocula fundat aqua.

Parisijs. C. V.

Carmen Ioh. Hamij Tiletani extemporale ad Camillam Morellam admodum puellam, & græcè pariter & latinè eleganter doctam.

Nunc stupet Europæ pars magna Camilla Poetam
Anno te vndecimo vitæ prodire disertam,
Postera suspiciet te ætas, mirabitur orbis
Est quantus, totus, genitrix non Gallia tantùm.
Vtenhouius natu non multo maior, alumnus
Musarum & Charitum, Græcam pariterq; Latinam
Te docuit linguas, carmen docuere sorores
Te Musæ, Genium hunc ipse est largitus Apollo.
Pergite: sic est alter vtriq; futurus honori,
Vtenhouæ genti, genti pariterq; Morellæ.

Qui

Qui dedit ingenium tam fœlix ſeruiat vni
Vos oro Chriſto, grati huic eſtote parenti.

1 5 5 8.

Petrus Ronſardus.

Anagrammatiſmi.

Τερπνὸς ἐστὶ ὡς ἄρτος. ἄλλος, πῶς ὁ Τέρπανδρος.

Τέρπανδρος Ρώνσαρδε πατὴρ σόος τῶν ποιητῶν,
Πινδαρέης κιθάρης εὐστεφανόν τε ῥόδον.

Idem Latinè.

Τέρπανδρος *Ronſarde parens* Σόος, *optime uatū,*
Et Roſa Pindaricæ crederis eſſe Lyræ.

I. Bellaij & P. Ronſardi comparatio.

amabilis,	*admirandus*	
Bellaius,	*Ronſardus*	*ambo pares.*
promptior ingenio	*doctior*	

Bellaius, Ronſardus, amabilis, admirandus,
Promptior ingenio, doctior, ambo pares.

In eundem.

Qui te noſſe cupit ſolo ſat nomine notum,
Nominis inuertat Græca elementa tui.
Terpandrum inueniet Ronſardi in nomine ſaluum,
Teq́; ideo priſcis vatibus eſſe parem.
Ille quod inter ſe pugnantes fortè Lacônes
Doctiloquis potuit flectere carminibus.
Vt quiſq; eximius vates foret, alter ab illo

Cantoris Lesbi nomine promeruit.
Ac tua quòd Gallos Hispana cæde madentes
Hortatur placida ponere tela manu.
Iam Musa obtinuit Vates sit vt optimus ille,
Vindocino vati quisquis secundus erit.

I. B.

A.P. de Ronsard poëte tresexcellent.

1 5 5 7.

Sonnet.

Si tu me crois Ronsard, des poetes la gloire,
De plus sçauans Ronsard, le plus noble du sang,
De plus nobles du sang, iustement mis au rang
De plus sçauans aussi par ta vertu notoire.

Si tu me crois Ronsard, tu changeras la Muse
De ton diuin esprit à chanter desormais
Les louanges de Dieu plus que ne fis iamais,
A chanter ce grand Roy personne ne s'abuse.

L'vng chantera la Paix, l'vng les champs & les bois,
L'vng sonnera le loz du grand Roy les Francois,
Ou quelque demi-Dieu de ceste terre basse.

Mais toy fauorise sur tous aultres de Cieulx,
Chanteras desormais le plus grand Dieu des Dieux,
Qui tous Dieux, qui tous Roys, seul Dieu, seul Roy surpasse.

A Mon-

A Monſieur P. Ronſard.

I'ay leu Ronſard, & releu l'Elegie
Qu'auez eſcripte à Monſeigneur de FOIX
Comme vn ouurage excellent, mille foix,
Et plus la lys, & plus m'en prent enuie.

Außi fault il que pour donner la vie
Au liure (ainſi comme en voſtre francois
Auez ſceu faire) en Latin & Gregeois
Pour Guide on ayt ce qu'on nomme Genie:

C'eſt vn eſprit d'Enthuſiaſme tout-plein,
Plein de fureur, d'vn iugement bien ſain,
Plein de ſauoir, plein de diuinitè,

Comme le voſtre à vray dire, qui eſtes
Sans compagnon le premier des Poëtes
Qui ſont, ſeront, & ont oncques eſté.

Ad P. Ronſardum Vindocinum, cum ab eo ad cœnam vocatus eſſet.

Si mihi te potior ſit Perſica cœna, vocatus
Protinus ad cœnam ſim tibi iamq; comes.
Sim tibi, ſim Comiti comes Alſinooq; libenter
Callirhooq; comes, Paſchalioq; comes.
Ipſe ſed ad dubiæ cur me conuiuia cœnæ,
Ad te non potius Docte poëta vocas?

Te ſine non epulis capior, torpente palato,
Te ſine Vina mihi ſunt aqua, cœna fames.
Ad cœnam quoties tibi me condicere coges,
Huc ades ad cœnam, non mihi dic, ſed ades.
Carole, dic ades egregium viſure Poëtam,
Tunc tibi conuiuas inter & hoſpes ero.
Ah valeant cœnæ quicunq́; cupidine ducti
Viſere Ronſardum, *Callirhoumq́; parant.*
Cœna tuæ mihi ſunt diuina poemata Muſæ,
Non amet ob cœnam, te ſcio, quiſquis amat.

Narrationis à P. Ronſardo ad Ducem Allobrogum Gallicè ſcriptæ fragmentum, cuius initium

Vous Empereurs, vous Princes, & vous Roys,
Vous qui tenez les peuples ſoubs voz loys, &c.

Prouida cura Dei *quid agat, quo numine mundum*
Compleat, imperioq́; premat latè omnia victrix
Diſcite Chriſticolæ, voſq́; ô clariſſima Reges
Lumina, progeniem cœlo qui ducitis alto,
Induperatores magni, Proceresq́; *potentes*
Magnanimiq́; Duces, *ſimul omnes deniq́; quorum*
Eſt penes arbitrium populi pia cura tuendi,
Diſcite non magni vos veſtraq́; ducere, magnum
Perpetuumq́; nihil mundi compage teneri.
Diſcere fas & erit manifeſtis omnia ſignis
Conſilio fieri moderantûm cuncta Deorum.
Nil adeò ſine mente, nihil ſine numine Diuum

Euenit

Euenit: à superis ceu fonte cadentia largo
Omnia proueniunt, superi mortalia curant.
Scilicet omnipotens Deus ad fastigia rerum
Euehit, euectos quoties vult, mergit ad imum.
Solus & Agricolam de Rege potente misellum
Efficit, & Regem de paupere sæpe colono
Excitat egregium, regni hinc Dauida tenentem
Sceptra vides, alium amisso diademate regni
Pascere gramineas cum bobus agrestibus herbas,
Turgida quod nimio insolitoq; tumentia factu
Corda ferox gereret, se numen & esse putaret,
Numen adorandum mortalibus: ilicet, ille
Se ratus esse Deum, tantis miser excidit ausis,
Iussus in ignotis errare per auia syluis.
Scilicet hæc Mens est, sententia certa, supremi
Consiliumq; Dei, tacito quem murmure contra
Vel mussare nefas fuerit, diroq; piandum
Supplicio facinus: sese non audeat ullus
Opposuisse Deo, quæ comprobat ille sequamur
Arbitrio non visa licet iustißima nostro.

* * *

Ianus Auratus.

Vt nihil est fului pretio pretiosius Auri,
Sic nihil est precio quod tua scripta premat.

Aliud.

Carmina cum facias præsentibus Aurea Musis,
Conueniens meritis nomen adepte tuis,

Diceris Auratus, dicêre sed alter Aratus,
Nomine si fuerit littera dempta tuo.
Sic mihi, tu geminæ decoratus munere linguæ,
Auratus Latius, Græcus Aratus eris.
Ni satis hoc (auro tua namq́; poemata certant)
Virgilius Latius, Græcus Homerus eris.
Carmine Mæoniden, Latium si vincet Homerum
Vllus in hoc æuo, Ianus Aratus erit.

Iohanni Aurato Compatri suo. Car. Vtenh.

Commendo tibi, quem vides, Othonis
Primi filiolum mei magistri,
Diuinæ puerum indolis, paternæ
Virtutis specimemq́; imaginemq́;
Expressam, docilem, pium, modestum,
Solertem ingenio, omnis & capacem,
Qua pollet Pater, eruditionis.
Huius præterea illiusq́; linguæ
Linguæ inquam Latialis & Pelasgæ
Doctum, nec, reor, eius imperitum
Quam sancti quoq́; nuncupare sanctam
Consueuere viri: Quid est quod istis
Addam? quod caput est rei, quod vnum
Hisq́; existimo pluris æstimandum
Suffenus mihi: Ganda diues illi
Est natale solum, sat hoc superq́; est.

Mellinus Sangelasius.
In eius mortem.

Qui Melline fauos & mella poëtica manans
Antè Gelastus eras, nunc Agelastus eris.

In eundem.

Qui nomen tibi culte Sangelasi
Mellini imposuit, Gelasijq́;,
Mores ille tuos, tuos lepores,
Ipso tam bene nomine indicauit
Pictæ vt nil melius queant tabellæ.
Mellitos oculos vocat Catullus
Mellitos quoq; sæpe sic vocamus
Dulces versiculos venustulosq́;,
Et qualeis tibi Musa dictitabat:
Et Flaccus Lyricæ potens Camœnæ,
Græcos dum sequitur disertiores,
Ridentem vocat auream Dionem.

Franciscus Franchinus.

Franciscum gemino referentem nomine Francos,
Quam malè Francigenas sic cecinisse decet?

In eundem.

Cùm tibi sit Francis æterno fœdere iunctus
Mecœnas, Latij gloria magna soli,
Cumq́; ipsos referas geminato nomine Francos,

Franchine Aonij lausq́; decusq́; chori:
Francorum mores ſi te laudaße dolemus,
Hanc Francis laudem nullus vt inuideat.
Ioach. Bell.

Adrianus Tornebus.

Niteris auctorum Tornebe quod inclyte prauos,
Et malè Tornatos explicuiße locos,
Quis tibi de facili neget indita nomina Torno?
Namq́; malos facili corrigis arte libros,
Impiger explores, ſtudioq́; quod omina luſtres,
Nominis Ebræi monſtrat origo tui.

In eundem.

Copia cui tanta eſt, tanta qui diſſerit arte,
Cuiq́; adeo eſt vni clauſa & aperta manus,
Cui ſeſe natura parens, cœlumq́; recludit,
Quiq́; agitans molem ſpiritus intus alit.
Qui Muſas etiam noſtras, Phœbiq́; receßus,
Qui colit Aonij numina docti iugi,
Qui veteres Graios, ſacram & populatus Idumen
Qui priſcam ad Gallos tranſtulit Auſoniam,
Deniq́; qui tantis opibus ditißimus vnus,
Quiq́; tot inſtructus dotibus ingenij
Nil niſi limatum profert, atq́; arte politum,
De facili Torno quam bene nomen habet?
I. B.

Remi-

Remigius Bellaqueus.

Mella tuo stillent quòd ab ore Poëtica, vates,
Callirhoi nomen me tribuente feres.
Callirhous Musas Vitreæ de fontibus Vndæ,
Euocat à Bella nomen adeptus Aqua.

In eundem.

Limpida pulchrifluis nouies sese implicat vndis
Quæ Graijs dicta est nomine Καλλιρόη.
Hinc tibi Pegasides pulcris è fontibus ortæ,
Hinc tibi cognomen turba nouena dedit.

Petrus Ramus.

Tu Ciceronea decerpis ab arbore Ramos,
Eloquij Ausonij summus in Vrbe parens.
Creditur hac toties Cicero tuus vrbe renasci,
Dicturus quoties Regia scamna subis.
Pulpita scandentem comitatur gratia linguæ
Non minor in Latio quam Cicerone fuit.
Eloquij iuuenes Ramo duce carpite Ramos,
Arbore bis Ramus grandior iste sua est

In eundem.

Nec sine decerpto fatali ex arbore Ramo,
Aurea pro viridi cui coma fronde fuit,
Fas erat vmbrosæ telluris operta subire,
Aut Stygiæ sacrum limen adire Deæ,
Nec sine doctiloqui pretioso munere Rami
Aurea cui fandi copia ab ore fluit,

ὡς αὐτὸν.

Δένδρεος ἐκ Κικέρωνος ἀνεβλάστησε τις ὄρπηξ,
    οὔνομα Πιέριος, Ῥᾶμος ἐπωνυμίην.
Δένδρεος ὃς πέλεται μείζων ἔθεν ἀγλαὸς Ὄρπηξ,
    Ὄρπηκες δ᾽ ἐνδρῶν μείζονες εἰσὶν ἑῶν.

Petrus Gallandius.

Non tibi de Galea Gallandi Gallia nomen
Hoc dedit, à Gallis ſcilicet illud habes.
Nam tibi Bellandi Gallandi nulla cupido,
Nec tua ſollicitat pectora Martis amor.
Non Galeæ, non enſis amor, non cura Galeri
Vlla tenet, doctam Pallada doctus amas.
Flumina Lacteolo manent quod ab ore docentis
Lactea, Candiduli nomina Lactis habes.

Aliud in eundem.

Non tibi Gallandi noſtra hæc dat Gallia nomen,
Cum tibi ſit patrium Gallia læta ſolum,
Nec te etiam Gallis quis dixerit Αντίον *eſſe,*
Gallia cui tantas accumulauit opes.
Nec tibi de Galea nomen fluxiſſe putandum eſt,
Laurea cum ſacris ſit magis opta comis.
Nec tibi dant Cybeles inſani nomine Galli,
Cum multa oſtendat te quoq; barba virum.

Lactea

Lactea quod tibi ſit facundæ copia linguæ,
Lactea cognomen dat Galathea tibi.

Stephanus Iodelius.

Dicite IO PAEAN *iam terq́; quaterq́;* Poëtæ,
Delius in veſtra naſcitur vrbe nouus.
Delius à Delo *cognomen adeptus & omen,*
Vulgus IO *magna* DELIE *voce canat.*
Delius, excepto prænomine, cætera Phœbus,
Numen Apollineum, nomen & omen habet.

C. V.

In eundem.

Quantus Iô *tibi ſit* Phœbæi *numinis ardor,*
Nominis exclamat ſyllaba prima tui.
Delius hanc ſequitur, Iodeli *Delius eſto,*
Quandoquidem Phœbi *nomen, & omen habes.*

I. B.

Georgius Caſſander.

Accipe Fatidicæ *tibi cur de nomine* Vatis
Priamidæ nomen ſuſpicer eſſe datum.
Omnia veridico caneret licet ore futuri
Præſcia quæ Priami Filia Regis *erat:*
Haud tamen illa ſuis memoratur credita Teucris,
Quos poterat diris eripuiſſe malis.
Illius exemplo quamuis certiſſimus Author
Plurima non falſo præſcius ore canas.
Haud tamen efficies (reor) vt tua cuncta Lemanni
Accola credendis inſerat hiſtorijs.

In il-

In Illud οὐθὲν—ὁ—βίος Ad D. Car. Vtenhouium D. de Markeghem P. patrem suum.

In tria se findit gentis cognomen auitæ
Verba, quibus NIHIL—HAEC—VITA *latenter inest.*
Ergo licet medium te turba Papistica findat,
Torqueat inq; tuum Tela Trisulca caput,
Hoc quibus in totidem quot nomen frusta resoluat
Et secet innumeris membra cruenta locis,
Nominis antè tibi veniant obliuia, quicquam
Nomine non dignum qàum fateare tuo.

Aggæus Albada Phrysius Cameræ Imperialis Assessor.

Enthea quòd tibi sint Aggæi pectora Vatis,
Nomen & Aggæi nobile vatis habes.
Quòd Niue candidior Niueoq; simillima Cygno
Mens habitet Niuei corporis hospitio,
Albaq; quod morum candore reluceat, album
Albada cognomen contigit inde tibi:
Ni potius quia cœlicolûm conscriptus in Albo
Crederis humanas deseruisse domos.

FRAN

Franciſcus Fabricius Marcoduranus.

Fabricios celebrant veterum monumenta ſophorum,
Hisq́; parem tribuunt cum grauitate fidem.
Te grauitas, te cana fides virtutis auitæ
Semina, doctrinæ concelebratq́; decus.
Adde quòd & Latiæ Graiæq́; peritia linguæ
Pene vel antiquis te facit eſſe parem.
Deniq́; Fabricios reliquis cum dotibus æques,
Fabricios alijs laudibus exſuperas,
Scilicet hiſtorias Fabricandi (atq́; hinc Faber audis)
Quodq́; rei caput eſt, Relligione pia.
Hinc quoq; Fabricia nomen de gente vetuſta
Impoſitum meritis auguror eſſe tuis.

Ianus Ottho. Scholæ Duysburgenſis Gymnaſiarcha.

Te quoq́; cùm viridi fueris Præceptor ab æuo
Vtenhouî, fuerit præterijſſe nefas.
Ottho, rudem quo non melior formare iuuentam,
Optime Gandenſis Gymnaſiarcha Scholæ.
Te duce, Præceptor, rudis indigeſtaq́; moles
Linguarum didici prima Elementa trium.
Quo duce ſum (gratare mihi) primordia linguæ,
Romuleæ, Graiæ, doctus & Ebraicæ:
Hunc ego de primis elementis ducere nomen
Auguror: Ebræis Ottho Elementa ſonat.

Petrus

Petrus Ximenius.

Exiguo magnam virtutem corpore claudi
Ximenius paruo corpore teſtis erit.

Ad eruditiſs. Humaniſsimumq́ꝫ virum Iohann. Oporinum Compatrem ſuum.

Ca. Vtenhouij Elegia.

Orbe peragrato quàm longa, Valentius vrbis,
Regia cui Graium nomen habere dedit,
Ac propè luſtratis penetralibus omnibus, ecquod
Fortè foret Nonno, virginibusq́; ſacrum,
Repperit haud aliam (Nymphas vbi figere ſedem
Credibile eſt Dryades Pieridesq́;) domum,
Quam Domino ſacram, Petri quæ proſpicit ædem,
Eſt vbi Oporini bibliotheca ſui.
Saltibus in nullis venatibus aptior alter
Eſt locus, aut Vatum gratior aucupijs.
Hic potes Actæon ſine veſte videre Dianam,
Præda nec idcirco dentibus eſſe canum.
Pallada Tireſiæ licet hic vidiſſe lauantem,
Luminibus noctem nec metuiſſe ſuis.
Hic licet Hiſpanos calamo iugulare ſuperbos,
Et tamen immunes cædis habere manus.
Hic & Iberiadas Belgarum cæde madentes

Cer-

Cernere, & illorum non metuiße minas.
Corniger Europam rapit hic Saturnius, axem
Hic manibus Typhon concutit æthereum.
Fallor, an & Nonno sacer est locus iste Poëtæ?
Virginibusq́; tribus, virginibusq́; nouem?
Ergo procul teneri vates, procul este profani,
Hic sacer est Nonno, virginibusq́; locus.
Vos quoq́; non vna digni cruce parcite fures
Limina furtiuo nostra subire pede.
Vosq́; Magistratus miseris ignoscite mites
Furibus: hi rapiunt, quæ reparantur opes.
Plectite Librorum, pretiosi plectite fures
Temporis: hi fures non redimenda clepunt.
Temporis amißi non est reparabile cuiquam
Vel breue momentum qualibet artis ope.
Clàm loculos fortaße tuos manus improba furum
Hausit? erit duplum qui tibi restituat.
Est tibi dimidium furtim qui clepserit Horæ,
Hoc tibi qui reddat temporis ecquis erit?
Temporis ergo mali fures procul este fugacis,
Quiq́; libros legitis, ceu sacra Sacrilegi.
At vos Aoniæ non inficienda cateruæ
Turba, quibus tempus carius est opibus:
Temporis in damno qui ponere damna soletis,
Vna quibus potior quolibet hora lucro.
Huc age certatim contendite, nostraq́; quamuis
Parua sit, vndenos vix capere apta domus:
Illa tamen vobis patet omnibus, omnibus horis,

Hora volat, tempus clamat, adeste precor.
Fallor an aspicio muscis numerosius agmen?
Fallor: adest vnus vix, reor, ecquis hic est?
Ianus Oporinus, quo (qui videt omnia Phœbus)
Non videt ingenio candidiore virum.
Hoc comitatus ades vatum Pater haud sine Nonno,
Virginibusq; tribus virginibusq; nouem.
Iamq; in Oporini mecum penetrale receptus,
Illius in laudes suggere Oporiada.

C. V.

In eundem cum apud eum pransus esset.

Vt varios posuit fœtus Autumnus, & ipse
Nomen ab Autumno qui ducit Oporinus, Hospes
Mensam, sermonesq; suos, rerumq; suarum
Comiter impertit: pro quo si soluere grates
Haud opis est nostræ (quis enim tot soluere posit?)
Quàm multa in siluis Autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia, At grato illi pectore tantas
Cura tamen fuerit nobis soluiße, quot anno
Ipse libros, folia aut Autumno excuderit vno:
Aut medicus (medici ignoscant si qui tamen hic sunt)
Quot Themison ægros Autumno occiderit vno.

Distichon

Diſtichon anni numerum comple-
ctens quo Iohann. Oporino è Fau-
ſtina Baſ. Amerbachij ſorore πρωτό
τοκος natus eſt filiolus Immanuel.
25. Ianuar.

FœtVs OporIno, FaVſtIna è ConIVge qVarta
NatVS, AMerbaChIo VIX dICIt AVVnCVLe ſaLVe

Thomas Guarinus Neruius Baſilien-
ſis typographus.

Fungeris officio Medici quoq; mille lituris
Docte Typographicos exonerare libros.
Patria cognomen dedit hinc tibi nempe Guarini
Neruia, ſic Medicam ſueta vocare Manũ. (ipſum
Certè ego Chalcographos quoties contemplor, &
Chalcographum Clarium credo fuiſſe Deum.
Quis ſcit enim, Admeti dum paſcua fortè pererrat,
Reppererit graphicos primus an ille typos?
Hinc etiam Νομίην *noſtris in verſibus olim*
Chalcographen nobis dicere cura fuit.
Quin & Ὀπωρινὸν *de nomine diximus illam*
Compatris, Autumno nomen habentis idem.
Si quis Iſingriniam volet hanc dixiße, nec Aldo
Illa ſuo, quantum debet Iſingrinio.

Gerardus Mercator Rupelmundanus Mathematicus.

Dij tibi Mercator quouis pretiosius auro
Ingenium Mercis contribuere loco:
Ingenio studium est, studio labor improbus acri
Additus: hac cœlum Merce beatus adis.
Hac petitur cœlum vigili Venale labore,
Hac datur ad superas scandere Merce domos.
Nam sua qui Vendit bona si Mercator habetur,
Quisquis & ære dato comparat, aut quid Emit,
Dij Mercatores fuerint quoq́;, namq́; labore
Credidit Hesiodus Vendere cuncta Deos.
Quis tibi cognatos cœli neget ergo colonos,
Nomen & è cœlo quis neget esse datum?
Omnia Dij Vendunt mortalibus ære laboris,
Omnia mortales ære laboris Emunt.
Ardua quicquid habet spatiosi machina mundi,
Quicquid & historiæ totius orbis habent:
Te penes est: nostro non est opulentior æuo,
Pluraq; Mercator qui bona poßideat.
Tu potes in parua sublimia texere tela,
Tu potes exiguo claudere cuncta globo.
Hæc tibi Mercator Mercatus es ære laboris,
Aere potest quiduis Sedulitatis emi.
Hinc quoq́; cognati retines Commercia cœli,
Hinc Mercatoris nomen & omen habes.

Fran-

Franciſcus Thorius Bellio.

Nempe quòd Aonidum chorus ad tua carmina lætus
Saltet, Hamadryades inter ouetq́; Deas:
Vel tua quòd noſtris Saltata poëmata Belgis
Plauſibus Implerint Solis vtramq́; domum,
Hinc tibi Græca Θορῶν *Thorij cognomen & omen*
Vox dedit, hinc Salius diceris Auſonijs.

Aliud in eundem.

Victus amore tuæ, quare modo victor, amicæ
Dictus es è celſo deſilijſſe loco?
Scilicet haud paruo venit accerſenda periclo
Firma futura tuo Paxq́; fidesq́; Thoro.

Hubertus Languetus.

Vbere cum Latio totas cui mater Athenas
Creditur Vberibus prouoluiſſe ſuis,
Vber & Vberius per quem fluit Hippocrenes,
Vbera lactanti cui dedit alma Charis,
Nomen ab ingenij tulit Vbertate venuſtum,
Illud ab vberibus ni tulit Vberibus.

Felici Platero Medico Baſilienſi.

Cras vbi condiderit veſter ſua lumina Phœbus,
Cuius & in terris non leue munus obis,
Te quoq́; conuiuam mihi Feliciſſime Felix
(Si quod es id verè diceris) eſſe velim.
Fallor? an es Felix, nec te Felicius alter

Exercet Medicæ doctior artis opus?
Huc ades ergo lyra comitatus Apollinis aurea,
Virginibusq; tribus virginibusq; nouem.
Iamq; suburbanis succede penatibus hospes,
Stella vbi Apollineum spargit ab orbe iubar.

In Theodori Bezæ Nouum Testamentum, Reginæ Angliæ dicatum, à seq; ipsius oblatum Maiestati.

Ad eandem Angliæ Reginam.

Beza Dei—Donum Graio de nomine dictus,
Nomine fert dignum Munus & ipse suo,
Munus ab ætherij sacro patris ore profectum,
Munere quo nullum grandius orbis habet.
Ergo Dei, Regnum, quæ Munere Munus adepta es,
Effigiesq;, Dei Munere, quæq; Dei es,
Sume, tuoq; Dei si penses Munere Donum,
Qui Θεόδωρος erat, iam Τεόδωρος erit.

ΤΟΥ̃ ἈΥΤΟΥ̃ ἘΙΣ ΘΕΌΔΩΡΟΝ

τοῦ Βέζαν Βεζέλιον.

ὡς αὐτὴν βασίλισσαν.

Βέζα Θεοῦ-Δῶρον πεφατισμένος ἑλλάδι φωνῇ
Ἄξιον οὐνόματος Δῶρον ἔθεν φορέει,
Δῶρον ἀπὸ στόματος πατρὸς αἰθερίου καταβαῖνον,
οὗτινος οὐκ ἄρ᾽ ὅλος μεῖζον ὁ κόσμος ἔχει.

ἣ τῆς

Ὃς γοῦν θεόθεν βασιλήϊον ἔλλαχες ἀρχήν,
οὐρανόθεν τ' εἰκὼν ἤ τε θεοῖο πέλεις,
Δέξο, τεῷ τε Θεοῦ δῶρον προπτύσσεο δώρῳ,
ὡς Τεόδωρος ἔοι, πρὶν Θεόδωρος ἐών.

Aliud in eundem Acroſtichis.

The ſauros alij veteres tellure recludant,
O cia qui vitæ liberioris amant,
Do na ſalutiſeræ, cum Vate perennia vitæ
Ros idaq; Ambroſij carpite mella faui.
Ve la dabit pelago, tantùm grati eſte, patenti
Sa cra precaturis anchora ſola Deus.

Simon Sulcerus Eccleſiæ Baſilenſis Epiſcopus.

Qui pia Sincerè populum myſteria Chriſti
Ex Euangelicis fontibus hauſta doces,
Numinis & cultor qui Sinceriſsimus idem
Acer ad obſequium Cerneris ire Dei,
Omen ab Obſequio nomenq; Simonis adeptus,
Poſtmodò Sincerus, non mihi Sulcer eris.
Fallor? an & Medicas animæ curare per artes
Vlcera Sulcero pulcher Apollo dedit?
An quia Sal terræ vos Chriſtus & ipſe vocauit,
Diceris & puri lucida mica ſalis?
Quem ſale non parco Chriſtus donauit IESVS,
Quo ſine nil ſapiunt omnia noſtra Sale.

Ioannes Echtius Medicus Colonien. aduersus Paracelsistas.

Te licet his oculis nunquam conspexerit Echti
Hos tibi qui versus funditat Vtenhouius,
Te tamen vt summo demissum numen Olympo
Parte tui notum de meliore colit.
Præcipuosq́; inter sibi quos Germania *iunxit*
Expetit officio demeruiße suo,
Officio faciles quo conciliantur amici
Doctrinæ studium quos sociauit idem.
Scilicet exiguo, si nescis, carmine, causam
Nominis excutiat quod tibi sorte dati.
ἔχθος *amicitiæ vox est contraria, dextrum*
Vnde κατ᾽ ἀντίφρασιν *nominis omen habes.*
Nam quis amabilior, quis amicior alter amico,
Quisúe Machaonia *maior in arte viget?*
Quòd tibi sint odio Medicorum *celsa professi*
(Ceu Paracelcistæ) *nomina,* Fedronidæ.
ἔχθεος *inde datum nomen tibi credimus* Echti,
ἔχθιστος *medicis crederis eße malis.*

Iohann. Vvierus Illustriss. Cliuorum Ducis Archiatrus.

Ille VIA *tota totoq́;* ERRARE *videtur*
ERRO *vagus cœlo docte* VVIERE *mihi,*
Qui Paracelsistæ *latitans sub nomine sectæ*
Nomen ab ERRANDO *credidit eße tibi:*

Ni

Ni quòd Aberrantes recto de tramite, rectam
 (Ceu Paracelsistas) cogis inire Viam.
Nam neq; cognomen tibi Deuius indidit Error,
 Quem neq; transuersum Deuius Error agit.
Non Via Tartarei quæ fert Acherontis ad vndas
 Latior: Angustum dat tibi nomen Iter.
Fit Via VI quæ nos supera ad conuexa polorum
 Ducit, & accliui surgit in astra Via.
Tu modò quâ ducit Vitæ Via perge, beatæ,
 Viq́; tibi cœlo sterne Vvvicre Viam.
Sic fueris Latia Vitæq; Viæq; Cupido,
 Argolicaq; Βίο voce Vierus Ερως.

Hieronymus Vvolfius. Ph. Melanchton, Cicero, &c.

Pagina Sacra Sacrum cui nomen & omen amicum
 Indidit, agnomen cur habet ille Lupi?
Quo nec amabilior nec amicior alter amico,
 Quo nec in Oeteis mitior agnus agris.
Quem minus hoc decuit cognomen habere, ferinum
 Quem minus Agniuori nomen habere Lupi?
Quem licet vberibus Lupa nutriuisset, alumnum
 Quem Charis erudijt, non sinat esse Lupum.
Sic quoq; cognomen Tellus dedit Atra Philippo,
 Pectora cui fuerant candidiora niue:
Sic Cicere à vili Cicero ipse legumine nomen
 Traxit, & à Pisis Piso, Faba Fabius.

Seu lupus ergo dedit nomen tibi, siue Lycurgus,
Siue Lycaoniæ fabula nota dapis:
Cum placidas Placido Vvolfi mansuetior Agno
Respicias placido pectore Pierides.
Cui sedet in vultu violentia nulla proteruo,
Cui micat in læta Candida fronte fides.
Flumina Cecropij qui Rhetoris omnia duxti
Primus in Ausonium, facta Latina, solum.
Quicquid & Isocrates Graio dedit ore Pelasgis,
Ausus es in Latios cogere primus agros.
Esse κατ' Ἀντίφρασιν *cognomen & istud adeptum*
(Sicut & Eumenides) te quoq; crediderim.

Εἰς αὐτοῦ Δημοσθένη.

Οὔτι σθένος Δήμου ποτ' ἔην λαῦχον οὔνομα Ῥήτωρ,
Οὐ σθένει κρατερὸς σώματος, ἀλλὰ νόου.
Βούλεαι νῦν δὲ λαχὼν σε βίης ἔθεν ὄβριμον τὴν
Οὐ μόνον ἐστὶ δέμας καρτερὸς, ἀλλὰ νόον.
Τῷ δὲ γὰρ εὐεπίης σὺ βίην καὶ κάρτος ὀπάζεις,
Κυδαίνων Οἰτέων πατρίδ' ἐν εὐεπίῃ.

ὡς αὐτόν.

Ὄμνυμαι σοῦ ἱερὸν μούσης ἱδρώνυμι τόσσον,
Ὅσσον ἐπουρανίοις καί συ θεοῖσι φίλος.

In eundem.

Carolus incipiet tibi tum demùm esse, quod Agno
Est Lupus, incipiet quando ouis esse Lupum.

Nicolaus

Nicolaus Deniſotus.
Anagrammatiſmus.
NICOLAS DENISOT
Conte D'Alſinois.

Κάππα per Alκinous Rex olim dictus Homero,
Bellaio Comes eſt, σῖγμα per Alσinous.
At Comes, Alκinous tum Rex erit alter, Homerus
Scribere cùm incipiet σῖγμα per Alκinous.
Cùm neq; Rex Comes hic, nec ſit Comes, attamẽ audit
Et Comes, atq; ſuæ gloria prima togæ.
Iure Comes dici niſi forſitan ille meretur,
Qui Comes eſt Comitum, Regibus itq; Comes.
Artis Apelleæ Comitem propè Regibus æquat
Par vel Apelleis ſplendor imaginibus.
Nam quotus eſt Regum (Comitum vix vnus & alter)
Artifici ducat qui ſimulacra manu?
Illius inſignes manus exprimit æmula formas,
Queis animum, vitam queis & ineſſe putes.
Si Comitem pictura ſuam Comitata Poëſim
Eſt Comes, hic fuerit nomine req; Comes.
Gallia pictorem quem prædicat, atq; Poëtam,
Quidlibet audendi ius Comes ergo tibi eſt.

In eundem.

Diceris Alſinous, ſed ſi quam cognitus hoſti
Tam Gallis eſſes cognitus ipſe tuis:
Sigma per Alſinous cùm ſis, te maximus ille
Redderet Herricus Cappa per Alκinoum.

Ad

Ad eundem.

Ne precor his salibus Comes offendare, Poëtæ
Cuncta mihi, pictor cuncta licetq; tibi.

C. V.

Mich. Nostradamus.

Nostra damus cũ verba damus, q̃a fallere Nostrũ est,
Et cùm verba damus nil nisi Nostra-damus.

In librum Argyropagitæ cuiusdam ex meris constantem erroribus.

Et habet Ausonium liber hic, R habetq; Pelasgum,
R habet Ebræum, prætereaq; nihil.

In Raymondum Lullium Alcumistam.

Dum Lapidem Lulli quæris quem quærere Nulli
Profuit, haud Lullus sed mihi Nullus eris.

In eundem.

Tullius Ausoniæ linguæ reparauit honorem,
Lullius hanc precij Nullius esse facit.

C. V.

In obitum Iohannis Marnixij dicti Tholosas.

Siue Tolossanum tetigisset auarius aurum,
Seiani Dominus siue fuisset Equi:
Haud poterat misero magis occubuisse Tholosas
Exitio, fati uel mage sorte noui.

Occidit ille quidem ceu Zvvinglius alter in armis,
Mitia iuridicæ natus ad arma togæ.
Sed neq; conſtat adhuc an in igne vel aëre vitam
Finierit, terra mortuus an ſit aqua.

τῆς παροιμίας ἑρμηνεία.

Ille Toloſſanum, (recitat ceu Gellius) aurum,
Seianum vel Equum dictus habere fuit.
Quem fatale malum manet, inſolitumq́;, redactus
Qui vel ad extremum, deperit exitium.

L'Epitaphe ſur le treſpas de feu Mad. Anne de Dolehaing Dame d'Eſteinbourg, Dentreghem, &c. ſa Couſine germaine.

Cy deſſous giſt Anne de Dolehaing,
A qui le Ciel auoit mis dens la main
En ſon viuart, ſix les plus beaulx Domaines,
(Dont Dame eſtoit ſept mois & trois ſepmaines
Tant ſeulement) n'ayant encor' atteint
Dix-&-huict ans. Or la mere ſe plaint
D'auoir perdu au plus beau de ſon aage
Sa fille vnique eſtant ſon plus-cher gage.
Ainſi la fleur iournaliere fleurit
Belle au matin, & ſur le ſoir fletriſt.
Des Dolehaings elle eſtoit la derniere,
Quant à la race, au reſte la premiere

Des

Des Dolehaings en grandeur & vertu.
Car tout ainsi que marchoit reuestu
D'or & d'argent ioinct ses freres son pere
Iadis, ainsi elle ensuiuant sa mere,
(Dont elle estoit le vray pourtraict) passoit
Tous en vertu, qui fit qu'a bien bon droict
Maint grand Seigneur cerchoit son alliance:
Mais le Seigneur des Seigneur qui dispense
Du genre humain, du quel vray pere il-est,
(Comme vn potier) tout ainsi que luy plaist,
De peur qu'vn iour du monde la malice
Ne luy tournast l'entendement à vice,
Esmeu d'amour paternelle, soudain
Tira vers soy Anne de Dolehaing.

Char. Vtenh.

A Mad. Anne Vtenhoue sa sœur vnique.

Estant encores à Augsbourg
Ie t'enuoye par Batenbourg,
A toy qui es la Gouuernante
De ma Cousine & de ma Tante,
Ces petis vers, pour te prier,
Et en son nom te supplier,
De luy vouloir en cest affaire
(Qu'orras de luy) tant de bien faire,
Tant departir de ta faueur,
(Puis qu'il te veult faire l'honneur)

Que

Que par ton moyen en la grace
De ma Cousine il trouue place,
Deuant mille autres Courtisans,
Qui ont mal emploié leurs ans.
Toy qui es la grand' Gouuernante
De ma Cousine & de ma Tante.
C'est vn ieune homme en qui de Dieu
La crainte sur tout h'a pris lieu.
C'est vn honneste gentilhomme,
Braue, gaillard, dispost, en somme
C'est vn que ie voudrois pour toy
Quand tu serois fille d'vn Roy.
Toy qui es la grand' gouuernante
De ma Cousine & de ma Tante.
Peut estre que pour ce bien faict
Feras vn amy si parfaict
Qu'en peu de temps en recompense
Enleueras cil que ie pense.
Fay lui doncques si bon recueil
Qu'il te regarde de bon oeil,
Toy qui es la grand' Gouuernante
De ma Cousine & de ma Tante.

I. d. M. D'Augsbourg. 1566.

Car. Vtenh. Petronia Lansenbergia.

Quod si prima viros laudarunt tempora doctos,
Artibus ingenuis gloria quando fuit,

Tempo-

Temporibus nostris quis laudes promere dignas
Possit eo maius quo nihil orbis habet.

Petroniæ Lanſ. C.V.

Inter Apollinei celeberrima nomina cœtus
Arbitrio non est vltimus ille meo
Ille ſuo celebris Petronius *arbiter æuo,*
Nobile *de cuius nomine nomen habes.*
Huius ab exemplo Petronia *perge decennis*
Pangere Petronî *quæ videantur aui.*

Camilla Morella Car. Vtenhouio F.

Carole tum nostro laberis pectore primùm
Carmina cum facient, cumq́; loquentur Equi.

Car. Vtenh. Ca. Morellæ.

Pegaſe te haud falsò volucrem dixere Poëtæ,
Carmina iam faciunt, iamq́; loquuntur Equi.

Ἀληθείας τῆς τοῦ χρόνου hoc eſt Veritatis, ad hoſpitem quemuis adyta Muſarum intempeſtiuè frequentantẽ, earumq́; Myſtas interpellãtem importunius, pro patre deprecatiuncula.

Quùm breue momentum ſit Temporis, *Horáq́; freno*
Non remorante, citis auolet acta rotis:
Quiſquis ades Phariq́; *ſubis penetralia* Nonni,
Temporis *enixa eſt quæ modò nata, legas.*

Εἰσχρονοβιβλοθηκλειστοκαιλοχρυσαργυροκλέπτων.

Si quid erit mecum quod agas, breuitate Lacones
Ni referas, referas te (mora nulla) domum.
Namq; parum grati si nolumus esse parenti,
Semper erit quod agam, semper erit quod agas.

Ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

A C. V.

Monseigneur Charles l'Eloquent,
Fort bien apris, sage & prudent
Ie vous supplie à ce matin
Me mander vn peu de bon vin,
Duquel vous me parlastes hier,
Qui me sera plus que trescher,
La soif qui de moy ne se bouge
Vouldroit prouuer ce bon vin rouge:
Vous suppliant treshumblement
M'en faire part soudainement.
Baisant les mains au Seigneur Comte
Qui de vertu faict tresgrand compte,
Et la maintient en tant d'honneur
Qu'à iamais suis son seruiteur.
Par moy Orlando de Lassus
Pour vous seruir sous & dessus.

Orlando De Lassus.

Responſe.

Seigneur Orlando de Lassus

Qui seul vas passant par dessus
Tous ceulx qui onques ont esté,
Sont & seront, (en verité)
Le plus renommez Musiciens,
D'ou vient que si bien t'en souuiens
Du vin dont nous parlasmes hier,
(Si ce n'est qu'il te soit trescher)
Auant l'auoir encore veu,
Auant l'auoir gousté ou beu:
Seigneur Orlando de Lassus
Fay moy responce la dessus.

Franciscus Martinius Ampliss. viri D. Iacobi Flandriæ Præsidis F.

Cùm tibi Musarum, puero Pater ipse tenello
Contulerit lepidum Delius ingenium.
Iamq; tibi citharam dederit Latous eburnam
Latomus Aonijs ora rigatus aquis:
Cùm tibi Valerius Grudiæ celeberrimus vrbis
Doctor Apollinea tempora fronde tegat:
Cum tibi sit Genitor quo præside nostra triumphat
Flandria, consultus Iuris Apollo sacri.
Cui Numa, cuiq; Macer, cui Scæuola porrigat herbã,
Neruaq; cui Iuris cedat in arte locum:
Deniq; cùm faueant tibi tresq; nouemq; sorores,
Cur potius nomen non dedit vna tibi?
Cur dedit infaustum nomen tibi Martius Heros,
Quem sacra plus sæuo Marte Camœna iuuat?

Cernis

Cernis inhumano lætantem sanguinem Martem
Cæde coloratas semper habere manus?
Qui placidus sequeris placidarum castra Sororum
Francisce ô Marti-ne Comes esto Duci.
Nanq; nouenarum trias intemerata sororum
τήνδε κατ᾽ ἀντίφρασιν σοι πρὸς ἐπωνυμίην.

Gandaui.

Εἰς Πέτρον Συΐλλιχον βουλομένονα.

Βούλομ᾽ ἐγὼ, βούλει σὺ Πέτρε ξυμφραδμόνι βουλῇ
ταὐτὰ, σὺ βουλόμενον, θελέγονος τ᾽ εἰμ᾽ ἐγώ.

In illud Vvil-Ich.

Velle quod alter idem, quod Nolit Nolle sodalis
Est iter ad veræ limen Amicitiæ.

Ad ornatiss. Adolescentem Stephanum Vvil-Ich.

Semper idem qui te, quod amicus Velle Libenter,
Ille quod & non Vult Nolle, fateris idem:
Nomen Amicitiæ tibi donat amica Voluntas,
Semper idem quæ Vult, quæq; Recusat idem.

Aliud ad eundem: In illud Vvil-Ich, id est Ego volo.

Vis artem doceam citò qua potiaris amica?
Fac semel agnomen dicat vt illa tuum.

Dic Volo-dicat, Ego, Volo mox Ego ſubijce, capta
Artibus haud alijs illaqueatur amor. (eſt:

In eundem.

Velle quod Alter Ego, quod non Ego poſtulat Alter
Nolle placet Stephano quàm bene Vvillichio.

G. K.

Pro geminis geminos ex ære lebetibus, (vnum
Quod Ketllere queo) do tibi verſiculos.

ὡς αὐτὸν, λεβητοποιὸν
ἀσματοποιός.

Δισσὸν ἔπος πέμπω σοι χαλκέου ἀντὶ λέβητος
σοί γε λεβητοποιῷ ἀσματοποιὸς ἐγώ.

Lucas Derus pictor Gandauenſis.

Parrhaſio melius, melius qui pingis Apelle,
Tu mihi Durerus non mihi Derus eris.

A luy meſme.

Allez vous en ma Muſe vers celuy
Qui eſt Poëte & peintre, & dites luy
Que ſon amy Charles Vtenhouie
A banqueter à ce ſoir le conuie:
Mais qu'il apporte auecq ſa portion.
Ie ne veux point de luy chair ny poiſſon,
Ny choſe auſsi quelconque qui ayt ame,
Quell' choſe doncq ſera ce? vn Epigramme
Bien accouſtré, bien fricaſſe, bien net,

Vn

Vne Ode, vn Hymne, Epitaphe, Sonnet,
Rondeaux, Dizains, viandes Poëtiques,
S'il n' ayme mieulx de mets Pythagoriques.

Εἰς χαλκοτυπίαν μουσῶν μητέρα εὐϋμνοτάτην
ὕμνος πρὸς Ἰωάννην τὸν Ὀπωρινὸν συμ-
πάτορα αὐτοῦ.

Ἀρχετύπην ᾄδωμεν ἀοίδιμον ἄνδρες ἀοιδοὶ,
βιβλοτόκον, βειαρὴν, βητάρμονα, βαρβαροφόντιν,
γομφοπαγῆ, γραφικὴν, γλυφανότευκα, γραμ-
ματοτεύχη,
δίπτυχα, δαιδαλόχειρα, δαΐφρονα, διογενέθλον,
ἐγρεσιμνημοσύνην, ἐπεσίρροον, ἐννεάμουσον,
ζωογράφον, ζαθέην, ζωαρκέα, ζωοδότειραν,
ἤπιον, ἡβείην, ἡφαίστιον, ἡμβρόμοχθον,
θυιάδα, θελξίνοον, θεοειδέα, θηρολέτειραν,
ἴξαλον, ἰοπλόκον, ἰθύδρομον, ἱδροφάντιν,
καλλιτόκον, Κλαείην, κρατοβρόφονα, καμπεσίγυιον,
λευκόφρην, λογίην, λογοτίκτονα, λαρνακόεσσαν,
μητέρα μυελόπαιδα, Μογοντίδα, μουσοπάτακτον,
νωτοβάτιν, νομίην, νωθρεχθέα, νυκτιμόβριμον,
ξεινοδόκον, ξενίην, ξυμφράδμονα, ξανθοέτειραν,
ὄβριμον οὐρεσίφοιτον, Ὀπωρινὸν, ὀργανόεσσαν,
ῥωμαλέην, ῥυπτικὴν, ῥηξήνορα, ῥινολέτειραν,
σώφρονα, σωσίβιβλον, σεισίχθονα, σιγαλόεσσαν
τλήμονα, τλησίπονον, τυποεργέα, τυμπανόδουπον,
ὑψοτειχοσμήτειραν, ὑπνάγριον, ὑστροδόρπιον,

φοιβάδα, φημοδότιν, φιλοκόρδια, φαιοπρόσω-
πον,
χαλκοχείλην, χοανεύτειραν, χειρουλκία, χωλὴν,
ψυχοτακῆ, ψαφαρὴν, ψοφοποιὸν, ψαλλομόλυ-
ώειον, ὠκυθόην, ὠροσκόπον, ὠλεσίκαρπιν. (βδον,

ΕἸΣ Ι'ΛΕΡΜΟΝ ΤΟΝ ΧΎ-λανδρον Σεβαστοπολίτην. Κ. Ο.

Οὐδὲν-ἄτερ Ξύλων-Ὁ-Βίος Ξύλανδρε καὶ
Ἀνδρῶν,
Ξῦλα καὶ Ἄνδρες ἄνευ οὐδὲν ἔασι Βίου.
Δοῦρατα σεῖο πέλει μουσέων χαρίτων τε γενέθλη,
Ἄνδρες οἱ μούσης ἠδὲ χαρίτεσσι φίλοι. (δρῶν,
Καί σύ γε δ' στρατιέων μεθέπων σέβας οὔνομ' ἀπ' Ἀν-
Δούρειος τελέθεις ἵππος ἀοιδοπόλοις.
Τοὔνεκ' ἔπος κάλλιστον ἐμοὶ σὺ ἀείσαο μούσης
Οὐδὲν ἄτερ μουσέων καὶ χαρίτων-Ὁ-Βίος.

Ὁ-Βίος βροτοῖς θεοῖο
Ἄτερ-Οὐδὲν ἀμβρότοιο.

ΕἸΣ ΚΑΡΌΛΟΥ ΤῸΝ Οὐδὲν—ὁ—βίος καλλίμαχον.

ὕμνους σπεῦδ' ἄγε Καρλε φίλον κάρα Καλλιμά-
εὐεπέας ἄλλην εὖ θέμεν εὐεπίην. (χοιο
μοῦνος ἀπὸ πάσης γενεῆς τολμήσαο τόλμαν
τήνδε σὺ, καὶ λάμψει σὸν κλέος οἶδα μόνῳ.

ἀλλ'

ἀλλ' ἔμπης νημερτοῦ ἔχω τί γε Κάρλε καὶ εἰπεῖν,
μέμψιν ἔχει Νόννος σὸς πολὺ κρυπτόμενος.
ποῖ δ' ἄγε γοῦν οἱ ἀμυνόμενος δοὺς καλὸν ἀοιδὸν
σοῦ φάος, σοῦ τ' ἄλλων ὡς τάχος ἐνεπίλω.

Ἰω. Κουρτήειος.

ἘΙΣ ΚΑΛΛΙ'ΜΑΧΟΝ ΚΑΡΟ'-
λου τοῦ Οὐθεν—ὁ—βίος.

Τίς κε τῶν ὑμνογράφων τὸν Καλλίμαχον μέγ' ἄριστον
οὐ φήσει ὕμνων ἄξιον ἂν τυχεῖν;
οὔτις ἂν ὧδε μανείη. ἐγὼ δὲ μάλιστά γε πάντων
φημὶ τὸν ὕμνου τὴν ἀξιοϋμνότατον.
ἀλλ' οὐχ εὑρετὸς ἄλλος ὁ Καλλίμαχος κατὰ γαῖαν
ὅστις ἂν ὑμνήσει ἄξια Καλλιμάχου.
Κάρολε νῦν σε λαχὼν ὕμνων ἔθεν εὕρομεν τὴν
ἄξιον ὑμνοπόλον δεύτερον αἶα τρέφει.

Ἰω. Αὐράτου.

Ad Carolum Vtenhouium patricium Gandauensem. Elegia.

Ipse tui vetus accedo admirator Vtenhoui
Antè etiam quàm à me conspicerere, diu.
Nam tua, si nescis, excusa Poëmata primùm
Vt legi, ingenij vis, placuitq; modus.
Cognoui, veluti ex paruo (aiunt) Vngue solemus
Quam magno assurgat corpore, nosse, Leo.
Non hæc de triuio, vulgi aut percussa moneta,
Dixi, aut de vatum hæc, plebe Camœna venit.

Sunt Charites, video, sunt hîc, procudere quisnam
Talia, ni Phœbi summus in arte queat?
Ilicet ingenti (fateor) succensus amore,
Exarsi, & nunc exardeo vbiq; tui.
Sed mage quum nuper fandi est data copia coram,
Sensiq; Eloquij, vimq; decusq; tui.
Quantaq; Sacchareo flueret Suadela liquore,
Secum aurum, secum Gemmea cuncta trahens.
O' mihi præteritæ redeant si grata Iuuentæ
Tempora, quum multo sanguine membra calent.
Lymphatusq; Deûm furor accipit, ipsaq; sese
Addit, & ad faciles Musa venit numeros.
Lætaq; nunc, noua nunc, interdum & flebilia, aura
Suggerit aspirans aura Heliconiadum.
Et seu Libethri, siue ad Permeßidos vndas,
Seu de Castalio fonte bibisse iuuat.
Cuncta fluunt, nusquamq; hærent, sed diuite venæ
Proluta exuperans irrigat ora latex.
Quàm sequar vsq; libens, quàm te, licet impare passu
Debili & incompto, at ponè tamen comiter:
Scandentemq; altè, superantem excelsaq; summi
Verticis Aonij subter ego aspicerem:
Tum tua, vt auxilium, peterem, mihi dextra prehensa
Porgeret, allata subq; leuaret ope.
Ipsum me ex humili sensim in sublime referrem,
Quaq; daretur mî, carperem in ardua iter.
Nunc anni, caniq; vetant & tarda senectus,
Desidia ex longo pigrior ire negat.

Tu perge, incœptumq́; iter insiste, vnde parata
Atq́; ea maxima sit gloria certa tibi:
Quippe nihil desit, florens tibi suppetit ætas,
Mens instructa bonis ingenium superat.
Dictat Musa modos, quos semper cunq́; cupisti,
Gratia queis Gemina it iuncta sorore, Comes.
Iussa, iniussa volens semper, noctesq́; diesq́;
Tecum habitat, tecum est intima adusq; Dea.
Dijq́; hominesq́; fauent, dat & vbere copia cornu
Largitur effusum quod satis & superest.
Magnorum eia igitur, vatum decora alta capesse,
Et merita Daphnes cingere fronde comas.
Viribus enixus cunctis, teq́; infer olympo,
Aurea (scis ipse) hac itur ad astra via.
Sic fato eripiere, tibi sic ipse superstes
Aeternùm per docta ora ferêre virûm.

Iulius Alexandrinus Aug. Cæsa.
Maximiliani Archiatrus.

Epigramma in Callimachum Romanum C. Vtenhouij fratris sui.

Tam bene sunt latijs donata Poëmata chartis
Callimachi, tanto cum Genioq́; nitent,
Vt Charites Graiæ Romam migrasse putentur,
Lætaq́; sit Latijs Musa Pelasga modis:
Despiciatq́; suos, quibus orta est antè, Poëtas,
Malit & Ausonijs luxuriare Togis.
Currite Thespiades, vestrumq́; ornate Poëtam,

Illius & merita cingite fronde comas.
Vosq; ô Callimachi manes assurgite vati,
Eius & æterno tollite honore decus.
Cuius honorati studio in Latia arua recepti
Curritis insolitis per fora cuncta rotis.
Iohan. Vtenhouius G.

In Callimachum Latinis versibus redditum à Carolo Vtenhouio Caroli filio.

Ecquis tot Clarium tandem post secula, vatem
Ausonio docuit suauiter ore loqui?
Nobilis Vtenhouæ gentis de stirpe creatus
Carolus, ille æui gloria prima sui.
Qui puer Hesperijs fuit enutritus in hortis,
Clarus imaginibus, clarior ingenio.
Gallia quem docto mirata est ore canentem,
Quamuis sit doctis ipsa superba viris.
Cuius diuinam laudauit & Anglia Musam,
Quam coluit gentis docta puella caput.
Qua pretium vati sacro fuit aurea torques,
Laurea cui dederas Cynthie serta prius.
Nec minus obstupuit gelidæ quæ subiacet Arcto
Scotia, nec laudis signa minora dedit.
Sed quid opus verbis tantum celebrare Poëtam, aut
Carmine per laudes illius ire meo?
Ille Caledoniæ vates quem maximus oræ
Censorem voluit versibus esse suis?

Cui

Cuius Lemouico laudata poëmata Vati,
Iudicium ſpernunt zoile inique tuum.
Non poſcunt hederas fragrantia munera Bacchi,
Et Chium dempto venditur indicio.

Tuæ virtutis & ingenij admirator
Martinus Hauwelius.Flander.

Eiuſdem. Ad Carolum Vtenhouium F. Alluſio.

Integrum Caput æthereis quod decidit Hortis,
Nomine req; venit Carole docte tibi.
Integrum Caput innumeris cui dotibus aucto
Plus datur humana conditione frui.
Cætera vix vnam callet nam turba loquelam,
Quam tamen ex ipſo lacte parentis habet.
Tolluntur ſupra aſtra alij ſermone Latino,
Aut quibus Argolico contigit ore loqui.
Tu Capiti Integro varias mandare loquelas,
Vnus multorum tu potes ore loqui.
Eſt tibi fas Arabum ſacras exponere voces,
Nec Chaldæa minus verba ſonare licet.
Cecropios iuuenem docuerunt culta lepores
Palladis & Graias mœnia delicias.
Scribere verba ſtilo ſeu vis grauiore ſoluta,
Seu cupis in iuſtos currere vincta pedes,
Tu genus eloquio potis es ſuperare Quirini,
Suſpiciat numeros Roma vetuſta tuos.
Et tibi quæ patria eſt Germania & altera pugnax,
Hæcq;

Hæcq; pari studio & vendicat illa sibi.
Sic quamuis nunquam te viderit Itala tellus,
Te stupet Italicos edere posse sonos.
Sic tua dicta capit patrio sermone loquentem,
Tellus quà largas voluit Iberus aquas.
Ni fraus & leuitas & callida verba deeßent,
Regia clamaret Gallia tota suum.
Reddentem patrias audit quando Anglia voces,
Aut faciem quando respicit illa tuam,
Tum negat externis quod veneris aduena ab oris,
Nutritum in proprio dicit at esse sinu.
Deniq; quæ occiduo est contermina Scotia ponto,
Illa potest animi sensa referre tui.
Restat adhuc tamen & melioris portio vitæ,
Et nondum sex sunt lustra peracta tibi:
Nimirum longos dederit si Iupiter annos,
Aetatisq; feras tempora iusta tuæ,
Nulla ignota super peregrinaq; lingua futura est,
At poteris patrio tu omnibus ore loqui.

Ad

Ad Camillam Morellidem Iohann. Morelli & Ant. Deloniæ F.

Condere Romanum melius Nasone, Pelasgum
Penelope melius Virgo perita melos:
Penelopen propria modulantem carmina lingua,
Ausonia exutã cernere vis'ne toga,
Graiaq; gestantẽ, patrio de more, deinceps
Pallia, Pleumosia Pallia texta manu?
Perlege quæ Latijs prius intellecta, Pelasgus
Nunc Laertiades, facta Pelasga, legat.

Χωρὶς τοῦ θεοῦ

ΟΥ᾿ΘῈΝ—Ο῾—ΒΙ'ΟΣ.

Ἐπιστολὴ Οὐϊδίου τοῦ Νάσωνος εἰς Ἑλλάδα φωνὴν ὑπὸ Καρόλου τοῦ Οὐθέν—ὸ—βιος μετανεχθεῖσα.

Πηνελόπη τῷ Ὀδυσσεῖ.

Σὴ τάδε Πηνελόπη βραδυνάστῳ πέμπει Ὀδυσσεῦ,
　ὅτι μοι ἀντιγράφοις, αὐτὸς ἵκοιο δέ σύ.
Τροίη μὲν ἀργολίδεσσι κόραις στύγος ἐξαλαπάχθη,
　καὶ Πρίαμος μόλις ἦν, Τροίη τε πᾶσα τόσου.
Αἴθ' ὁπότεν στέλλεν στόλον ἐς Λακεδαίμονα δῖαν
　μάχλος ἐποντώθη κ' οἴδμασι θυομένοις.
Οὐκ ἂν ἐγὼ ψυχρὰ λέχος εἰσανέβην πανέρημον,
　οὔτ' ἐπιπεμφοίμην χῆρα χρόνου τὸ βραδύ.
Οὐδέ τι ζητούσῃ μοι ἀπείρους νύκτας ἐλέγχειν
　χηραλέας κάμεν οἱ χεὶρ ὕφος ὑψικρεμές.
Πῆ ποτε τῶν ὄντων φοβερώτερα μὴ πεφόβημαι;
　πᾶς τις ἔρως πέλεται χρῆμά τι δειμαλέον.
Τρῶας ὀνειροπόλουν κρατεροὺς σοὶ ἐναντίον ἐλθεῖν,
　αἰνὸν ἐς Ἑκτορέην κληδόν' ἄχρους γενόμην.
Εἴ τε τις Ἀντίλοχον λέξειε δαμέντ' ὑπὸ χερσὶν
　Ἕκτορος, Ἀντίλοχος αἴτιον ἔσκε φόβου.
Ἠὲ Μενοιτιάδην ὅπλοισι νόθοισι πεσόντα,
　κλαῖον ὅτ' εὐτυχίην οὐ δόλος αἰὲν ἔχει.
Αἵματι Τληπόλεμος Λυκίην ἐχλίην' ἐγχείην,
　φροντὶς ἐκαινίσθη Τληπολέμου θανάτῳ.
Καὶ τέλος, ὅστις ἐπίπτεν ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν ἀχαιῶν,
　ψυχρότερον παγετοῦ κῆρ δυσέρωτος ἔην.

Εὐ

Ouidij Nasonis Epistola A Carolo Vtenhouio F. Græcè reddita.

Penelope Vlyssi.

Hanc tua Penelope lento tibi mittit Vlyßes,
Nil mihi rescribas, attamen ipse veni.
Troia iacet certè Danais inuisa puellis,
Vix Priamus tanti, totaq; Troia fuit.
O utinam tunc cum Lacedæmona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis.
Non ego deserto iacuissem frigida lecto,
Nec quererer tardos ire relicta dies.
Nec mihi quærenti spatiosam fallere noctem,
Lassaret viduas pendula tela manus.
Quando ego non timui grauiora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros,
Nomine in Hectoreo pallida semper eram.
Siue quis Antilochum narrabat ab Hectore victum,
Antilochus nostri causa timoris erat.
Siue Menoetiaden falsis cecidisse sub armis,
Flebam successu posse carere dolos.
Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam,
Tlepolemi letho cura nouata mea est.
Deniq; quisquis erat castris iugulatus Achiuis,
Frigidius glacie pectus amantis erat.

Sed

Εὖ δὲ θεὸς σεμνῷ φιλόφρων προνόησεν ἔρωτι,
ἀνδρὸς ἐπεφρώθη Τροΐ᾽ ἔτι σωζομένου.
Ἡγεμόνες νόστησαν Ἀχαιῶν, ηνίοσ᾽ ἐπὶ βωμοῖς,
βάρβαρ᾽ ἐπικρέματο θεοῖς πατρίοις λάφυρα.
Νύμφαι δῶρα φέρουσιν ἐπ᾽ ἀνδράσι σωζομένοισι,
τῶνδε τρόπαια Φρυγῶν μυθολογουμένων.
θαυμαίνουσι κόραι δ᾽ ἄλλαι, πρέσβεις τε δίκαιοι,
ἀνδρὸς ἀπὸ στόματος πᾶσα γυνὴ κρέματο.
Καί τις ἀριστάς, θεμένης ἐπέδειξε τραπέζης,
ζωγραφέων οἴνῳ Τροΐαν ὅλην ὀλίγῳ.
Ἔρρεε τῇ Σιμόεις, τῇδ᾽ ἦν Σιγήϊον οὖδας,
τῇδ᾽ ἔστη Πριάμου πρεσβέος ἀκρόπολις.
Αἰακίδης μὲν τῇ, τῇδ᾽ αὖ σκήνωσεν Ὀδυσσεὺς
τῇδ᾽ Ἕκτωρ ζυγίους ἀμφιδρυφὴς ἐφόβει.
Πάντα γὰρ ἐκπεμφθέντι σε μαστεύειν σέο τέκνῳ
εἶπε γέρων Νέστωρ, εἶπεν ἐκεῖνος ἐμοί.
Εἶπε δ᾽ ἐναιρομένους, Ῥῆσόν τε Δόλωνά τε, χ᾽ ὅππως
ὤλετ᾽ ὁ μὲν προδοθεὶς ὕπνῳ, ὁ δ᾽ αὖτε δόλῳ.
Τλῆς σὺ ἄρ᾽ ὦ λίαν, λίαν τὰ σὰ φίλτατ᾽ ἀπειπών,
Θρῄκια στρατὸν νυχίαις ἐμβατέειν ἐνέδραις.
Καὶ τόσσους ἅμ᾽ ἐναρίζειν ἑνὸς ἀνδρὸς ἀρωγῇ,
Εὖγε σέο προνόων, καὶ περίφροντις ἐμοί.
Αἰὲν ἐπάλλετ᾽ ἐμοῦ κόλπος φόβῳ, ἡνίκ᾽ ἀρίστους
πώλοις Ἰσμαρίοις βῆς στρατὸν αὖ φίλιον.
Ἀλλά τι πλεῖον ἐμοὶ σφετέραις πορθούμενα χερσὶν
πέργαμα, καὶ τοῖχος τὸ πρὶν ἐών, δάπεδον;
Εἰ ἔτι μέλλω ἔσεσθ᾽ οἵη πρὶν Τροΐαν ἁλῶναι,
καὶ μοι χηροσύνης οὔτι πέφηνε πέρας.

Sed bene consuluit casto Deus æquus amori:
Versa est in cineres sospite Troia viro.
Argolici rediere duces, altaria fumant,
Ponitur ad patrios barbara præda deos:
Grata ferunt Nymphæ pro saluis dona maritis,
Illi victa suis Troica fata canunt:
Mirantur iustiq; senes, trepidæq; puellæ,
Narrantis coniux pendet ab ore viri.
Iamq; aliquis posita monstrat fera prælia mensa,
Pingit & exiguo Pergama tota mero.
Hac ibat Simois, hic est Sigeia tellus,
Hic steterat Priami regia celsa senis.
Illic Aeacides, illic tendebat Vlysses,
Hic lacer admissos terruit Hector equos.
Omnia nanq; tuo senior te quærere misso
Rettulerat nato Nestor, at ille mihi.
Rettulit & ferro Rhesumq; Dolonaq; cæsos,
Vtq; sit hic somno proditus, ille dolo.
Ausus es ô nimium, nimiumq; oblite tuorum,
Thracia nocturno tangere castra dolo.
Totq; simul mactare viros adiutus ab vno,
At bene cautus eras, & memor antè mei.
Vsq; metu micuere sinus, dum uictor amicum
Dictus es Ismarijs isse per agmen equis.
Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis
Ilios? & murus, quod fuit antè solum:
Si maneo qualis, Troia durante, manebam
Virq; mihi dempto fine carendus abest?

Ἄλλοις Τροῖ' ἐπράθη μὲν, ἀπόρθητος δέ μοι οἴη,
τὴν βοὶ ληϊδίῳ ξεῖνος ἀροτριάει.
Νῦν σπόρος ἔνθ' ἦν Τροῖα, καὶ ἡ δρεπανηκτόμος αἶα
σφριγᾷ δαρδανίῳ αἵματι πιαλέη.
Ἀνδρῶν ἡμιταφῆ γύροις κροτέονται ἀρότροις
ὀστέ', ἐρειπώδεις κρύψε δόμους βοτάνη.
Σὺ πτολίπορθος ἑκὰς, καὶ ἡ τριβὴ ἥτις ἄδηλος·
ἐστί, καὶ ἥ τις γῆ κρύψε σιδηρόφρονα.
Ὅστις ἐπ' ἠϊόνι ξείνην νέα τῇδε πελάζει,
κεῖνος ἀπαίρει ἐμοὶ πόλλ' ἐρεεινόμενος.
Σοί τε κομιζομένῃ, εἴ που τις ἐναντίον ἔλθῃ,
αὐτόγραφος παρ' ἐμοῦ δέλτος ἐπιτρέπεται.
Στείλαμεν εἰς τε Πύλον Νηλήϊδα Νέστορος αἶαν
πρεσβέος, ἔνθε Πύλου φήμη ἀνῆλθ' ἀφανής.
Στείλαμεν ἐς Σπάρτην, Σπάρτη δὲ καὶ αὐτὴ ἄϊδρις
γῆν τινα νῦν ἔχεις, πῆ τε χρονοτριβέεις.
Κάλλιον εἰσέτι νῦν πυργώματα Φοίβου ἔμειναν,
μέμφομαι αὐτὴ ἐμοῖς εὔγμασι κουφόνοος.
Εἶδον ἂν ἧχι μάχῃ, καὶ ἐπέτρεον ἂν μόνον Ἄρην,
καὶ πολέων ξυνὴ μέμψις ἂν ἦεν ἐμή.
Οὐκ οἶδ' ὅ,τι δέδοικα, δέδοικα δὲ πάντα φρενόπληξ,
ἐς μελεδῶνας ἐμὰς πέπταται εὐρὺ πέδον.
Ὅσσά τε πόντος ἔχει, καὶ ὅσ' ἀποφώλια γαῖα,
αἴτια τοσσατίης οἴομαι ἀμβολίης.
Ταῦτα μὲν οἰομένης ἀνεμώλια, οἷος ἐφ' ὑμῖν
οἶστρος ἐνῆν, τάχα σε ξεῖνος ἔμαρψεν ἔρως.
Καὶ τάχα φημίσαις κεν ὅσον σοι ἀγροῖκος ἄκοιτις,
ἥτε μόνον πείκειν εὖ δεδάηκε πόκας.

Ψευδοίμην,

ruta sunt alijs, vni mihi Pergama restant,
Incola captiuo quæ boue victor arat.
ı seges est vbi Troia fuit, resecandaq; falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
nisepulta virûm curuis feriuntur aratris
Ossa, ruinosas occulit herba domos.
ctor abes, nec scire mihi quæ causa morandi,
Aut in quo lateas ferreus, orbe, licet.
uisquis ad hæc vertit peregrinam littora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit.
uamq; tibi reddat (si te modo viderit vsquam)
Traditur huic digitis charta notata meis.
os Pylon antiqui Neleia Nestoris arua
Misimus: incerta est fama remissa Pylo.
isimus & Sparten, Sparte quoq; nescia veri,
Quas habitas terras, aut vbi lentus abes.
ilius starent etiam nunc mœnia Phœbi,
Irascor votis, heu, leuis ipsa meis.
irem ubi pugnares, & tantùm bella timerem,
Et mea cum multis iuncta querela foret:
uid timeam ignoro, timeo tamen omnia demens,
Et patet in curas area lata meas.
uæcunq; æquor habet, quæcunq; pericula tellus,
Tam longæ causas suspicor esse moræ.
ec ego dum stultè meditor, (quæ vestra libido est)
Esse peregrino captus amore potes.
rsitan, & narras quam sit tibi rustica coniux,
Quæ tantùm lanas non sinit esse rudes.

Ψευδοίμην, καὶ τοῦθ᾽ ὑπηνέμιον εἴη ὄνειδος,
    μὴ δὲ παλιντροπίης στέρξον ἐλευθερίην.
Ἰκάριος με πατὴρ παύσασθ᾽ ἀνήνορος εὐνῆς
    προσβιάων, ἀμέτροις μέμφεται ἀμβολίαις.
Μεμφέσθω μὲν, ἐγὼ δὲ σὴ εἴην, σή τε καλοίμην
    αἰὲν Ὀδυσσῆος Πηνελόπεια γυνή.
Ἀλλὰ φιληγορίῃσιν ἐμαῖς, καὶ κάμπτεται ἁγναῖς
    ἱκεσίαις, κρατέων κάρτεος αὐτὸς ἑοῦ.
Δουλίχιοι, Σάμιοί τε καὶ οὓς αἰπεῖα Ζάκυνθος
    πέμψεν, ὄχλος μνηστὴρ ἔχραε μαργὸς ἐμοί.
Σοῖσι δ᾽ ἀναντιλόγως ἐπικοιρανέουσι μελάθροις,
    Ἀμὰ σέο κτῆσις σπλάγχνα διασκέδαται.
Τοὶ δέ τι Πείσανδρον Πόλυβόν τε Μέδοντά τ᾽ ἀπεχ
    λάβρας τ᾽ Εὐρυμάχου Ἀντινόου τε χέρας,
Ἄλλους τ᾽ ἐγκαταλέξω, ὅσους ἀπέων σὺ παρ᾽ αἶσαν
    βόσκεαι ὠνητοῖς αἵματι σῷ κτεάνοις.
Ἶρος ὁ πτωχὸς, σύν τε Μελανθίου εἷς βορομήλου
    πήμασι προσθήκη σοῖς πέλει ὑστατίη.
Τρεῖς μὲν ἀδρανέες τὸν ἀριθμὸν, ἀνάλκις ἄκοιτι
    Λαέρτης τε γέρων, Τηλέμαχός τ᾽ ἔτι παῖς.
Χ᾽ ὃς μὲν ἐνοσφίσθη σχεδὸν ἄρτι μοῦ δι᾽ ἐπιβουλῆς,
    πανταέκητι Πύλονδ᾽ ἐλθέμεναι μεμαώς.
Ζεὺς μοι ἐπικρινέειεν, ὅπως κατὰ μοῖραν ἑκάστου
    ὄσσε καλύψασθαι τὸν δ᾽ ἐμὰ, τόν δὲ τὰ σά.
Ταῦτα βοῶν ἐπίουρος ἅμ᾽ εὔχεται, ἡ δὲ τροφὸς γρηΐ
    καὶ τρίτος ὁ ῥυπαροῦ πιστὸς ἄναξ συφεοῦ.
Οὐ μὴν Λαέρτης ἀχρεῖος ὢν ὑπὸ γήρως
    ἀμφιλαφῶν δύναται δυσμενέων κρατέειν.

Τηλεμά

Fallar, & hoc crimen tenues vanescat in auras,
Néue reuertendi liber abesse velis.
Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, & immensas increpat usq; moras.
Increpet vsq; licet, tua sim, tua dicar oportet:
Penelope coniux semper Vlyßis ero.
Ille tamen pietate mea, precibusq́; pudicis
Frangitur, & vires temperat ipse suas.
Dulichij Samijq́;, & quos tulit alta Zacynthos
Turba ruunt in me luxuriosa proci.
Inq́; tua regnant, nullis prohibentibus, aula:
Viscera nostra tuæ dilacerantur opes.
Quid tibi Pisandrum, Polybumq́; Medontaq́; dirum,
Eurymachiq́; auidas, Antinoiq́; manus,
Atq́; alios referam? quos omnes turpiter absens
Ipse tuo partis sanguine rebus alis.
Irus egens, pecorisq́; Melanthius author edendi,
Vltimus accedunt in tua damna pudor.
Tres sumus imbelles numero, sine viribus vxor,
Laërtesq́; senex, Telemachusq́; puer.
Ille per insidias penè est mihi nuper ademptus,
Dum parat inuitis omnibus ire Pylon.
Dij precor hoc iubeant, vt euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.
Hoc faciunt custosq́; bo um, longæuaq́; nutrix,
Tertius immundæ cura fidelis haræ.
Sed neq; Laertes, vt qui sit inutilis annis,
Hostibus in medijs regna tenere potest.

Τηλεμάχῳ δὲ πλέον περὶ σεῦ ἵξεται, εἰ σόος ἔσται,
νῦν οἱ ἀμύνεσθαι πάτριον ἄλκαρ ἔχειν.
Οὐδέ μοι ἰσχὺς ἔνεστιν ἐλαυνέμεν οἴκοθεν ἐχθρούς,
τήνη θᾶσσον ἵκου αὖρα λιμήν τε τεοῖς.
Ἐστιν, ἔοι τε σόος παῖς εὔχομαι, ὅν τε τερείνῃ
πατρὸς ἔδει μελετᾶν τέχνας ἐν ἡλικίῃ.
Φράζεο Λαέρτην, ὅππως ἔθεν ὄσσε καλύψῃς,
ὕστατον οἱ μοίρης ἦμαρ ἐπικρέμαται.
Ἢ νύ με σοῦ ποτ' ἔασαν ἀποιχομένοιο κορέσκειν,
φαίης, ἢ κὴν χυίης, αὐτίκα γραΐδιον.

Ἐπιγραφαὶ τῶν προτέρων Διονυσιακῶν τμημάτων Κδ'.

Πρῶτον ἔχει Κρονίωνα κερασφόρον ἅρπαγα νύμφης,
καὶ παλάμαις Τυφῶνος ἀρασσόμενον πόλον ἄστρων.
Δεύτερον ἀστερόφοιτον ἔχει Τυφῶνος ἐνυώ,
καὶ στεροπὴν, καὶ ἄεθλα Διὸς, καὶ κῶμον Ὀλύμπου.
Ἐν τριτάτῳ μάστευε πολύπλανον ὁλκάδα Κάδμου,
Ἠλέκτρης τε μέλαθρα, φιλοξενίην τε τραπέζης.
Ἰχνεύων δὲ τέταρτον, ὑπὲρ πόντοιο νοήσεις
ἁρμονίην πλώουσαν ὁμόστολον ἤλικα Κάδμῳ.
Πέμπτον ἔτι σκοπίαζε, καὶ Ἀκταίωνα νοήσεις
τὸν κεμὰς οὐκ ὤδινε κυνοσπάδα νεβρὸν ἀλήτην.
Δίζεο θέσκελον ἕκτον, ὅπῃ ζαχρῆα γεραίρων
γαίης ἕδρανα πάντα κατέκλυσεν ὑέτιος Ζεύς.

ἕβδομο

Telemacho veniet (viuat modò) fortior ætas,
Nunc erat auxilijs illa tuenda patris.
Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis,
Tu citius venias portus & aura tuis.
Est tibi, sitq́; precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.
Respice Laërten, vt iam sua lumina condas,
Extremum fati sustinet ille diem.
Certè ego, quæ fueram, te discedente, puella,
Protinus vt redeas, facta videbor anus.

Argumenta viginti quatuor segmentorum priorum Dionysiacω̃n Nonni poetæ Panopolitani propediem edendorum Car. Vtenh. interprete.

Corniger in primo Nympham Saturnius aufert,
Et manibus Typhon stellatum concutit axem.
Astriuagam liber alter habet Typhonis Enyô,
Fulguraq́; & pugnas Iouis, & Pœanas Olympi.
Quære vagam Cadmi (quâ tertia pagina) Cymbam,
Electræq́; domos, & mensas hospitis aulæ.
Si quartum excutias, maris æquora longa secantem
Harmoniam æquæuo sociam cum fratre videbis.
Voluitur à quarto qui proximus, Actæona
Dente canum lacerat non ceruæ ex semine ceruum.
Sextus ab hoc sacer est, vbi Iuppiter imbrifer omnes,
Illustrans Bacchum, sedes telluris inundat.

ἕβδομον ἱκεσίην πολιὴν Αἰῶνος ἀείδει,
καὶ Σεμέλην, καὶ ἔρωτα Διός, καὶ φώριον εὐνήν.
ὄγδοον αἰολόμυθον ἔχει φθόνον ἄγριον Ἥρης,
καὶ Σεμέλης πυρόεντα γάμον, Καὶ ζωῦα φονῆα.
ἐς ἔνατον σκοπίαζε, καὶ ὄψεαι υἱέα Μαίης,
θυγατέρας τελάμου, καὶ μυστίδα, καὶ δόμον Ἰνοῦς,
καὶ δεκάτῳ μανίην Ἀθαμαντίδα, καὶ δρόμον Ἰνοῦς.
πῶς φύγεν εἰς ἁλὸς οἶδμα σὺν ἀρτιτόκῳ μελικέρτῃ.
ἑνδέκατον δὲ δόκευε, καὶ ἱμερόεντα νοήσεις
ἄμπελον ἀνδροφόνον πεφορημένον ἅρπαγι ταύρῳ.
δωδεκάτῳ φρένα τέρψον, ὅπῃ νέον ἄνθος ἐρώτων
ἄμπελος εἶδος ἀνῆκεν ἐς ἀμπελόεσσαν ὀπώρην.
ἐν τρισκαὶ δεκάτῳ στρατιὴν νήριθμον ἐνίψω,
καὶ προμάχους ἥρωας ἀγειρομένους Διονύσῳ.
ἐς δέκατον δὲ τέταρτον ἔχε φρένα, κεῖθι κορύσσει
δαιμονίην στίχα πᾶσαν ἐς Ἰνδικὸν ἄρεα ῥείη.
πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ βειαρὴν νίκαιαν ἀείσω,
θηροφόνον ῥοδόπηχυν ἀπειλήτειραν ἐρώτων.
ἕκτῳ καὶ δεκάτῳ γαμίην νίκαιαν ἀείδω,
εὐνέτιν ὑπνώουσαν ἀκοιμήτου Διονύσου.
ἑβδομάτῳ δεκάτῳ πρωτάγριον ἄρεα μέλπω,
καὶ ῥόον οἰνωθέντα μελισταγέος ποταμοῖο.
ὀκτωκαὶ δεκάτῳ στάφυλος καὶ βότρυς ἰαίνει,
εἰς θαλίην καλέοντες ὀρείδρομον υἷα θυώνης.
ἐννεα καὶ δεκάτῳ σταφύλου περὶ τύμβον ἀγείρει
Βάκχος ἐπὶ κρητῆρι θυώδεϊ τερπνὸν ἀγῶνα.
εἰκοστὸν μεθέπει φονίου βουπλῆγα λυκούργου
εἰς βυθὸν ἰχθυόεντα διωκομένου Διονύσου.

εἰκοστὸν

Septimus Aeonis fert verba precantia cani,
Et Semelen ignesq; Iouis, nocturnaq; furta.
Sunt iræ octauo sæuæ Iunonis & artes,
& thalamus flagrans & cædis Iuppiter author.
In nono Maia genitum spectare licebit,
Et Telami natas cum antistita & ædibus Inûs.
In decimo furor est Athamanticus, error & Inûs,
Fugerit ut tenero leuis in mare cum Melicerta.
Si legis vndecimum, disces vt amabilis ille
Ampelus à tauro sit raptus membra cruento.
Ingenium reficis Bisseno, flos vbi amorum
Pampineis corpus mutabitur Ampelus vuis.
Tertius à decimo numerosum narrat ut agmen
Et socij Heroes sint Bacchica signa secuti.
Quartus post decimum tibi dicit, vt auspice Rhea
Diuinas acies armarit Bacchus in Indos.
In decimo quinto canitur Nicæa superba
Venatrix roseis Bacchum aspernata lacertis.
At decimus sextus Nicæaeos Hymenæos
Cantat, & ad cupidum Nympham deducit Iacchum.
Primitias Martis decimus tibi septimus edit,
Mellifluiq; mero mutatas fluminis vndas.
Denus & octauus Staphylon Botrumq; vocantes
Montiuagum Bacchum canit ad conuiuia festa.
A decimo nonus Staphyli canit ante sepulchrum
Solennes ludos crateræ ob præmia, Bacchi.
Bis denus memorat truncatum crura bipenne
In mare piscosum Baccho fugiente, Lycurgum.

εἰκοστὸν πρώτιστον ἔχει χόλον ἐννοσιγαίου,
καὶ μόγον ἀμβροσίης ῥηξήνορα, καὶ λόχον Ἰνδῶν.
δεύτερον εἰκοστὸν βρομίου μόγον ὄργατε μέλπει,
Αἰακὸς ὅσα τέλεσε καὶ ἐν πεδίῳ καὶ ὑδάσπῃ.
εἰκοστῷ τριτάτῳ πεπεδημένον Ἰνδὸν ὑδάσπην,
καὶ κλόνον ὑδατόεντα, καὶ αἰθαλόεντα λιγαίνει.
εἰκοστὸν δὲ τέταρτον ἔχει γόον ἄσπετον Ἰνδῶν,
κερκίδα τ' ἰσοπόνοιο καὶ ἠλακάτην ἀφροδίτης.

ἐπιγραφῶν εἰς κδ προτέρων Νόννου
Διονυσιακῶν τέλος.

Vicenus primus Neptuni continet iram,
Fortiaq; Ambrosiæ certamina, & Indica furta.
Acta bis vndecimus canit agmina factaq; Bacchi,
Aeacus & terra quæ gessit Hydaspis & amne.
Viceno terno transmissus vt Indus Hydaspes
Præliaq; inter aquas ignesq; peracta canemus.
Bis deno quarto quantus dolor vrgeat Indos,
Lanificæq; canam Veneris radiumq; columq;.

Argumentorum in 24 Nonni Dionysiacorum Libros finis.

Appen-

Appendix Allusionum.

Distichon argenteo cælatum in poculo, ad Ioh. Oporinum Compatrem & Faustinam Baſ. Amerbachij I.C. sororem.

Ni bonus Immanuel vos respexisset ab alto,
Natus Oporino non foret Immanuel.

Idem Græcè.

εἰ τάχ᾽ ἂρ ὑψιμέδων οὐχ ἵλαος ἄμμι γένοιτο,
οὔποτ᾽ ἂν Ἐμμανουὴλ ἄμμι γένοιτο βροτοῖς·
καίκεν Ὀπωρινῷ σοὶ τετραγάμῳ παρεόντι
οὐκ ἄτερ Ἐμμανουὴλ, Ἐμμανουὴλ ποτ᾽ ἔφυ.

In Ariona Oporini eodem insculptum poculo.

Cur tuus in solido stat conspiciendus Arion
Littore? Delphini nec pede terga premit?
Admouet Aonijs nec plectra sonantia chordis,
Illa sed in nuda figere gaudet humo?
Fallor? an Immanuel pulchra te prole beauit,
Quæ facit in solido stes vt & ipse vado.

C. V.

In Ioh. Oporini Patris & Immanuelis Filij natalem.

Vt patrium celebret natali est natus eodem
E' quarta primus coniuge filiolus:

Sit

Sit nouus Emmanuel, referat probitate parentes,
Sitq́; nepos magno dignus Amerbachio.
D. Theodori Zwinggeri.

In diem A. D. IIX. Kal. Februarij.

Verè fausta dies, qua tu Faustina maritum
Fecisti sera sospita prole patrem.
Verè candida lux, Autumnis fœta duobus,
Natalis nato lux, eademq́; patri.
Quæ decies senis interlabentibus annis
Atq; vno, reparat nomen Ὀπωρινόν.
Iam ne sub Emeritos iuuenescis Oporine canos?
Et noua succrescit te genitore domus?
Quæ te lux terris, gnatumq́; tibi dedit olim,
Ornabit raro nomine ephemerides.
At tu cum Fausta bene faustis coniuge rebus
Vtaris, dulci cumq́; diu sobole:
Quid non speremus summo duce & auspice Ioua?
Præsentis sunt hæc dona stupenda Dei.
Xylandri.

Ad Ioh. Oporinum in Nonni Διονυσιακῶν à se Latinos factos Lib. 48.

Vnde tot Aonijs è montibus audio plausus?
Nonnus adest annum pressus in vndecimum.
Iamq́; sub Autumnum, noua dum vindemia feruet,
Gestit Oporini præla subire sui.

Nomen

Nomen ab Autumno qui ducis Oporine, Nonnus
Fac comes vt Baccho quem celebrauit, eat.
Protinus vtq; tuo subiectus Oporine prelo
(Namq; more pretium debet vterq;) gemat.

Ἀμβροσίῳ τῷ Φροβεννίῳ.

Ἄμβροτος Ἀμβροσίου σοὶ δῶκε Φροβέννιε θεῖον
οὔνομα, σοι ζωὴν Ἀμβροσίην τε δότω.

Ad eundem.

Ambrosij nomen tibi qui dedit, ille perenni
Nectare te saturum reddat & Ambrosia.

Marcus Perezius.

Cur tibi Sanctorum cognomen amabile Patrum
Non Patris, antiqui Marce dedere Patres?
Scilicet vnus obis multorum plurima Patrum
Munia, sanctorum more modoq; Patrum.
Nanq; domi Pater es numerosæ prolis, & idem
Quod Pater est natis lætus es esse pijs.

Basilius Amerbachius I.C.

Cui Themis est multò quàm Bacchus amicior, illi
Debuit & nomen sacra dedisse Themis.

Io. Boinus Medicus Bas.

Nomine nona tuo dematur littera, sic re
Qui Bonus es, fueris nomine req; Bonus.

Cor. Taymon.

Nomine dißimilem ceu te facit Alpha Timoni,
Illius ingenium sic nec, amice, refers.

Felix

Felix Platerus Medicus Basil.

Hoc tibi qui nomen Grynæus contulit, omen
Nominis, haud nomen contulit ille tibi.
Namq́; pater nomen tibi cum daret, Hic erit inquit,
Hic erit & Felix nomine req́; puer.
Verba fides sequitur, nec te Felicior alter
Inclyta qua Rheno se Basilea lauat.

C. V.

In C. V. Felix Platerus.


Aulicus, Interpres, Vates, Regit, Explicat, Orat,
Vitam, Sacra, Deum, Moribus, Ore, Prece.

Ad Camillam Morellam alumnam suam.

Iam tibi iamq́; tuis opto nouus omine fausto
Inchoet hic, properet, finiat annus iter.
Si vacat ingenuis perituras lusibus horas,
Et dare ridiculis tempus inane iocis:
Virgo nouenarum cœtu comitata sororum,
Per lege non tetricæ carmina frontis opus.
Lusimus hæc alijs dum luditur alea pernox,
Nobilium titulis nominibusq́; super.
Hæc tibi sint igitur trochus, alea, charta, fritillus,
Tessera, Scacchorum ludus, & Astragalus.
His ego, (sint nugis licet omnia plena canoris)
Acceptum refero me, quod es, esse. Vale.

C. V.

ALLVSIONVM.
Lib. I. Finis.




UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

